


FRATRIS

# PETRI MARIÆ GAZZANIGA

## PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

IN NOVEM TOMOS DISTRIBUTÆ

FRATRIS

# PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

# PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

*TOMUS PRIMUS*

DE FUNDAMENTIS RELIGIONIS REVELATÆ CONTRA INCREDULOS
ATQUE HETERODOXOS



BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

*Vicetiae ex Cancell. Episc. die* 14. *Maji* 1830

Admittitur

ALEX. VALLE CAN. VIC. GENER.

JO. BAPT. SANSON CANCELL. EPISCOP.

# PRAEFATIO GENERALIS

## IN QUA RATIO AC METHODUS TOTIUS OPERIS

### BREVITER EXPONITUR

Ut quid opus erat in tanta librorum theologicorum farragine, quibus omnes bibliothecarum plutei redundant, novis his voluminibus litterariam rempublicam onerare potius, quam ditare? Et si his opus erat, annon toties jam repetitæ tuarum Prælectionum, ultra, citraque montes editiones plane sufficiebant, quin nova hac præla nostra fatigarentur? Quid boni, aut quid novi nobis es allaturus, ut proinde labores tuos, aut aliis utilitatem, aut tibi decus, ac gloriam allaturos esse, sperare possis? Ita, et fortasse etiam pejus ut primum hæ meæ Prælectiones in publicum prodierint, mihi bene multos succensuros, certo certius præsentio. Horum autem molestis, importunisque interpellationibus non illa utar responsione, *Sic placitum fuit*; et cum nemo ad hæc mea legenda cogatur, neminem proinde me juste culpare, aut reprehendere posse, quod ea denuo publicaverim; sed veras hujus mei propositi rationes afferam, quibus sin minus omnibus consilium meum probare, meipsum saltem ab omni temeritatis nota liberare posse, confido.

Tenuitatis meæ intime conscius numquam certe in tanta litterarum luce, ac litteratorum hominum frequentia de aliquo edendo libro cogitassem, nisi Augustæ MARIÆ THERESIÆ, quæ ad Theologicam cathedram in celeberrima, et antiquissima Vindobonensi Universitate moderandam, me singulari clementia vocaverat, multisque, ac magnis exornaverat beneficiis, compulisset auctoritas. Supremis tantæ MAJESTATIS jussis obtemperavi, sed admodum invitus; postea tamen obtemperasse me nunquam pœnituit, cum aliis de causis, tum etiam quia labores meos tanto favore excipi vidi, ut intra paucos annos hæ Prælectiones sæpius in lucem publicam prodierint, neque in Germania solum, sed etiam in cultissima nostra Italia; atque omnia eorum exemplaria ita brevi distracta fuere, ut Venetus Bibliopola non semel ad novam, amplioremque earumdem editionem faciendam me sollicitaret.

Ego vero eo libentius ipsius, et quorumdam etiam Amicorum sollicitationibus morem gerendum putabam, quod jamdiu summopere cuperem extremam iis manum apponere, ut a quibusdam mendis expurgatæ, et multo auctiores prodirent, quo Theologiæ studiosis, quorum usui elaboratæ erant, utiliores essent. Id autem jam dudum perfecissem, nisi meis desideriis gravia, et multa se se opposuissent obstacula. Primo enim variis, assiduisque Scholæ exercitiis occupato non multum temporis supererat, illudque ipsum in aliis quibusdam libris scribendis AUGUSTISSIMÆ IMPE-

RA-

RATRICIS, ac REGINÆ jussu impendere debui (*a*). Non raro etiam adversa valetudine diu, multumque conflictatus, consueta, mihique gratissima studia intermittere coactus fui, ac demum crudeli ὀφθαλμίᾳ, seu, ut Medici loquuntur, oculorum *suffusione* ad cæcitatem plane redactus de meo complendo desiderio jam desperassem, nisi mihi, Deo opem ferente, expertissimi Ocularii Medici ars singularis visum utcumque restituisset. Recuperatis igitur aliquantisper corporis, oculorumque viribus, aliisque permolestis curis liberatus, tandem aliquando opportunum nactus sum otium, quo exoptatæ, et a meipso, et a quibusdam aliis Prælectionum mearum emendatiori, ac locupletiori editioni totus incumberem. En, amice Lector, quænam fuerint hujus novi mei laboris, ejusdem tam diuturnæ procrastinationis causæ. Nunc vero earumdem methodum, ac seriem paucis accipe.

Multa, quæ in præcedentibus desiderabantur, huic postremæ editioni addita sunt, ut mox declarabitur. Sed ipsum etiam rerum tractandarum ordinem immutandum duxi, ut meliore adhibita methodo Sanctissima Religionis nostræ dogmata et dilucidius exponerentur, et solidius confirmarentur. Necessarium igitur visum est, ab ipsis primis christianæ doctrinæ principiis, et fundamentis exoriri, ut iis bene, firmiterque constitutis ad theologica dogmata explicanda, stabilienda, ac vindicanda tuto progredi possemus. Duo autem sunt hostium genera, quibuscum dimicare oportebit. Primi sunt *Naturalistæ*, et ceteri increduli, qui omnia prorsus Theologiæ *revelatæ* principia ad aniles fabulas, atque infantiæ præjudicia amandant. Alii sunt Heterodoxi, qui divinam quidem nostræ Religionis revelationem agnoscere se profitentur, dum tamen ipsam Revelationem pravis interpretationibus suo arbitratu explicant, ejusdem fundamenta non solum labefactant, sed plane evertunt; eam enim ita obscuram, atque ancipitem reddunt, ut impiis ansam præbeant eam omnino tollendi.

Hæc cum ita sint, facile quisque videt, non posse nos in disciplinis theologicis tuto procedere, nisi prius et divinam revelationem hominibus factam esse, et certam, atque immobilem ejusdem cognoscendæ regulam a Deo fuisse constitutam, invicte demonstretur. Utrumque autem pro virili nostra Deo opitulante præstabimus in primo hoc Prælectionum volumine, quod *Isagogicum* appellabimus, quia ad penitiores Theologiæ aditus nos introducit.

Porro cum infelici hac nostra ætate irreligiosa incredulorum turba late admodum serpat, magnaque jam prodierit, majorque in singulos fere dies prodeat pestiferorum librorum fœda colluvies, manifeste apparet, quanta hodie sit hujus materiæ in ipso primo Theologiæ limine accurate, copioseque pertractandæ necessitas; qua necessitate cum felicioribus Religionis temporibus non premerentur Majores nostri, hinc factum puto, ut has primas veritates contra Incredulos non una simul, sed sparsim variis in locis, molliorique brachio attingerent; neque multam impendendam esse operam crederent in diversis impiorum classibus distinguendis, et una simul colligendis, ac diligentius enucleandis iis difficultatibus, quas aut ex cineribus, quibus merito sepultæ erant, infeliciter excitarunt, aut de novo opera male sedula excogitarunt.

Hæc cum ita sint, utilius mihi visum est, omnia, aut saltem potissima irreligiosorum hominum systemata ( si tamen hoc nomine appellare licet eam male consarcinatam sophismatum, et cavillationum molem, qua nostra potius destruere, quam sua ædificare student ) simul collecta ob oculos nostrorum lectorum ponere, ut uno

ve-

(a) Hi sunt *Theologia Dogmatica in systema redacta* Viennæ typis Jo. Th. de Trattnern 1776. Vol. I. in 8., & *Theologia polemica* Viennæ apud eumdem Trattnern 1778. Vol. 2. in 8.

veluti obtutu et vanos incredulorum conatus, et inexpugnabilem victricis Religionis firmitatem aspicere possent. Accedit etiam, quod mirabilis nostrarum veritatum nexus non modicam, et sibi invicem, et toti simul Sanctissimæ Religioni lucem affundit; quod ad bonorum fidem magis magisque confirmandam plurimum confert. His potissimum de causis primam hujus voluminis Isagogici partem, non solum utilem, sed plane necessariam reputavi, ut contra *Atheos*, *Deistas*, et *Naturalistas*, et Deum creatorem, ac provisorem omnium existere, ac divinam religiosi cultus revelationem possibilem esse, nobisque omnino necessariam, et demum singulari Dei beneficio factam esse demonstraretur.

Huic postea altera pars succedet, in qua cum iis manus conferendæ erunt, qui supernam quidem Religionis nostræ revelationem se venerari profitentur, nullum tamen certum, atque infallibilem agnoscunt ejusdem interpretem; quo fit, ut velint, nolint, in impium Naturalismum delabantur. Parum quippe, aut nihil prodest divinam fateri revelationem, si verum germanumque illius sensum nullus vivus, ac supremus judex indubia, certaque fide proponere, ac determinare possit, ac fidenter dixerim, magis sibi cohærere, qui solam naturalem rationem in Religionis negotio audiendam esse contendunt; quam qui Deum ipsum nobis per Prophetas, ac per unigenitum Filium suum arcana, et ineffabilia suæ Divinitatis mysteria manifestasse credunt; et postea cujusmodi ea sint, et qualis eorumdem intelligentia, incertæ, et fallaci hominum disputationi relictum fuisse arbitrantur.

Nullum certe absurdius paradoxum excogitari potuisse videtur; et tamen hoc est, imo teste S. Augustino (*a*), hoc fuit semper omnium hæreticorum πρῶτον ψεῦδος, hic primus, et capitalis error, nolle supremo, et infallibili Ecclesiæ Tribunali fasces humiliter submittere, infallibili autem Ecclesiæ judicio repudiato, quid aliud restat, quam doctrinæ revelatæ interpretationem, vano, inconstanti, erroribusque pleno cujuslibet hominis privato judicio permittere? Quod quanquam per se absurdissimum vel ipso primo adspectu videatur, pertinaciter tamen a Novatoribus defenditur; ac tot, ac tantis, ac tam acutis sophismatibus ita controversia hæc obscurata fuit, ut non modico labore opus sit ad hanc fundamentalem Religionis revelatæ veritatem clara in luce ponendam, ac vindicandam, quod nos omni diligentia præstabimus, primo funditus evertendo varia a Sectariis excogitata, et male constituta principia, deinde ex perpetua, invariataque Majorum nostrorum doctrina supremam Pastoribus Ecclesiæ fidei, morumque controversias definiendi potestatem asseremus; quod unicum est medium nobis a Dei providentia datum ad lites finiendas, ad fidei unitatem servandam, ad errores eliminandos, atque ut quilibet nostrum sit in fide stabilis, ac securus. Quo in loco etiam de Rom. Pontificis in universa Ecclesia primatu urisdictionis, in quo D. N. J. C. posuit Ecclesiasticæ unitatis centrum, multa dicere oportebit. Eo enim sollicitius hæc suprema Apostolicæ Sedis auctoritas modo defendenda est, quo eam non solum ab hæreticis et schismaticis aperte negari, sed ( quod minime expectandum erat ) a quibusdam etiam, qui catholico nomine gloriantur, quasi per cuniculos insidiose oppugnari, et quod pejus est, factis etiam tolli, magnopere dolemus.

(*a*) Epist. 118. c. 5. T. II., ubi ait: "Illi, qui cum in unitate, atque communione catholica „ non sint, Christiano tamen nomine gloriantur, coguntur adversari credentibus. Sed hoc facere „ coguntur, ut dixi, quia jacere se abjectissime sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate ca„ tholica conferatur. Conantur ergo *auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ*, quasi ra„ tionis nomine, & pollicitatione superare. *Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista* „ *temeritas* „.

Et quidem si misericors, atque omnipotens Deus infirmos nostros conatus ita adjuvare dignaretur, ut Adversarii has veritates, quæ totius Religionis bases sunt, ac fundamenta, tandem agnoscerent, debitamque Ecclesiæ Pastoribus, imprimis autem visibili ejusdem Ecclesiæ capiti R. P. obedientiam præstarent, jam totum confectum esset negotium; supervacanei fortasse viderentur fusiores Theologiæ tractatus; ac brevis sufficeret omnium nostrorum dogmatum expositio, qualis in bene ordinatis ad rudium populorum instructionem catechismis inveniri solet. Sed quoniam inscrutabili divinorum judiciorum abysso obstinata hæreticorum pertinacia haud facile vinci potest, necessarium postea erit, singulas fidei veritates a Servatore nostro Jesu Christo Ecclesiæ suæ sponsæ revelatas, ab eaque Spiritu S. assistente solemniter definitas inconcussis divini verbi oraculis communire, oppositosque, ac damnatos errores omni argumentorum genere confutare. Qua quidem in re, consuetam fere aliorum Scholasticorum methodum sequentes, ita totam Theologiam partiemur.

Primo de Dei essentia, deque iis divinis attributis agemus, quæ *absoluta* dicuntur, ubi amplam subtiliter disputandi materiam nobis suppeditabunt Pantheistæ, eorumque surculi Spinozistæ, Polytheistæ, Anthropomorphitæ, Hobbesiani. Post autem se se nobis offeret faustissima æternæ nostræ felicitatis causa, scilicet visio Dei, quam Eunomiani, Palamitæ veteres, novique Chiliastæ suis erroribus obscurare perperam conati sunt. Sequentur deinde salebrosæ illæ, ac perdifficiles controversiæ de Dei scientia, voluntate, prædestinatione, ac reprobatione, quæ Scholas etiam catholicas inter se diviserunt. Has penitus omittere piaculum videretur; easdem tamen qua majori fieri poterit brevitate, ac sobrietate tractabimus, ut in fidei dogmatibus contra hæreticos tuendis tempus utilius impendamus. Atque hæc omnia secundum Prælectionum volumen complectetur.

Tertio vero ea continebuntur, quæ ad augustissimam divinarum Personarum Trinitatem pertinent; contra quam omni tempore ferocissimos adversarios infernus suscitavit. Nam præter Judæos, etiam inter Christianos Sabelliani, Ariani, Semi-Ariani, et Macedoniani; post autem Græci Photiani, omniumque pestilentissimi Sociniani illam aperto marte oppugnare aggressi sunt. Postremi autem successerunt Arminiani, et Tolerantes, qui gravissimum hoc, et tam necessarium Religionis nostræ mysterium in ervadiaphoras Scholæ opiniones ( quis crederet? ) relegari posse docuerunt; ut proinde qui illud blasphemo ore inficiantur, aut fœde corrumpunt, inter Christianos tolerari posse arbitrentur. Ita purum putumque pyrrhonismum invehere conantur. Hæc modo est apud Heterodoxos dominans secta: hucusque tolerantia, quæ tantopere sæculo nostro prædicatur, progressa est. Id dolendum quidem, sed minime mirandum; hoc enim erat necessarium pseudo-reformationis consectarium, ut invecta quidlibet examinandi, ac rejiciendi libertate, nihil amplius fixum in Religionem, ratumque superesset. Contra hanc pestem, quæ sub falso quodam humanitatis nomine quotidie magis dilatatur, Theologiæ candidati omni studio muniendi sunt.

Sanctissimo Trinitatis mysterio exposito, atque confirmato, in quarto volumine ea omnia simul colligemus, quæ ad creationem rerum ex nihilo, a veteribus Philosophis ignoratam, a novis autem pseudo-philosophis procacissime negatam pertinent; tum de Angelorum creatione, omnibusque iis, quæ de his nobilissimis spiritibus, aut divina revelatio, aut Sanct. Patrum traditio nos docuit, non indiligenter agemus; videlicet de eorum incorporea natura, de variis eorum choris, atque officiis, de bonorum, ac malorum distinctione, de istorum peccato, et pœnis; ac demum de illa ipsorum perversitate, qua nostris animis, atque etiam corporibus insidiantur; ubi quædam addere oportebit de energumenis, ac de magicis artibus, quæ recentiorum

quo-

quorumdam palatui minus fortasse sapient, sunt tamen doctissimorum hominum omnis ævi auctoritate probata. Denique hunc tractatum iis concludemus, quæ pertinent ad felicem illum primævæ innocentiæ statum; unde protoparentes nostri infeliciter deciderunt, totamque eorum posteritatem in eamdem calamitatem omnium certe maximam secum traxerunt. Hoc peccati originalis mysterium, nemo profundius perscrutatus est, et nemo operosius contra Pelagianos defendit, quam magnus Augustinus, cujus proinde doctrinam fideliter sectabimur, ac diligentiam pro virili nostra imitabimur.

Vix Adam suo illo peccato, *grandi* nimis, totum humanum genus infecerat, cum misericordissimus Deus Liberatorem illico promittere dignatus est, quod Interpretes concordi fere sententia paucis refragantibus colligunt ex c. 3. Geneseos 15. et seq.; quæ divini Liberatoris promissio ore Prophetarum et sæpius, et clarius postea repetita fuit, ac demum in plenitudine temporum adimpleta. Quocirca et nos salutis ordinem sequentes, post exposita gravissima peccati originalis damna, ad explicandam uberrimam salutiferæ Incarnationis doctrinam festinabimus; et postquam contra pervicacissimam Judæorum cæcitatem ostenderimus, Jesum Christum esse Messiam toties in Lege promissum, et a sanctis Patriarchis magno cum desiderio expectatum, haud parum nobis laborandum erit, ut abstrusissimum hoc mysterium ab innumeris Photinianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, aliarumque hujusmodi pestium erroribus liberemus; maxime autem Socinianorum, qui omnium aliorum blasphemias in sua hæresi, quasi in fœtidissima sentina collegerunt, et cunctos suos prædecessores malitia superarunt. Isque erit quintus Prælectionum Tomus.

In Sexto autem de immensis salutiferæ Incarnationis fructibus tractare incipiemus, scilicet de *gratia Salvatoris*, tam *actuali*, quam *habituali*, per quam vetere peccati homine in nobis destructo ad imaginem, et similitudinem Dei renovamur. Magna autem cautione opus erit, ut declinatis duobus oppositis scopulis Pelagianæ, et Prædestinatianæ hæreseos medium, et tutissimum cursum cum Catholica Ecclesia teneamus; quod eadem opitulante Dei gratia nobis prospere eventurum certo confidimus.

Non erimus autem culpandi, si a solita nostra methodo, parum scilicet in domesticis Scholarum dissidiis immorandi, tantisper discedamus, ut Majorum nostrorum placita contra nuperas quorumdam Theologorum opiniones strenue tueamur. Cum istis tamen tanquam fratres cum fratribus amice disputabimus, memores illius S. Augustini moniti: *Qui scholas habemus diversas, templa habemus communia. Pro eadem Religione*, inquiebat Facundus Hermianensis lib. 7., *non solum dissentire a se invicem, verum etiam pugnare adversus se religiosi, et rectissimi possunt.*

His sobrie, temperanterque expeditis multo libentius vires nobis a Deo benigne concessas contra eos Jansenii patronos, vel asseclas impendemus, qui ut novis Molinistarum conatibus sese acrius opponerent, ad oppositam Prædestinatiarum sectam declinarunt. Quorum errores eo diligentius a Thomistis et vitandos, et refellendos arbitror, quo illi incautis persuadere nituntur, damnata sua dogmata non alia esse, quam quæ sanctissimi nostri Magistri et Duces, Augustinus et Thomas, in aureis suis scriptis quasi hæreditario jure nobis reliquerunt, causamque suam nobiscum communem facere vellent.

Qua in re, ne quid dissimulem, magnam ipsis ansam quidam Molinistæ dederunt, qui ad invidiam Scholæ nostræ sententiis conflandam ipsis teterrimam Calvinismi, Bajanismi, Jansenismi dicam scribere imprudenter ausi sunt: tum illi, qui veneranda gravissimorum Scriptorum nomina proscriptæ in Jansenio hæresis, aut aperta accusatione, aut saltem maligna suspicione infamare non sunt veriti; quod Norisio,

sio, Bertio, Contensonio, Serio, aliisque contigisse, nemo ignorat. Imprudentes isti accusatores minime advertunt, causam Jansenistarum, saltem apud imperitorum multitudinem, non parum juvari; quippe qui his testimoniis facile abutuntur, ut inde concludant, suas sententias, ut Apostolico Romanæ Sedis fulmine ictas, suorum hostium aperta confessione ab inconcusso, tutissimoque Scholæ nostræ systemate non differre. Et oh utinam nostris etiam temporibus hæc calumniandi prurigo non identidem renovaretur! *Haud ignota loquor*.

Ego vero ita animo sum comparatus, ut a damnatis quibuscumque erroribus longe abhorream, atque omnia Ecclesiæ, summorumque Pontificum decreta, qua decet reverentia, atque obedientia ore, et corde recipiam; simul tamen minime verear inanes illorum clamores, qui privata sua placita cum sacrosanctis fidei nostræ articulis inscite, vel malitiose confundunt, et qui iisdem refragantur, statim violatæ Religionis accusant. Nova minime est apud quosdam dolosa hæc pugnandi ars, quasi scilicet etiam in theologicis certaminibus illud locum habeat: *dolus, an virtus quis in hoste requirat?* Sed contra hanc quorundam ex nostris adversariis artem jamdiu nos præmonuit Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII., cum in litteris in forma Brevis, anno 1724. ita suos Dominicanos hortatus est: „ Magno animo *contemnite*, dilecti filii, *calumnias intentatas* sententiis vestris de gratia præsertim per se, ab „ instrinseco efficaci, ac de prædestinatione ad gloriam absque ulla prævisione meritorum, quas *laudabiliter* hactenus docuistis, et quas ab ipsis sanctis Doctoribus „ Augustino, et Thoma se hausisse Schola vestra *commendabili studio gloriatur* ". Hoc mihi propositum est, hoc Deo juvante servabo. Imo ut tutius in salebrosis istis controversiis incedam, ab illa sapientissimi Thomæ de Lemos doctrina ne latum quidem unguem discedam, quam in celeberrimis Romanis Congregationibus coram Clemente VIII. et Paulo V. cum tanta nominis sui gloria invicte propugnavit, post autem in doctissima sua *Gratæ Panoplia* fusissime exposuit, et confirmavit. Cumque hæc doctrina fuerit toties Roman. Censorum judicio probata, nonnisi iis suspecta esse poterit, qui obtentu debitæ ecclesiasticis decretis obedientiæ orthodoxas aliorum opiniones vellicare, suspectasque reddere præsumunt. Sed ad methodum nostram exponendam redeamus.

Nempe his omnibus postremum volumen addemus, quo Tractatus continebuntur de virtutibus theologicis, de actibus humanis, ac de ultimo fine hominis, Optarem vero etiam copiosissimam de re sacramentaria materiem aggredi, ut sin minus totam, quæ nimis late patet, præcipuas saltem Theologiæ partes complecteremur; sed ea ætate jam sum, ut sperare minime liceat, me tantum vitæ, viriumque a Deo obtenturum, ut id perficere possim; neque exiguum divinæ misericordiæ munus reputabo, si quæ in hac præfatione promisi, et prælo jam parata sunt, in publicam lucem tandem prodiisse videbo (*a*).

Non adeo ineptus sum, ut mihi ipsi blandiar, vel aliis persuadere velim, me nova attulisse, quibus theologicam scientiam aut ditaverim, aut peregrina eruditione illustraverim: imo candide fateor, quæ sparsim apud multos egregios Scriptores inveni, præcipue autem in iis Angelici Præceptoris mei operibus, quæ tot Romanorum Pontificum, aliorumque summorum virorum laudibus commendari meruerunt,

et

(*a*) *Postulata hujus piissimi ac doctissimi Viri excepit Deus. Ætatem sustinuit, viresque dedit, ut Opus omnino perficeret. Duo enim volumina composuit, in quibus eodem ingenio, eademque eruditione Sacramentorum materiem pertractavit, quæque octavum, & novum Tomos efformantia, nunc primum eduntur.*

et quæ *nocturna versare manu*, *versare diurna* in more habui, quanta opus erat brevitate, et quanta maxime potui perspicuitate, me contraxisse; illud magnopere cavens, ne Juvenes in theologica palæstra nondum exercitati, aut nimia rerum, verborumque copia obruerentur, aut fastidiosa obscuritate repellerentur. Quæ duo tamen evitare, quam difficile sit, omnes periti norunt: *Dum brevis esse laboro, obscurus fio*.

In verborum delectu illud potius curavi, ut ab inculta quorumdam Sholasticorum barbarie declinarem, quam ut exquisitam, sublimemque sermonis elegantiam consectarer; tum quod *ornari res ipsa negat*, *contenta doceri*, ut recte ille præcipiebat; tum etiam quia longo rerum usu comperi, mediocria ingenia, quorum major semper esse solet in Scholis numerus, sublimiore dicendi genere a rebus ipsis probe intelligendis, multoque magis ab ipsis facile, expediteque exponendis multoties retardari. Eadem etiam experientia didici, verissimam esse illam Clementis Alexandrini observationem initio Libri II. *Stromatum*: *Eos qui inhærent*, *et in eis sunt occupati*, *res ipsas effugere*.

Ex immensa autem theologicarum quæstionum copia eas potissimum seligendas duxi, quæ ad capitalia, et ab Ecclesia jam definita sanctissimæ Religionis nostræ dogmata pertinent, aut quæ ad ea proximius accedunt: ex quorum numero eas opiniones semper esse putavi, quas de scientia Dei, de prædestinatione hominum, et de gratia Salvatoris Schola nostra constanti studio tuetur; in iis enim errare, nedum turpe, sed etiam summopere perniciosum, aut saltem valde periculosum est. Alias vero scholasticas controversias, quæ ingeniose et subtiliter in utramque partem agitantur, aut penitus prætermisi, aut tantum indigitavi, aut breviter, mollique brachio discussi. Quanquam enim earum pleræque sua utilitate non carent, æquum tamen non est, ut aliis multo utilioribus, aut plane necessariis locum, et tempus præripiant.

Ut Tyronum commodo melius consultum esset, fontes eisdem patefeci, ex quibus hortulos meos irrigavi; quos proinde et ipsi adire possent, si quando majus otium nacti profundiorem, et ampliorem earum rerum, quas ego breviter pertractare coactus sum, notitiam habere desiderent. Eos autem Scriptores præcipue nominavi, qui peculiares de aliqua materia tractatus edidere, in quibus proinde uberius, atque enucleatius eamdem expenderunt, quique utiliores esse solent, dummodo cum debito rerum selectu legantur; plerumque enim fusiore stylo utentes, cum tantum studere videantur, ne aliquid prætermittant, nimia rerum copia fastidium generant, et lectoris patientiam defatigant. Eos autem celeberrimos Scriptores, qui totam Theologiam spissis suis voluminibus complexi sunt, aut nunquam, aut rarissime appellavi. Ii enim nemini ignoti sunt, ut supervacaneum esset eosdem Auditoribus indicare.

Sæpius vero anceps hæsi, an etiam Heterodoxorum, imo et impiorum libros, eorumque præsertim, quorum lectio a supremis Potestatibus interdicta est, locis opportunis citarem. Timui enim, ne propter nimiam eosdem legendi curiositatem plus ex eorum notitia detrimenti, quam emolumenti in juvenes redundaret. Sed præterquam præsto sunt clarissimorum vivorum exempla, aliquibus ad id faciendum non levibus rationibus permotus sum, quas in *Monito quodam discipulis pernecessario* in T. I. ad calcem III. Diss. P. I. p. 231. breviter exposui (*a*).

Te-

(*a*) S. Hieron. in ep. LXX. ad Magnum Oratorem urbis Romæ multis illustrium virorum exemplis contra Ruffinum se purgat, quod Ethnicorum, atque etiam Hæreticorum libris sæpius usus fuerit.

Testimonia aliorum, quantum maxime potui, accurate et fideliter exscripsi; collatione fere semper usus, et raro admodum necessitate adactus aliis fidens, quotidiana experientia edoctus, quam sæpe vel typographorum incuria, vel aliis de causis hac in parte errari contingat. Neque etiam hac in re veritus sum, ne mihi illud exprobraretur, quod Diogenes Laertius Lib. VII. num. 181. Chrysippo ab Apollodoro Atheniensi exprobratum refert, videlicet si quis tolleret de ejus libris, quæ aliena sunt, κενὸς αὐτῷ ὁ χάρτης καταλειφθήσεται: *vacua illi charta relinqueretur*. Neque enim in gravissimis his rebus ingenio meo arroganter indulsi, sed aliorum tectus auctoritate tutius procedere volui.

Illud postremo oro, obtestorque, ne mihi vitio vertatur, quod errores, in quos Scriptores etiam doctissimi nonnunquam lapsi sunt ( homines enim erant ) non vaga tantum eruditione, sed plane ipsorum nominibus appellatis notaverim. Absit enim, ut quispiam ad eorum gloriam minuendam, vel ad meam captandam id a me factum fuisse suspicetur; novi enim, Hieronymo monente ep. 102. ad S. Augustinum ( T. I. p. 627. ), *pucrilis esse jactantiæ . . . accusando illustres viros suo nomini famam quærere*. Sed et hoc ad Auditorum meorum utilitatem pertinere putavi, si nedum esse syrtes, et scopulos ipsis dicerem, sed etiam ubi latent, quasi digito commonstrarem, ut eos facilius declinarent, nec magnorum nominum auctoritate sibi imponi paterentur. Neque tamen propterea eorumdem existimationi aliquid detractum iri, arbitratus sum. Quis enim homines, qui in republica litteraria prima occupant subsellia, parvi faciat, quod alicubi dormitaverint, vel cespitaverint? Scilicet *ac veniam petimusque, damusque vicissim*; eoque facilius, ac libentius aliis damus, quo magis ea nos ipsos indigere probe conscii sumus.

Hanc brevem præfationem concludo, ita quemlibet Lectorem verbis S. Augustini ( *De vera Relig.* cap. 10. Tomo I. ) rogando: *Quæ vera esse perspexeris, tene, et Ecclesiæ Catholicæ tribue: quæ falsa, respue, et mihi, qui homo sum, ignosce: quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Intende igitur in hæc, quæ sequuntur, diligenter, et pie quantum potes; tales enim adjuvat Deus.*

# INDEX

## CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE I. CONTINENTUR

### PARS PRIMA

DISSERT. I. *in qua demonstratur, Deum esse, omnia ab ipso fuisse creata, perpetuo conservari, atque ejus providentia administrari.* Pag. 2

Cap. I. *Naturalibus rationibus demonstrari potest, Deum esse.* 5

Cap. II. *Deum reipsa existere variis argumentis ostenditur; & primo quia res omnes hujus universi contingentes sunt, luculenter demonstratur, esse præter illa aliud ens summe, & omnino necessarium, nempe Deum infinitis perfectionibus cumulatissimum.* 7

Cap. III. *Ex motu, qui in rerum natura apparet, demonstratur Deum esse.* 12

Cap. IV. *Deum esse, ex mirabili hujus mundi structura demonstratur.* 16

Cap. V. *Deum esse confirmatur ex unanimi hominum consensione.* 25

Cap. VI. *Asseritur summa illa, ac generalis providentia, qua Deus res omnes conservat, & sapientissime administrat.* 32

DISSERT. II. *In qua ostenditur potuisse Deum hominibus religionem revelare: tum hanc revelationem fuisse hominibus necessariam, ac demum veræ ejusdem divinæ revelationis notæ proponuntur.* 41

Cap. I. *Quid sit religio, & quotuplex Dei cultus ab ea præscriptus.* ibid.

Cap. II. *Ostenditur, cultum internum, & externum Deo deberi, illique esse acceptum.* 42

Cap. III. *Ostenditur, potuisse Deum hominibus religionem revelare.* 44

Cap. IV. *Demonstratur divinæ revelationis necessitas ad perfectam legis naturalis cognitionem; vel ut alii loquuntur, ad cognitionem* religionis naturalis. 46

Cap. V. *Nonnullis argumentis ostenditur necessitas divinæ revelationis quarumdam veritatum supernaturalium.* 52

§. I. *Primum argumentum pro necessitate revelationis supernaturalis desumptum ex interna hominis corruptione, cujus corruptionis originem, causam, & remedium nonnisi Deo revelante cognoscere possumus.* 53

§. II. *Alterum argumentum pro necessitate divinæ revelationis petitum ab ignorantia medii necessarii ad obtinendam peccatorum remissionem.* 57

§. III. *Tertium argumentum pro necessitate*

*supernaturalis revelationis depromptum ex cultu Dei externo, quem sola ratio non potest certo determinare.* ibid.
§. IV. *Quartum argumentum pro necessitate supernaturalis revelationis depromptum ex ignorantia cultus interni Deo debiti.* 60
Cap. VI. *Solvuntur quædam difficultates contra necessitatem revelationis veritatum supernaturalium.* 61
Cap. VII. *Demonstratur, in religione supernaturali a Deo revelata contineri posse mysteria, quæ rationem nostram longe superant, non tamen ipsi opponuntur.* 62
Cap. VIII. *De notis veræ revelationis, & primo de miraculis.* 67
§. I. *Ostenditur, vera miracula esse certas divinæ revelationis notas.* ibid.
§. II. *De confictis Gentilium miraculis.* 74
§. III. *Solvuntur quædam alia argumenta contra notam divinæ revelationis ex miraculis depromptam.* 77
Cap. IX. *Ostenditur, prophetias esse divinæ revelationis notas.* 78
DISSERT. III. *Qua ostenditur, divinam revelationem tam in veteri, quam in novo testamento factam esse.* 85
Cap. I. *Divinam revelationem factam fuisse Moysi, atque in Pentateucho existere, tum ex miraculis, tum ex prophetiis in eo contentis evincitur.* 86
Cap. II. *Præcluditur illorum effugium, qui certitudinem miraculorum Moysi elevare conantur, dicentes Pentateuchum fuisse longe post tempora Moysis conscriptum, aut graviter corruptum.* 99
Cap. III. *Ostenditur, divinam revelationem existere in N. T. potissimum ex miraculis, & prophetiis Jesu Christi in eo contentis.* 106
Cap. IV. *Ex aliis miraculis post Christi ascensionem in cœlum in Ecclesia editis ostenditur veritas divinæ revelationis in N. T.* 125
Appendix. *De quatuor Evangeliorum Apostolica origine.* 127
Monitum discipulis pernecessarium. 135

## PARS SECUNDA.

*De fundamentis religionis Catholicæ Romanæ contra Heterodoxos.* Pag. 135
DISSERT. I. *In qua demonstratur contra Heterodoxos, divinam revelationem non solum in sacris litteris, sed etiam in divinis traditionibus contineri.* ibid.
Cap. I. *Quid sit traditio, & quotuplex; & quinam ejus hostes.* 136
Cap. II. *Præter verbum Dei scriptum admittendum est etiam verbum Dei ore traditum; atque hoc necessarium est tum ad orthodoxum sacræ scripturæ sensum determinandum, tum etiam ad quædam fidei, morumque dogmata, quæ in sacris litteris non continentur.* 137
Cap. III. *De notis, quibus veræ traditiones divinæ a falsis distinguuntur.* 150
DISSERT. II. *Exponitur systema Acatholicorum de judicandis controversiis fidei.* 151
Cap. I. *Ostenditur*, viam examinis *in determinandis articulis fidei nec esse omnibus possibilem, nec tutam.* 152
Cap. II. *Ostenditur, perperam Heterodoxos ad Scripturæ sacræ perspicuitatem confugere*, ut viam examinis *omnibus possibilem reddant.* 157
Cap. III. *Solvuntur quædam objectiones, quibus Heterodoxi probare nituntur,*

*solam sacram Scripturam esse omnium controversiarum fidei, morumque judicem.* 163
Cap. IV. *Ostenditur, spiritum privatum non esse tutum sacræ Scripturæ interpretem.* 164
Cap. V. *Demonstratur, humanam rationem esse non posse sacrarum Scripturarum interpretem.* 166
Cap. VI. *Demonstratur, eos, qui viam examinis in fidei controversiis institui volunt, necessario in* Tolerantismum, *seu* Indifferentismum *labi.* 169
Cap. VII. *Ostenditur contra Jurium, aliosque Tolerantes, nemini licere citra salutis dispendium Fidei dogmata ab Ecclesia definita rejicere, quæcumque ea sint.* 173
Dissert. III. *Demonstratur, Ecclesiam esse legitimum, supremum, & infallibilem Fidei controversiarum judicem.* 180
Cap. I. *De nomine, & definitione Ecclesiæ.* ibid.
Cap. II. *Vera Christi Ecclesia debet esse visibilis.* 181
Cap. III. *Ostenditur Ecclesiam Christi visibilem nec defecisse unquam, nec deficere posse.* 184
Cap. IV. *Ex demonstrata hactenus Ecclesiæ visibilis perpetuitate colligitur, Sectas, quæ ab Ecclesia Romano-Catholica se separarunt, esse extra Ecclesiam Christi.* 191
Cap. V. *Asseritur summa, & infallibilis Ecclesiæ auctoritas in definiendis quæstionibus fidei, & morum.* 195
Cap. VI. *Ostenditur, Concilia generalia rite, ac legitime celebrata in fidei, morumque definitionibus errare non posse.* 201
Appendix *De Concilio Tridentino.* 209
Cap. VII. *De notis Ecclesiæ.* 211
Art. I. *Exponuntur, & rejiciantur notæ, quibus veram Christi Ecclesiam cognosci oportere, Acatholici contendunt.* 212
Art. II. *Proponuntur veræ notæ, quibus facile ab unoquoque possit Ecclesia Christi cognosci. Earum autem prima est unitas.* 215
Prop. *Vera Christi Ecclesia debet esse una, maxime vero unitate fidei, & regiminis: hæc proinde unitas est veræ Ecclesiæ nota.* ibid.
Art. III. *De nota sanctitatis Ecclesiæ.* 222
Prop. *Ecclesiam Catholico-Romanam esse sanctam, ostendunt sanctitas doctrinæ, sanctitas plurium ipsius membrorum, & gloriæ miraculorum.* ibid.
Art. IV. *Probatur veram Ecclesiam debere esse* catholicam, *atque hanc notam soli nostræ Ecclesiæ convenire.* 229
Prop. *Vera Christi Ecclesia debet esse* catholica, *idest toto orbe diffusa. Id autem soli Ecclesiæ nostræ convenit.* ibid.
Art. V. *Ostenditur, veram Ecclesiam Christi debere esse* Apostolicam, *atque hanc notam soli Ecclesiæ Romano-catholicæ convenire.* 232
Dissert. IV. *De Romani Pontificis Primatu.* 252
Cap. I. *Ostenditur S. Petrum fuisse a Christo Domino Apostolorum, totiusque Ecclesiæ caput, ac Principem constitutum.* 253
Prop. *S. Petrus fuit a Christo Apostolorum Princeps constitutus, quamobrem jure divino Primatu jurisdictionis in tota Ecclesia potitus est.* ibid.
Cap. II. *Solvuntur argumenta, quibus aliqui probare nituntur, S. Paulum fuisse Petro æqualem.* 261
Cap. III. *Ostenditur, S. Petrum Apostolorum Principem Romæ fuisse, ac in ea Ecclesia Episcopatum usque ad mortem tenuisse.* 263
Cap. IV. *Asseritur Romano Pontifici Primatus honoris, & jurisdictionis.* 269

**************************************

# PRIMA PARS

# ISAGOGICA

## DE FUNDAMENTIS

## RELIGIONIS REVELATÆ



Antequam ad explicandos ordine consueto dogmaticæ Theologiæ tractatus accedamus, e re visum est, animos Tyronum præparare, atque contra eos præmunire, qui prima ipsa sanctissimæ religionis principia convellere impio, atque insano conatu nituntur. Multiplex autem horum genus est. Sunt enim primo, quamquam non multi, qui Deum ipsum primum, & potissimum theologiæ scientiæ objectum stulte non minus, quam impie esse negant. Sequuntur alii, qui nimia evidentia coacti a tanto scelere recedunt; ejus tamen infinitam, & sapientissimam providentiam simul cum Epicuro sublatam, aut angustis quibusdam limitibus coarctatam vellent, ut ita nullo existente criminum vindice Deo, liberius possint in omne se vitiorum genus effundere. Sunt demum alii, qui & providentiam divinam, & aliquam etiam religionem se agnoscere, vel profitentur, vel simulant, sed nonnisi eam, quam nativum rationis lumen ipsis pro arbitrio suppeditat; atque oculos sibi ipsis eruunt, ne supernæ revelationis fulgentissimos radios aspiciant. Imo eo audaciæ progrediuntur, ut religionem supernaturali revelatione nobis a Deo traditam inter fanaticorum hominum deliria sacrilego ore recenseant.

Horum omnium divinæ revelationis hostium perniciosissima commenta eo diligentius nobis refutanda sunt, quo major succrescit pestilentium librorum colluvies, ad eam cavillis, subtilibusque fallaciis impugnandam. Tribus itaque Dissertationibus hanc primam partem de fundamentis religionis revelatæ complectemur; in quarum priore multis, atque invictis argumentis, contra veteres, recentesque Atheos Deum esse, ostendemus. In altera Dei providentiam ad omnes, & singulas res creatas se extendentem vindicabimus. In tertia demum supernam religionis nostræ revelationem & possibilem esse, & necessariam, ac singulari Dei beneficio hominibus factam, tam manifeste evincemus, ut nullus plane Naturalistis de ea dubitandi locus relinquatur. Qua in dissertatione, utpote omnium præcipua, argumenti potius dignitati ac gravitati, quam brevitati inservire coacti erimus. Sit itaque

# DISSERTATIO I.

*In qua demonstratur, Deum esse, omnia ab ipso fuisse creata, ac perpetuo conservari, atque ejus providentia administrari.*

1. Recte observavit S. Thomas L. I. *de veritate catholicæ Religionis contra gentiles* c. 9. in rerum Theologicarum tractatione primo quasi totius operis *necessarium fundamentum*, demonstrari oportere Deum esse; hoc enim non habito, nihil prorsus de rebus divinis loqui possumus, ut proinde tota theologia tollatur.

2. Nomine autem Dei, pergit ibidem S. Doctor cap. 10. id intelligimus, quo majus cogitari non potest, seu *ens a seipso*, adeoque summe, & omnino necessarium, infinitis perfectionibus cumulatissimum, quodque prima est, atque universalis omnium rerum causa.

3. Qui ad tantum impietatis culmen perveniunt, ut hoc ens existere negent, ἄθεοι græca voce noncupantur, hoc est *sine Deo*. Triplex autem illorum classis distingui solet. Si qui enim sunt, qui mentis tarditate, aut incredibili prorsus incogitantia Deum esse ignorent, hi *athei negativi* appellantur; quos tamen inter homines ratione utentes nullos esse arbitror. Qui Deum ab aliis agnosci, & adorari non ignorant, ipsi tamen summa intellectus excæcatione, ac cordis corruptione eumdem agnoscere nolunt, aut, quod pejus est, argutiis, & cavillationibus tollere nituntur, vocantur *athei positivi*, vel etiam *dogmatici*. Qui demum dubitare se dicunt, sit necne Deus, ut Protagoras fecit (*a*), appellari possunt *athei sceptici*, vel *pyrrhonici*.

4. Addunt aliqui quartum *atheorum* genus, eorum nempe, qui atheismi viam quasi ingredientes, talia adoptant principia, ex quibus recte fluit, nullum esse Deum. Hac tamen in re maxime cavendum est, ne atheismi crimen, quo nullus atrocius esse potest, immerito cuiquam tribuatur; sæpe enim contingit, ut alicujus systematis consequentiæ aut ignorentur, aut saltem negentur (*b*).

5. His igitur missis, nos proprie atheos eos solos intelligimus, qui aut Deum esse ignorant, aut procaciter negant, aut saltem in dubium stulte revocant. Porro haud facile est, accuratam eorum historiam texere (*c*). Veterum ἀθέων, seu atheorum catalogum olim dederat Lysippus Epirota, memoratus a Scholiaste Apollonii ( apud Jo. Alb. Fabricium Tom. I. *Bibliothecæ græcæ* pag. 817. ), qui modo desideratur. Nostra autem, Patrumque nostrorum memoria non pauci re-

(*a*) Refert Diogenes Laertius Lib. IX. Sect. 91. Protagoram hoc libro initium posuisse: *de Diis quidem statuere nequeo, neque an sint, neque an non sint;* hacque de causa fuisse ab Atheniensibus agro exterminatum, ejusque libros in concione combustos. Idem referunt Cicero Lib. I. *de natura Deorum*, & Sextus Empyricus *Adversus Mathematicos*.

(*b*) Sic, ut aliqua ponamus exempla. Possidonius apud Ciceronem L. I. *de natura Deorum* fidenter affirmabat, *nullos esse Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse*, quia neque ex ipsius systemate consequebatur, nullum esse Deum. Epicurum tamen ab atheismo purgant Petrus-Gassendus *de vita & moribus Epicuri* L. IV. c. 3., & Jac. Bruckerus *in Historia Philosophiæ* T. I. ubi etiam sedulo inquirit de atheismo Anaximandri, Anaxagoræ, Theodori, Evhemeri, Bionis Borysthenitis, Stilponis, Platonis, Clitomachi, Aristotelis, Stratonis, Stoicorum, Aristonis Chii, Chrisippi, Pythagoræ, Empedoclis, Ocelli Lucani, Parmenidis, Melissi, & Diagoræ Melii. Mirari postea subdit ( ut id obiter observemus ) hunc scriptorem, qui ethnicos Philosophos a tetra atheismi nota liberare studuit, in ejusdem atheismi suspicionem vocasse Leonem X. Card. Petrum Bembum, aliosque non paucos Catholicæ communionis celebres viros, & quidem sine ullo prorsus tantæ accusationis probabili argumento, aut teste fide digno, ut quilibet videre poterit ex iis, quæ habet T. IV. P. I. Lib. II. Cap. 3. §. 63. & seq.

(c) Aliqui inter Protestantes *atheismi* historiam illustrare conati sunt, ut Jenkinus Thomasius in *Hist. atheismi breviter delineata* Aldorfii 1713. 8. qui postea eamdem historiam a se recognitam iterum edidit Londini 1717. 8. hoc titulo *Diss. historico-philosophica de atheismo, sive historia atheismi, in qua Scriptores vetusti, & recentiores impietatis falso postulati liberantur a turpi atheismi stigmate: alii vero, qui de supremo Numine sentire videntur minus recte, corripiuntur merito*. Ant. item Reiserus *Diss.* edidit *epistolarem ad Theophilum Spizelium, de origine, progressu, & incremento antitheismi, seu atheismi*, in qua atheismi originem a Caino, aliisque antediluvianis frustra repetere conatur. Jacobus etiam Frid. Raimmanus *Historiam* nobis dedit *atheismi, & atheorum* Hildesiæ 1725. 8. Nonnulla denique hac de re exhibet Franc. Buddeus in *Thesibus de atheismo, & superstitione* c. 2. ac Joach. Langius *in causa Dei, & religionis naturalis adversus atheismum* T. I. p. 81. & seq. editionis secundæ Halæ Saxonum 1727. in 12. Hi tamen, aliique Heterodoxorum libri admodum caute a tyronibus legendi sunt, propter sectæ præjudicia haud raro in iis inspersa; ac propter intolerabilem pruriginem Rom. Ecclesiæ scriptores atheismi accusandi.

recensentur hujus gravissimæ impietatis rei, sed nescio an omnes proprie *athei* dici debeant (a).

6. Sæpius enim vocatos atheos invenimus omnes eos, qui verum Deum non agnoscebant, aut non colebant; ut cum S. Paulus Ephes. II. 12. Ephesiis dicit: *eratis illo tempore* ( quando scilicet idolis serviebant ) *sine Christo*, & *sine Deo* ( ἄθεοι ) *in hoc mundo*. Et S. Ignatius Martyr in epist. ad Trallianos n. 10. *quidam athei*, inquit, *hoc est infideles* (b).

7. Quamquam vero numquam multos fuisse veri nominis atheos existimo; quia tamen aliqui semper fuerunt, & forte adhuc sunt tantæ impietatis rei, ideo hac de re accurate disputandum est, & dicere possumus cum Platone ( Lib X. *de Legibus* ): *Nisi sermones ii inter omnes, ut ita dicam, homines vulgati essent, nihil opus esset argumentis demonstrare esse Deum; nunc autem necesse est*. Præterea materia hæc tanti momenti est, ut contineat primum totius religionis fundamentum, quæ nulla sine Deo esse potest, ideoque nullatenus est prætermittenda.

## CAPUT PRIMUM.

### *Naturalibus rationibus demonstrari potest, Deum esse.*

8. Nedum Athei, verum etiam nonnulli alii id negarunt, sed diversa prorsus ratione: isti enim Deum esse confitebantur, non naturali aliquo ratiocinio, sed sola ejusdem Dei superna revelatione convicti: quamobrem hoc dogma non inter veritates naturales, sed inter articulos fidei, quos sine ratione credere oportet, numerabant (c).

9. Communior tamen, & modo jam plane concors est Theologorum omnium sententia, posse ἀποδεικτικῶς demonstrari, Deum esse, non quidem

(a) Inter atheos recentioris ævi famosus fuit Lucilius, seu ( ut vanissimus homo vocari amabat Julius Cæsar ) Vanini Tolosæ an. 1619. flammis ob atheismum damnatus. Ejus apologiam admodum ingeniosam adornavit Petrus Frid. Arpe, quæ anonyma prodiit in 8. Cosmopoli, seu verius Amstelodami 1712. Eum item purgare conatus est Petrus Bælius in impio opere *Pensées sur les Comètes* §. 174. & seq. Istis tamen certe præferri mereretur Gabriel Bart. Gramondus Senatus Tolosani Præses in Lib. III. *Historiarum Galliæ*, qui auctor coævus, imo testis fuit oculatus supplicii, quo Vaninus affectus est. Durandus Minister Calvinianus Roterodami edidit *La vie & les sentimens de Lucilio Vanini in* 8. 1717.; sed eum præcesserant Joan. Gottil. Olearius *in duabus diss. de Luc. Cæsaris Vanini vita, factis, & scriptis, & opinionibus*, Jenæ 1709. in 4. ac Joan. Mauritius Schrammius *de vita, & scriptis famosi athei Julii Cæs. Vanini*, Custrini 1709., & 1715. Inter Atheos etiam non immerito numeratur Benedictus Spinoza, & qui ejus impium systema amplexi sunt; de quibus suo loco dicetur. Nec levem atheismi suspicionem dedit Jo. Tolandus Hibernus in duabus dissertationibus, quarum una inscribitur *Ἀδεισιδαίμων sive Titius Livius a superstitione vindicatus*, altera de *originibus Judaicis*, tum etiam *in Epistolis ad Sirenam in Pantheistico*, aliisque impiis suis operibus. Demum atheismum aperte professus est nuperus auctor pestilentissimi libri, cui titulus *Systéme de la nature*; cujus auctoris etiam esse putantur duo ejusdem furfuris opuscula: *Contagion sacrée de M. Trenchard, & essai sur les prejugez*; in quibus omni larva deposita purus continetur atheismus.

(b) Notatu digna sunt, quæ Clemens Alexandrinus in *Cohortatione ad Gentes* num. 2. de veteribus quibusdam Philosophis atheismi postulatis habet. *Mirari subit*, inquit, ( *neque enim id tacere possum* ) *quod Evhemerum Agrigentinum, & Nicanorem Cyprium, & Diagoram, & Hipponem Melium, & his paullo juniorem Theodorum Cyrenæum, multosque alios, qui sobrie, sapienterque vitam instituerunt, & ad pravas de Diis opiniones perspicaciores reliquis hominibus fuere, atheos cognominarint*. Quem locum Clementis illustrant inter alios Ant. Muretus L. X. *Variarum Lect.* cap. 17. & Theophilus Raynaudus T. V. Opp. edit. Lugdun. in *Theol. Natur.* Dist. quæst. 1. art. 8. Ut autem revertamur ad eos, qui numerum atheorum augere studuerunt, jure reprehenditur Bælius, qui non solum plurimos scriptores, præsertim Rom. Ecclesiæ, sed plane integras, populosasque nationes iis adjunxit, imo vel ipsos Scotistas *ἀθέους* expostulavit, propter ipsorum *universale formale a parte rei*, quod cum Spinozæ systemate collimare contendit in *Dictionario* art. *Abailard* rem. C. Non solum autem reprehendendum, sed plane ridendum se exhibuit Jo. Harduinus, dum in libello inscripto *Athei detecti* ( qui inter opera ejus *varia, & posthuma* Amstelodami prodiit in fol. an. 1733. ) in atheis stulte recensuit Corn. Jansenium, Andr. Martinum, Lud. Thomassinum, Franc. Malebranchium, Pasch. Quesnellum, Ant. Arnaldum, Petr. Nicolium, Blasium Pascalem, Ren. Carthesium, Ant. Grandium, & Sylvanum Regis. Sed jam prius Harduini concellita Pillonerius an. 1715. opusculum in Hollandia ediderat, cui titulus *L'athéisme decouvert par le R. P. Hardouin Jésuite dans les écrits de tous les Pères de l'Église, & des Philosophes modernes*. vid. *les Lettres théologiques de M. l' Abbé Gultier* T. III. Lettre 16. De veritate, ac de religione ipsa bene meriti illi fuere, qui plurimorum falso atheismi accusatorum vindicias egere, ut Christophorus Wolfius in Diss. *de atheismi falso suspectis*; & Jac. Hesæus *De Gentilium Philosophis atheismi falso suspectis*. Multorum fidem hac in re vindicavit etiam Jacob. Bruckerus sup. laud. in nota ad n. 4.

(c) Ita nonnulli apud S. Thomam Lib. I. *Summæ contra Gentiles* cap. 12. & quæst. 10. de *veritate* art. 12. Ita etiam opinatus fuit Cardinalis Petrus de Alliaco sæc. XVI. in 1. part. quæst. 3. art. 8. & ante eum Gabriel Biel Lib. I. *Sentent.* dist. 2. quæst. 20. art. 2. quos postea secuti sunt Faustus Socinus *Prælectionum Theolog.* cap. 2. & Christophorus Ostorodus *Instit. Christ. religionis* c. 1. Præterea celebris fuit sæc. XVI. ea quorumdam opinio in Patavino Lyceo, *unicum medium Philosopho naturali ad demonstrandum, dari primum motorem a materia distinctum, esse motus æternitatem, quæ quia non datur, ut fide divina certi sumus, sequitur, primum demonstrari non posse natu-*

dem *a priori*, seu *per causam*, cum Dei nulla sit causa; sed *a posteriori*, seu *ex effectibus*.

10. Nec desunt etiam, qui contendunt *a priori* ostendi posse, Deum esse, nempe ab existendi necessitate, quæ in idea Dei, ceu entis perfectissimi continetur, & concipitur a nobis veluti fons, & essentia ipsius deitatis, quæ recte definitur *ens a se*. Volunt tamen alii, hoc demonstrationis genus non esse appellandum *a priori*, sed potius a *simultaneo*, quatenus hæc existendi necessitas non est proprie causa, ut Deus sit, potius ad ejusdem Dei essentiam pertineat. Sed quidquid de peculiari horum opinione sit:

11. Posse Deum ex effectibus perspicue colligi, etiam in Sacris Litteris aperte insinuatur.

Hæ enim nos sæpius monent, ut a rebus istis, quæ sensus nostros percellunt, ad Deum omnium auctorem cognoscendum, venerandumque assurgamus. Job XII. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Psalm. XVIII. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum*. Psalm. XCIX. ita David homines alloquitur: *scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos*.

12. Disertius autem Sapientiæ XIII. 1. dicitur, *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex .... a magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Ac denique, ut alia loca præteream, S. Paulus Rom. I. 20. ait, *invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles*.

13. Augustinus L. X. *Confessionum* cap. 6. hæc Apostoli verba etiam de amore, quo Deum prosequi tenemur, merito interpretatur, quia Dei cognitio ad ejusdem Dei amorem nos ducere debet. *Cælum*, inquiebat S. Pater, *& terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant omnibus, ut sint inexcusabiles*.

14. Hæc, atque id genus alia Scripturæ Sacræ loca eos saltem convincere debent, qui divinam revelationem agnoscunt, negant tamen posse ex creaturis ostendi, Deum esse. Sunt quidem aliqui, qui ea Sacr. litterarum testimonia non de cognitione demonstrativa, sed de probabili tantum conjectura, qua possumus ad aliquam Dei cognitionem assurgere, commode explicari posse, arbitrantur (a); bona tamen, & melior Interpretum pars de certa, ac demonstrativa Dei notitia ea intelligit.

15. Prob. 2. ratione S. Thomæ I. P. quæst. 2. art. 2. Demonstratio a *posteriori*, seu ut eam appellat Angelicus post Aristotelem demonstratio *quia* (ὅτι) est, quando ex effectu, prius cognito, procedimus ad cognoscendam existentiam causæ: effectus enim sine causa existere nequit. Cum itaque contemplamur hoc universum, quod a Dei virtute creatrice dependet, estque ipsius effectus, facile ex hac contemplatione ad cognoscendam existentiam primæ illius causæ, nempe Dei, pervenire possumus.

16. Accedit 3. unanimis Sanctorum Patrum (b) ac omnium pene Theologorum, paucissimis demtis, consensus, quem tantæ auctoritatis esse putat Melchior Canus L. VIII. *de locis Theologicis* cap. 4. ut sine temeritatis nota contemni non possit (c).

17. Accedit denique & Philosophorum suffragium, qui invictis argumentis Deum esse demonstrarunt; & si qui hoc nostro ævo contra sentiunt, jam communi vocabulo non Philosophi merito nuncupantur.

18. Nostra etiam sententia videtur ad pietatem non parum conferre, ut nempe *invisibilem Deum per visibilia opera miremur, & .... etiam illum invisibiliter videre cupiamus*, quemadmodum inquit S. Augustinus Tract. XXIV. in Joan. 1. Tom. III.

19.

*raliter: sed ad hoc opus esse Dei contactu peculiari*. Hæc Claudius Berigardus in proœmio *Circulo Pisani*. Hujus autem sententiæ patronum dicitur fuisse Jac. Zabarellam, illustrem illius ævi Philosophum in suo opere *de rebus naturalibus*. Ridendus autem potius, quam confutandus est Voltairius dum in Epist. XXV. *sur les pensées de M. Paschal* temerarium esse dicit, & perniciosum naturalibus rationibus ostendere, Deum esse.

(a) Confer Franc. Sylvium in I. P. S. Thomæ quæst. 2. art. 2. & Gabriel. Vasquezium in eamdem I. P. quæst. 2. disput. 20. cap. 3. In quodam etiam libro gallico, cui titulus *Analysis divinæ providentiæ*, ita aperte asseritur *quantumcumque clament creaturæ, Deum esse, suadent, non probant, & problematicæ tantum rationes ex earum aspectu sumi possunt*. Quæ sententia omnino damnanda, & explodenda est.

(b) Vid. Guill. Estius in L. I. *Sententiarum* dist. 3. §. 3. S. Augustinus inter alios hoc sæpius commemorat; ut cum Lib. XV. *De Trinitate* c. 4. (T. VIII.) ita ait: *neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis. quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit &c.*

(c) Non desunt, qui scientiæ contrariæ notam hæreseos inurant. Videri possunt Bannez in I. P. Sanct. Thom. quæst. 2. art. 2. & P. Marinus Marsenus in *Quæst. & Comment. in Genesin* c. 1. vers. 1. 42.

19. Objicies 1. ( cum Socino in *Prælect.* cap. 2. ) Religionis nostræ dogmata non rationibus monstrari, sed humili mentis obsequio credi, & adorari debent; atqui primum, ac fundamentale Religionis nostræ dogma est credere, Deum esse: ergo &c. Major est certa præcipue ad mentem Thomistarum, qui negant, posse fidem cum evidentia componi. Minor autem prob. 1. ex Apostolo Hæbr. XI. 6. dicente: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*. Secundo ex Apostolorum symbolo, cujus primus articulus est: *Credo in Deum Patrem Creatorem cœli, & terræ;* atque hæc fidei confessio non solum a rudibus, sed etiam a Theologis exigitur. Tertio ex S. Athanasio, qui in epist. I. ad *Serapionem n.* 20. *Divinitas*, inquit, *non demonstratione rationum traditur, sed fide, & pia cogitatione cum religione*. Quarto ex S. Augustino, qui, Lib. XI. de *Civitate Dei*, cap. 4. Tit. VII. *Mundum*, inquit, *esse conspicimus, Deum esse credimus*. Demum ex Clemente Alexandrino, qui frequenter in libris *Stromatum* docet, Deum esse, fide credi oportere, ratione demonstrari non posse.

20. Resp. S. Thomas 1. P. q. art. 2. ad 1. *Deum esse, & alia ejusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I., non esse articulos fidei, sed præambula ad articulos;* nempe respectu eorum, qui horum demonstrationem habent. *Nihil tamen prohibet*, subdit Angelicus, *illud, quod in se est demonstrabile, & scibile, ab aliquo accipi, ut credibile, qui demonstrationem non capit*.

21. Apostolus autem Hebr. XI. loquitur de cognitione Dei, non solum prout auctor est naturæ, sed etiam, immo multo magis prout est auctor gratiæ, & largitor gloriæ, quomodo nonnisi per revelationem innotescit. Loquitur enim de illa fide salutari, *sine qua impossibile est placere Deo*, & per quam veteres Patriarchæ justificati, & salvati sunt; quæ certe fides est supernaturalis, & habet pro objecto Deum gratiæ & gloriæ largitorem.

22. Idem dicendum est de primo symboli articulo, ubi statim additur: *Patrem*, quod duobus modis potest intelligi, videlicet vel respectu nostrum, quibus per gratiam datum est, *ut filii Dei nominemur, & simus* ( epist. I. S. Joann. III. 1. ) vel ad designandam primam sanctissimæ Trinitatis personam, unde postea in altero symboli articulo subditur: *& in Jesum Christum Filium ejus unicum* ( confer Catechismum Rom. de primo symboli articulo ).

23. Idem etiam dicatur de S. Athanasio, quem plusquam certum est ibi agere de Deo, prout comprehendit Trinitatis mysterium. Reprimit enim Pneumatomachorum vitilitigandi pruriginem, qui, ut Spiritus Sancti divinitatem impugnarent, plures vanasque in medio ponebant philosophicas cavillationes; quibus proinde merito respondet: *Divinitas*, hoc est divinum Trinitatis mysterium, *non demonstratione &c.* Caterum S. Athanasius in eloquenti illa *Oratione contra Græcos* ex creaturis plura, & fortissima argumenta elicit, ut evincat, Deum esse.

24. S. Augustinus non videtur ibi sumere fidem, prout opponitur demonstrationi; sed prout opponitur visioni corporali, qua mundum oculis conspicimus, & qua certe Deum intueri non possumus. Respectu etiam multitudinis hominum, qui subtiles demonstrationes non intelligunt, vere dici potest, ab iis *Deum credi*, non autem videri.

25. Clemens demum Alex., & fortasse nonnulli alii dixerunt, Deum demonstrari non posse, scilicet demonstratione *a priori, & per causam*, quam solam veram & propriam demonstrationem nominabant (*a*). Unde idem Clemens lib. V. *Stromatum* scientiam demonstrativam definit, *quæ ex prioribus constat, & certioribus:* & postea subdit: *nihil est autem ante id, quod ingenitum est*. Demonstratio tamen *a posteriori*, & ex effectibus vera demonstratio est, nempe talis, quæ firmissimam in nobis pariat certitudinem.

26. Inst. I. Apostolus loquens de Philosophis, quos naturali rationis lumine Deum cognovisse nos dicimus, inquit Rom. I. 19. *quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit:* non aliunde igitur, quam ex divina revelatione in Dei cognitionem venerunt. Quamobrem etiam S. Prosper in epist. *ad Demetriadem* negat, contemplationem creaturarum quidquam prodesse ad cognoscendum Deum *nisi summus, & verus agricola* ( nempe Deus ) *potentiam sui operis adhibuerit* (*b*).

27. Resp., Hæc Scripturæ Sacræ, & Sanct. Patrum dicta esse intelligenda non de revelatione vera, & *propria*, quasi sine illa non possimus certo cognoscere, Deum esse, sed de auxilio aliquo divino, sine quo nihil possumus. Vel etiam nonnumquam agitur de cognitione Dei pura ab omni errore, & quoad fieri potest, perfecta: qualis certe sine divinæ revelationis lumine haberi non potest. Hinc veteres Philosophi eo lumine destituti, quamvis Deum esse certo cognoverint, de ejus tamen natura admodum pauca cognoverunt, immo in maximos, turpissimosque errores, lapsi sunt.

28.

(*a*) Aristoteles Lib. I. *Analiticorum posteriorum* cap. 2. *necesse est*, inquit, *demonstrativam scientiam ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis*.

(*b*) Alia Script. Sacræ, Sanctor. Patrum loca affert Estius in Lib. I. *Sententiarum* dist. 3. §. 6.

28. Inst. 2. Si ita res se habet, melius erit hominis illiterati conditio, qui Deum esse fide supernaturali credit, quam Theologi, aut Philosophi, qui eum demonstratione cognoscit, certitudo enim fidei est multo nobilior, & longe major qualibet alia certitudine morali. Ulterius magnum est fidei meritum: nullum autem scientiæ.

29. Resp. Id non consequi; neque enim putandum est, Theologo, aut Philosopho deesse certitudinem fidei, qua creditur, Deum esse. Non habent illi quidem fidem, quæ cum obscuritate conjuncta est, habent tamen certitudinem fidei, quæ non pugnat cum certitudine evidentiæ, sed illam confirmat. Neque etiam carent merito fidei, dummodo ita animo sint comparati, ut etiamsi evidentia demonstrationis deesset, intellectum tamen captivarent in obsequium fidei (*a*).

30. Obj. secundo. Nulla est Deum inter, & creaturas proportio: Deus enim est ens necessarium, & infinitum, creaturæ autem sunt contingentes, & finitæ: ergo &c.

31. Resp. cum S. Thoma I. P. quæst. 2. art. 2. ad 3. *per effectus non proportionatos causæ non posse perfectam cognitionem de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu posse manifeste nobis demonstrari, causam esse: & sic ex effectibus Dei posse demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam*.

32. Inst. primo. Major est proportio inter Angelum, & hominem, quam Deum inter, & creaturas: atqui ex quo homines existant, non potest colligi, esse Angelos; ergo etiam &c.

33. Resp. Inter hominem, & Angelos esse majorem proportionem, seu similitudinem *charitatis* non autem *habitudinis* effectus ad causam, quia Angeli non sunt causæ hominum, sicuti est Deus causa creaturarum. Hinc fit, ut ex creaturis possimus evidenter cognoscere, Deum esse, quia Deus est illarum causa effectrix.

34. Instit. secundo. Non possumus ex creaturis cognoscere naturam Dei: ergo neque existentiam ipsius Dei, quæ unum, idemque est cum ejus natura.

35. Resp. cum S. Thom. Lib. I. *contra Gentiles* cap. 12. non posse nos ex creaturis assurgere ad cognoscendum illud esse, quo Deus in seipso subsistit; quod nobis, quale sit, ignotum est, sicut ejus natura; posse tamen nos cognoscere, Deum esse, saltem eo modo, quo illum existere rationibus convincimur. Deum existere scimus; quomodo autem existat, tum solum cognoscemus, quando *videbimus eum*, *sicuti est* (1. epist. S. Joan. III. 2.). Et si hoc argumentum valeret, id valeret etiam, ut neque revelatione Deum esse, cognosceremus. Neque enim revelatio satis clare nos docet, cujusmodi sit illud Dei esse, quod cum ejus natura unum idemque est. Vide etiam S. Thom. quæst. VII. de *potentia* art. 3. ad 1.

36. Inst. tertio. Creaturæ, ut existant, non exigunt causam infinitam, & necessariam, cujusmodi est Deus, sed finitam, & contingentem: ergo &c.

37. Resp. Creaturas non exigere quidem causam proximam, & *immediatam*, quæ infinita sit, & necessaria; exigere tamen, ut prima sui ipsarum causa sit necessaria, & infinita, ut infra uberius ostendetur.

38. Obj. tertio. Deus & creaturæ sunt duo correlata; atqui unum correlatum non potest demonstrari per aliud: demonstratio enim est progressus de re nota ad ignotam; *relativa autem sunt simul tempore, & cognitione*, ut habet philosophicum effatum: ergo &c.

39. Resp. Creaturas *reduplicative* ut tales, relationem utique involvere ad Deum creatorem; eas proinde ita consideratas non posse prius cognosci, quam Deum creatorem: nihil tamen prohibet, quin creaturas consideremus in seipsis, ut res contingentes, quæ cum a seipsis esse non possint, nos manuducunt ad cognoscendam primam earumdem causam, nempe Deum.

40. Obj. quarto. Prima veritas non demonstratur, & Aristoteles ajebat (Lib. II. *Physicorum* Cap. 1. textu 6.), ridiculum esse, naturam velle demonstrari; atqui Deus est prima veritas: ergo &c.

41. Resp. Non demonstrari primas veritates, seu prima scientiarum principia, quæ ex se ipsis nimis evidenter patent; demonstrari autem posse, Deum esse contra eos, qui id negare audent, saltem demonstratione *a posteriori*. Et hoc modo etiam naturam demonstrari posse, non dubito; quamvis propter nimiam evidentiam hæc demonstratio esset supervacanea.

42. Obj. ultimo. Vera demonstratio procedere debet ex præmissis necessariis, sed nihil eorum, quæ

(*a*) S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 10. *Cum homo*, inquit, *habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & super ea excogitat, & amplectitur, si quas rationes ad hoc invenire potest; & quantum ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei, sed est signum majoris meriti*. Et ad I. explicans illud S. Gregorii M. *fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, inquit, hoc esse intelligendum, *quando homo non habet voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, nisi propter rationem inductam. Quando autem homo habet voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, ex solo auctoritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc, quod est, Deum esse, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei*.

quæ nostris sensibus objiciuntur, est necessarium: ergo &c.

43. Resp. Res hujus mundi non esse quidem necessarias necessitate *absoluta*, ita ut omnino repugnet, eas non esse; habere tamen necessitatem saltem *hypotheticam*, impossibile est enim ut simul sint, & non sint; & hoc sufficit, ut possimus ex iis nos ipsos attollere ad cognoscendum primum earum auctorem, nempe Deum.

## CAPUT II.

*Deum reipsa existere variis argumentis ostenditur, & primo quia res omnes hujus universi contingentes sunt, luculenter demonstratur, esse præter illas aliud ens summe, & omnino necessarium, nempe Deum infinitis perfectionibus cumulatissimum.*

44. Duo in demonstrationibus, quibus ostenditur contra Atheos, Deum esse, vitia sedulo vitanda sunt: alterum eorum, qui novas, sed minus firmas, solidasque rationes afferunt, quæ non immerito ab aliis repudiantur. Dum enim argumenta nutant, quibus aliqua veritas innititur, etiam veritas ipsa aliquibus minus peritis, vel ejus osoribus nutare videtur (*a*).

45. Alterum vitium adhuc perniciosius est eorum, qui ut novis demonstrationibus majorem auctoritatem concilient, antiquas aliorum rationes vel ipsa vetustate corroboratas parvi pendere, immo & rejicere audent. Facile enim quisque intelligit, quantum ex domesticis istis dissidiis communes hostes lucrentur (*b*).

46. His igitur declinatis vitiis, ac veterum vestigiis insistentes, quatuor argumentis Deum esse ostendemus, scilicet primo ex quo res omnes in hoc mundo sint contingentes; secundo ex motu; tertio ex mirabili hujus mundi structura; postremo ex unanimi hominum consensu.

Et primum quidem argumentum in hoc capite expendemus, reliqua in sequentibus. Adsit nobis propitius Deus ipse, ut hanc veritatem, quæ totius Religionis primum caput est ac fundamentum, plena in luce collocemus, & ab Atheorum cavillis perspicue vindicemus.

### PROPOSITIO

*Deum esse, demonstratur ex omnium rerum, quæ in mundo sunt, contingentia.*

47. Prob. Adeo certum & evidens est, extitisse a tota æternitate aliquod ens *increatum*, & *a se*, *intrinsece*, *absolute*, & *omnino necessarium*, ut nemo sanæ mentis id possit inficiari, aut in dubium revocare; atqui hoc ens *æternum*, *increatum*, *a se*, nihil eorum est, aut esse potest, quæ in hac rerum universitate continentur: esse igitur debet aliud quidpiam a tota hac rerum massa diversum, nempe princeps illa, atque infinita omnium causa, quam Deum nominamus.

48. Major propositio probatione non indiget, sed declaratione. Dicitur primo, *aliquod ens a tota æternitate fuisse:* quia si nihil omnino aliquando fuisset, etiam modo nihil esset: quoniam ex nihilo, & a nihilo nihil prorsus nasci, & effi-

(*a*) S. Augustinus in libro *de duabus animabus contra Manichæos c.* 9. (Tom. VII.) de se ipso fatetur, ex imperitia Christianorum, quibuscum disputabat, fuisse se aliquando in suis erroribus confirmatum. Unde merito monet Angelicus in *Quodlibeto* III. art. ult. in rebus fidei probandis ab infirmis argumentis esse omnino abstinendum. Sed ut ad rem nostram propius accedamus, nemo ignorat, quas turbas inter Theologos, & Philosophos excitaverit illa demonstratio Carthesii, qua Deum esse probat ex ipsa entis summe perfecti idea; in ea enim necessario existentia relucet. Illam multo antea sibi proposuerat, & refutaverat S. Thomas I. P. quæst. 2. art. 1. ad 2. & Lib. I.° *contra Gentiles* c. 10. & 11. quod etiam a Leibnitio observatum est in *Actis Eruditorum* 1694. mense Novembri pag. 539. Eamdem postea impugnarunt Garrendus T. III. *Disquisitionum metaphysicarum* contra Carthesii meditationem V. dubit. 2. Petrus Daniel Huetius in *Censura Philosophiæ Carthesianæ* c. 4. §. 8. Laur. Moshemius in notis ad *Systema hujus universi intellectuale* Rad. Cudworthi ad cap. 5. sect. 1. §. 100. Aliique recensiti a Jo. Alb. Fabricio in *Delectu argumentorum*, & *syllabo Scriptorum de veritate Religionis Christianæ* cap. 10. Præcipue autem commemorandus venit Sam Werenfelsius, Professor Basileensis, qui cum peculiarem hac de re edidisset disputationem, ejus *Opusculis Theologico-philologico-philosophicis* postea insertam, gravem habuit cum Swicero Professore Tigurino atque etiam cum Jaquelotio concertationem. Carthesii partes defendendas quoque susceperunt Ant. le Grand. *Instit. Philosoph.* Quæst. 11. art. 3. Herm. Alexand. Rovelius *de religione naturali*, aliique non pauci. Cæteras de novo inventas rationes contra Atheos, utpote minus celebres, commemorare operæ pretium non est.

(*b*) Nic. L'Herminier communiter reprehenditur, quod in *Tract. de Deo* quatuor demonstrationes, quibus S. Thomas I. P. quæst. 2. art. 3. Deum esse evincit, nullius roboris esse contenderit, quæ tamen omnium fere Theologorum calculos promeritæ fuerunt. Etiam Christianus Wolfius in *Ratione Prælectionum in Matth. & Phil. Univers.* Edition. sec. Halæ Magdeb. 1745. in 8. cap. 3. sect. 2. nonnisi illud argumentum, quod ex rebus contingentibus depromitur, efficax esse putavit, in cæteris omnibus aliquod vitium sibi adinvenisse visus est; qua etiam de causa vapulavit ab infensissimo ejus hoste Joach. Langio in *modesta disquisitione novæ philosophiæ systematis de Deo, mundo, & homine &c.* tum passim in *Causa Dei, & Religionis naturalis adv. Atheismum*. Missos facio nonnullos alios minorum gentium Theologos, ac Philosophos, qui veteribus firmissimis demonstrationibus novas suas, minusque solidas substituentes, Atheis gloriandi ansam præbuerunt, quasi *invictis argumentis impugnari nequeant*.

fici potest (a). Dicitur secundo, hoc ens, quod a tota æternitate existit, debere esse *increatum*, *& a se*, seu a nulla causa productum; quandoquidem si ab aliqua alia causa processisset, aliquando non esset: non igitur æternum. Ulterius vel illa hujus entis causa, esset increata, & a se, vel non: si primum, existit igitur a tota æternitate aliquod *ens increatum*, *& a se*: si secundum, esset progrediendum in infinitum, ita ut singulæ res in hac serie infinita aliquam causam haberent, omnes autem simul sumptæ nullas prorsus: quod si bene perpendatur, manifestam involvit repugnantiam, quod infra uberius ostendetur. Dicitur denique hoc ens *absolute*, *intrinsece*, *& omnino necessarium*; si enim dicatur esse *contingens*, potuit esse, & non esse, atque ad utrumlibet erat indifferens (ita enim communiter accipitur, & definitur ens *contingens*): ab alia igitur causa debuit determinari, ut esset. Confer S. Thomam Lib. II. *contra Gentiles* cap. 13.

49. Probanda itaque non superest nisi propositio minor primi syllogismi, quæ sola ab Atheis negari potest. Id dicimus *absolute*, *intrinsece*, *& omnino necessarium*, quod tale est, ut ejus oppositum ne fingi quidem possit; sic ex gr. triangulum tribus lineis, totidemque angulis necessario constare dicimus, quia oppositum ne in cogitationem quidem cadit; ac vero nihil eorum, quæ in hac rerum universitate reperiuntur, est hujusmodi. Etenim hæc absoluta existendi necessitas vel toti mundo tribuitur, vel materiæ, ex qua mundus constat; neutri autem convenire, facile ostenditur.

50. Ex mundo quidem non convenire, vel ex eo solo liquet, quod mundus nihil est aliud, quam tota singulorum entium complexio: at vero plurima hujus mundi entia mutabilia esse, corruptioni, generationique obnoxia, res est longe manifestissima, & quotidiana experientia nobis comprobata. Immanes etiam factas esse hujus terraquei globi variationes, & ex historiis discimus, & ostracea altissimorum montium visceribus reperta, atque integræ, magnæque civitates terræ hiatibus olim absorptæ, post autem detectæ luculenter ostendunt: unde facile concipimus, etiam totam mundi faciem posse mutari, & susdeque verti, quin ullum inde sequatur absurdum; adeoque mundum contingentem esse, non necessarium. Addo, multis argumentis nobis suaderi, mundum hunc non solum æternum non esse, sed nec admodum multa sæcula numerare; qua de re loco opportuniori redibit sermo.

51. Multo autem minus hæc existendi necessitas nudæ materiæ, ex qua mundus conflatus est, tribui potest. Nam primo nulla in idea materiæ relucet existendi necessitas, & tam facile imaginari possumus materiam non existere, sicuti imaginamur, mundum in antiquum chaos, vel in nihilum redigi. Præterea, ut recte colligit Cardinalis de Polignac, non repugnat unam partem materiæ seorsum acceptam non existere: ergo etiam non repugnabit, alias successive, atque alias partes, ac demum totam materiæ massam, ut ut immanem destrui; quandoquidem nulla major existendi necessitas apparet in tota materiæ massa, quam in partibus (b). Tertio ens *absolute*, & omnino necessarium, quod a seipso existit, omni debet esse perfectionum genere cumulatum, & undequaque infinitum. Ut enim S. Thomas I. P. qu. 4. art. 2. profunde observat, *cum Deus sit ipsum esse per se subsistens, oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat.* Quis enim huic enti limites, aut modum imponere potest? Quis definire, ut certos habeat perfectionum numeros, plures majoresque non habeat, cum a nulla omnino causa dependeat, ut existat? At vero ridiculum plane esset, atque omnino insanum, materiam dicere omni possibili perfectionum genere donatam, cum potius ens sit informe, homogeneum, iners, passivum, omnique perfectione carens. Ulterius quis ignorat, materiam esse perpetuis mutationibus obnoxiam? Quæ certe mutatio in ens perfectissimum non cadit (c).

52.

(a) S. Thomas I. P. quæst. 2. art. 5. *Si omnia*, inquit, *sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset: quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse, & sic modo nihil esset, quod patet esse falsum.* Nec controversia cum Atheis est, aut esse potest, an aliquid a tota æternitate extiterit, sed an hoc, quod dicimus semper fuisse, sit illud ens perfectissimum, quod Deum nominamus.

(b) In *Anti Lucretio* Lib. III. v. 157.

*.... Hæc atomus, quæ nunc mihi jungitur, esse*
*Ut sine me poterat, poteram sic esse sine illa.*
*Quod si unam e rerum natura expungere possim,*
*Expungam geminas, expungam quatuor, omnes*
*Denique. Namque omnes nihil excellentius in se,*
*Naturam, quod spectat, habent, quam parvula quidquid*
*Ac simplex atomus revera possidet omnes.*
*Nulla igitur per se, si per se non fuit una.*

(c) Isaac Beausobrius in *Histoire critique des dogmes de Manichée* P. II. lib. 3. ch. n. 4. vult, ut credamus, veteres Ecclesiæ Patres, uno excepto Dionysio Alexandrino, hanc omnium perfectionum cum ente necessario & *per se* subsistente connexionem ignorasse. Sed se in operibus Sanct. Patrum peregrinum ostendit. Hanc enim connexionem quamplurimi eorum agnoverunt. Dionysius vulgo *Areopagita* in c. 13. *de divinis nominibus* hanc affert rationem, cur Deus summe perfectus sit; quia *seipso perfectus, & per se a seipso uniformiter definitur*. S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone* num. 5. *solus Deus est*, inquit, *qui nec genitus sit, nec corruptioni obnoxius, ac propterea Deus est...*

52. Neque huic invictæ rationi obest, essentias rerum esse *omnino*, & *absolute* necessarias, quin tamen inde sequatur eas esse omni perfectione donatas. Non inquam id obest. Neque enim essentiæ rerum sunt *suum esse*, vel a seipsis existunt; ut proinde nihil *de perfectione essendi* possit eis deficere. Sed pendent a causa prima, nempe Deo, ut existant, a quo proinde potuit, & debuit earum perfectio certis limitibus determinari. Uno verbo essentiæ rerum sunt necessariæ quantum ad internum attributorum nexum, qui destrui non potest, nisi sublatis ipsis essentiis; non autem quantum ad existentiam, quam non habent a se, neque a se habere potuerunt. Ens autem a se existens *totam perfectionem essendi in se continet*; adeoque &c.

53. Dices. Hæc alicujus entis necessitas potest inveniri in natura rerum contingentium sumpta *indeterminate*; licet enim singulæ res sint contingentes, si *determinate* sumantur; possunt tamen esse necessariæ, si *indeterminate* accipiantur. Sic dicere possumus, neque oculum dextrum, neque sinistrum esse *determinate* necessarium ad videndum; inde tamen non consequitur, neutrum oculum *indeterminate* esse ad videndum necessarium.

54. Resp. Id verum esse de rebus, quæ tantum *hypothetice* sunt necessariæ, ut apparet in allato oculorum exemplo, qui non sunt absolute, & omnino *in se* necessarii, sed solum in hypothesi ad videndum. Longe vero aliter est philosophandum de rebus, quæ statuuntur *in se omnino & absolute necessariæ*, qua necessitate debuit aliquod ens a tota æternitate a seipso existere, ut ostensum est.

55. Obj. primo. In nostra demonstratione probatur, hoc universum esse contingens, quia singulæ ejus partes sunt contingentes; atqui vitiosa est inductio a partibus ad totum; seu ut loquuntur Logici: *a sensu distributivo ad collectivum:* quemadmodum vitiose quis ita ratiocinaretur: *quilibet miles non est exercitus: ergo nec tota militum multitudo non est exercitus*. Ex quo igitur singulæ mundi partes sint contingentes, colligi non potest, totum hoc universum esse contingens.

56. Resp. Vitiosam esse inductionem a partibus ad totum, seu a particularibus ad universale in prædicatis *accidentalibus*, maxime vero *quantitatis*, ubi attributum crescit multiplicatis subjectis; non autem in prædicatis *essentialibus*, quæ ad ipsam rei naturam spectant, & ita singulis individuis conveniunt, ut ab iis nec tunc separari possint, quando in unam veluti massam coeunt, totamque collectionem componunt. Collectio enim omnium partium in unum earumdem naturam non tollit, aut mutat. Jam vero bene perpensa cujuslibet rei in hoc universo natura, illam videmus contingenter existere, ita ut a seipsa neque extiterit, neque existere potuerit, nec illius destructio repugnat: quidni ergo etiam contingens dicatur totum hoc universum, quod nihil est aliud, quam immanis contingentium individuorum collectio?

57. Inst. Etiam in prædicatis *essentialibus* vitiosa est inductio a particularibus ad universale: nam quamvis hæc, aut illa determinata extensio, vel figura, sit corpori contingens, & possit ab eo auferri, non tamen inde fit, omnem omnino extensionem, aut figuram esse contingentem, ut possit corpus sine extensione, aut figura existere: ergo similiter, quamquam concedatur, singula entia hujus mundi esse contingentia, non inde sequitur, etiam esse contingentem totam entium collectionem.

58. Resp. neg. conseq. quia extensio, seu quantitas dimensiva, quam figura consequitur, quamquam non est attributum corporis *essentiale*, est tamen ut loquitur S. Thomas III. P. quæst. 77. art. 2. *prima dispositio materiæ*, ac proinde *naturaliter* nequit a corpore separari (a). Determinata autem dimensio, aut certa figura corpori est omnino accidentalis, ac proinde a corpore tolli pot-

*Hoc ipsum causa est, cur animæ & moriantur, & puniantur; nam si ingenitæ essent, nec peccarent, nec rursum feroces &c.* id est nullam omnino imperfectionem haberent. Tertullianus autem in libro *contra Hermogenem* eos, qui materiam increatam, æternamque fingebant, inde præcipue refellit, quod sequeretur, materiam *parem esse Deo*, & inter alia hæc addit c. 28. *Certe imperfectum non potest esse, nisi quod factum est ... ergo materia, quæ facta non erat, in totum imperfecta esse non potuit*. Theophilus Antiochenus Libro II. *ad Autolicum* n. 4. probat, materiam, si ingenita est, futuram immutabilem, & Deo æqualem. *Quemadmodum Deus*, inquit, *quatenus ingenitus, etiam immutabilis est, ita & materia si esset ingenita, immutabilis quoque, & Deo æqualis foret. Quod enim genitum est, verti, & mutari potest: ingenitum autem nec verti potest, nec mutari*. Methodius etiam apud S. Epiphanium *Heresi* LXV. *Quod nunquam productum est*, inquit, *huic inesse hæc omnia necesse est*. Denique, ut plures alios omittam, Lactantius Lib. II. *divinarum institutionum* c. 9. *Deus*, inquit, *ex seipso est ... & ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus*. Addi potest etiam Procopius Gazæus Scriptor sæc. VI. qui in suis *Comment. in Octacuchum* p. 8. inde probat, cœlum non esse æternum, *quia æternum quiddam incorporeum est, & forma carens: præterea nec compositum est, nec circumscriptum*. Et sane mirabile esset, id non vidisse antiquos Patres, quod vel ipso Bælio teste per se obvium est, & evidentissimum. In *diction.* artic. *Epicure* rem illustravit.

(a) Dixi *naturaliter*; nam *absolute* posse a Deo, corpus sua dimensione locali, & figura privari, ostenditur exemplo Corporis Christi in Sacramento altaris, quamquam, ut profunde docet S. Thomas III. P. quæst. 75. art. 4. etiam quantitas dimensiva Corporis Christi tota est in hoc Sacramento, non quidem, *ex vi Sacramenti*, sed *ratione realis concomitantiæ*; ex vi enim Sacramenti nonnisi substantia Corporis Christi est in hoc Sacramento.

potest. Quemadmodum igitur ita possimus recte colligere; *quælibet determinata extensio, aut figura a corpore tolli potest: ergo nulla certa dimensio, aut certa figura est corpori essentialis:* ita possumus etiam similiter dicere; *nulla hujus universi pars est necessaria: ergo nec totum universum est necessarium*.

59. Inst. secundo. Prædicatum *essentiale* intrinsecum cujuslibet entis compositi est posse corrumpi, atqui tamen concludi non potest, totam simul entium compositorum collectionem posse corrumpi, nam totidem alia entia illico generarentur, quia *corruptio unius est generatio alterius*, ut loquuntur Philosophi: ergo etiam in prædicatis *essentialibus &c.* Item in ratione *essentiali* singulorum possibilium est, ut creari a Deo possint, nec tamen inde efficitur, totam simul entium possibilium multitudinem, quæ est infinita, creari posse: ergo etiam in prædicatis *essentialibus* vitiosa est argumentatio a sensu *distributivo ad collectivum*.

60. Resp. primæ difficultati, eamdem prorsus esse rationem corruptionis omnium entium compositorum *distributive*, ac *collective*. Sicut enim nullum singulare ens corrumpi potest, quin aliud inde generetur, ita omnium collectio corrumpi non potest, quin nova aliarum formarum collectio inde exsurgat. Cæterum nulla est repugnantia, ut omnia simul entia composita nedum corrumpantur, sed in nihilum plane redigantur ea divina omnipotentia, qua olim ex nihilo extracta sunt.

61. Respondeo secundæ difficultati, non posse totam possibilium collectionem a Deo simul creari ob aliquas rationes extrinsecas, potissimum autem, quia hæc possibilium collectio est infinita: unde si produceretur, existeret *actu* numerus entium infinitus, quod fieri non posse philosophi docent (*a*).

62. Objicies secundo. Non repugnat, mundum ab æterno fuisse; at vero in hac hypothesi non oporteret devenire ad aliquod primum ens necessarium, & increatum, sed una res esset ab alia, & hæc rursus ab alia, quin ad primam causam unquam perveniretur: ergo &c. Prob. major, primo, quia bene multi philosophi, mundum ab æterno fuisse dixerunt (*b*): id autem iis in mentem nunquam venisset, si mundi æternitas repugnaret. Secundo ad probandam mundi æternitatem non pauca, nec infirma afferuntur argumenta, quæ saltem evincunt, mundum potuisse ab æterno esse (*c*). Tertio. Multo plures sunt, qui mundi æternitatem possibilem esse credunt. Immo S. Thomas I. P. quæst. 46. art. 2. probat, esse articulum fidei, non autem *demonstrabile*, vel *scibile*, quod mundus incœperit aliquando esse; & Lib. II. *contra Gentiles* cap. 38. data opera respondet illorum rationibus qui mundum non esse æternum conantur ostendere.

63. Resp. Dist. maj. Non repugnat mundum ab æterno fuisse increatum, & a se, *nego*; creatum tamen ab omnipotenti Deo, *omitto*. Ut ex S. August. (Lib. XI. *de Civitate Dei* cap. 4. S. Thomas observat I. P. quæst. 46. art. 2. ad 1.) *Philosophorum ponentium æternitatem mundi duplex fuit opinio. Quidam enim posuerunt, quod substantia mundi non sit a Deo; & horum est intollerabilis error, & ideo ex necessitate refellitur. Quidam autem sic posuerunt mundum æternum, quod tamen mundum a Deo factum dixerunt; non enim mundum temporis volunt habere, sed suæ creationis initium, ut quodam modo vix intelligibili sit factus. Id autem quomodo intelligam, innuerunt, ut idem dicit S. Augustinus* (Lib. X. *de Civit. Dei* cap. 31.) *Sicut enim, inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium quod a calcante factum nemo dubitaret, sic & mundus semper fuit, semper existente, qui fecit* (*d*).

64. Quamquam non desunt, qui hujus mundi æternitatem prorsus impossibilem putant. Et ipse S. Thomas non omnino improbat eos, qui dicunt non potuisse ab æterno homines creari. I. P. quæst. 46. art. 2. ad 8. Unde etiam Card. Cajetanus monet ibidem, concedendum non esse, potuisse mundum esse æternum quantum ad generationes humanas; quæ si ponantur æternæ, & infinitæ, necessum erit, infinitum in actu ponere. Sed de mundi æternitate disseretur suo loco.

65. Inst. Philosophi bene multi demonstrant, in

(*a*) S. Thomas I. P. quæst. 7. art. 4. probat impossibile esse infinitum in rebus secundum multitudinem; *quia omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis: species autem multitudinis sunt secundum species numerorum: nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum. Unde impossibile est, esse multitudinem infinitam actu, sive per se, sive per accidens... Sed esse multitudinem infinitam in potentia possibile est, quia augmentum multitudinis consequitur divisionem magnitudinis. Quanto enim plus aliquid dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Unde sicut infinitum invenitur in potentia in divisione continui, quia proceditur ad materiam, ut supra ostensum est* (art. præced.), *eadem ratione etiam invenitur in potentia in additione multitudinis*.

(*b*) Id ostendit Moshemius in Diss. *de Creatione ex nihilo* apud Rad. Cudworthum Tom. II. *System. intellectualis hujus universi* ad sect. 2. cap.

(*c*) Vide apud S. Thomam Lib. II. *Contra Gentiles* c. 32. & seq. tum apud Bened. Pereitium Lib. XV. *De communibus principiis*.

(*d*) Macrobius Libro II. *de Somnio Scipionis* cap. 10. *Mundum quidem, inquit, fuisse semper, Philosophia auctor est, conditore quidem Deo, sed non ex tempore*. Consule Petr. Dan. Huetium in Lib. II. *Quæst. alnetanarum* c. 5. & Sam. Clarkium *de l'existence de Dieu* T. I. c. 4.

in divisione *continui* progressum fieri in infinitum, ita ut nunquam perveniatur ad partem, quæ sit omnium prima, vel ultima: ergo similiter non repugnabit progressus in infinitum in rebus hujus mundi, ut una ex alia procedat, & nulla inveniatur prima omnium causa.

66. Resp. neg. conseq. Partes enim in *continuo* non sunt inter se colligatæ, ut una ex altera tamquam a causa sua pendeat, ac una sine altera esse nequeat. Contra sese habent res hujus universi; cum enim sint *contingentes*, aliquam sui causam exposcunt: oportet igitur, ut ex una causa ad aliam ascendamus, donec ad aliquam primam perveniamus, & necessariam, a qua ceteræ omnes originem trahunt. Quemadmodum si fingamus catenam ex alto suspensam, frustra quis diceret, unum annulum sustineri a superiore, illumque rursus ab alio usque in infinitum: oportet enim necessario concipere unum primum annulum, qui fulcro aliquo sustentetur, cæteros autem ipse sustentet, & quanto major fingitur annulorum multitudo, tanto fortius debet esse fulcrum, quo omnes simul sustineantur. Ita quo major est in hoc universo effectuum, eorumque causarum series, eo major esset debet primæ alicujus causæ, nempe Dei summi, vis, & efficacia, a quo omnia dependeant.

67. Objicies tertio. Nullam nobis possumus efformare ideam hujus entis infiniti, quod Deum nominamus, tum quia omnis nostra idea, utpote finita, arctisque limitibus conclusa, non potest ens infinitum exhibere; tum etiam quia omnis nostra cognitio oritur a sensibus, ut multi docent cum Peripateticis. Deus autem in sensus incurrere nullo modo potest. Si igitur nullam Dei notionem habere possumus, reipsa ignoramus, Deum esse. Addit autem auctor *impii naturæ systematis* ( P. II. cap. 5. ) *: Theologos ex iis attributis, quæ naturam constituunt, personam Dei effinxisse, eique postea aliquas proprietates tribuisse, quæ negativæ tantummodo sunt, infinitatem nempe, immaterialitatem, immortalitatem, immutabilitatem &c.*

68. Resp. Nullam certe claram, distinctam, & adæquatam ideam infinitæ Dei naturæ nobis inesse; unde recte S. August. ( in Psalm. LXXXV. n. 12. ) observabat, facilius nos dicere, quid Deus non sit quam quid sit. Non tamen inde sequi, nullam prorsus Dei notionem nos habere, ut nulla est rei non existentis notio. Cognoscimus eus infinitum, sed non in tota sua latitudine, quemadmodum qui cœlum intuetur, verissime dicit, se cœlum videre, non tamen totam, quæ late patet ejus amplitudinem. Ut autem aliquam infinitarum ejus perfectionum nobis imaginem efformemus, utimur *via remotionis*, removendo scilicet a Deo eas imperfectiones, quas in creaturis animadvertimus. Conf. S. Thomam Lib. 1. *cont. Gentiles* cap. 14. Sed ab adversariis, quia omnia claris, distinctisque ideis metienda esse volunt, sciscitur, ut nobis claram, distinctamque notionem exhibeant ejus materiæ, quam volunt esse improductam: aut æternitatis, in qua hanc materiam improductam extitisse comminiscuntur.

69. Porro hæc qualiscumque, quam Dei habemus, idea ortum habet a sensibus, non quidem *immediate*, cum Deus sub sensu non cadat, sed *mediate*, quatenus omnes creaturæ in sensus nostros incurrentes non cessant suo modo nos admonere, quærendam esse altiorem, & primam earumdem causam, quæ alia esse non potest, quam Deus infinite sapiens, & potens, qui pro sua ineffabili bonitate eas existere voluit (*a*).

70. Tam falsum est autem, quam quod maxime, quod nuperus atheus ( auctor *systematis naturæ* ) tanta confidentia asserit, nos *Dei personam ex iis attributis effingere, quæ naturam constituunt* (*b*). Immo contra, quia manifeste videmus, omnium harum rerum naturam nec dici posse, nec esse *ens a se*, immensum, & infinite perfectum, eo tandem perducimur, ut cognoscamus, esse Deum *naturæ* ipsius auctorem, sine quo nec ipsa esset, quam athei adeo decantant, *natura*; quin tamen ipsi probe sciant quid hoc nomine exprimant. Quod si infinitas Dei perfectiones negativis tantum vocabulis enunciare cogimur, id oritur ex nostri intellectus imbecillitate, qua non valemus infinitum comprehendere; intelligimus tamen, sub hac negatione aliquid positivum contineri, quamvis illud verbis exprimere non possimus. Sic ex. gr. cum dicimus ens infinitum, immensum, immateriale, concipimus ens, quod omnes perfectiones complectitur, omnia loca replet, & unum, simplexque est (*c*). Ceterum

(*a*) Non desunt tamen, qui ideam Dei nobis ingenitam esse doceant; quam sententiam illustravit eruditus Car. Witasse Tom. I. suæ *Theol. de Deo* quæst. 2. art. 1. & seq.

(*b*) Hac de re more suo nugatur P. II. cap. 2. not. 12. contendens, non hominem esse factum ad imaginem Dei, sed potius Deum ad imaginem hominis. Addit etiam inficetam observationem, quam tribuit Xenophani, bovem scilicet, aut elephantem, si artem pingendi aut sculpendi callerent, non aliam Dei imaginem effecturos, quam suam ipsorum propriam. Nugatur inquam impius ille atheus; quis enim sapiens, nisi anthropomorphita fuerit, imaginem humanam Deo tribuerit? Quod autem in sacris litteris dicitur, *hominem esse factum ad imaginem Dei*, explicabitur, ubi de hominis creatione agetur.

(*c*) Inepte prorsus Robinetus in suo opere *De la nature* P. V. eam analogiam, quæ inter infinitas Dei perfectiones & finitas virtutes hominum intercedere videtur, appellat *anthropomorphismum spiritualem*; nam ipsæ sacræ Litteræ eadem analogia quam sæpissime utuntur ad infinitas Dei perfectiones explicandas.

rum intempestivum est nobis hæc objici ab Atheis, qui suam materiam iisdem nominibus, quibus nos Deum, appellant, nempe *infinitam*, *improductam*, *indestructibilem*, *&c.*

71. Obj. ult. Deus, cujusmodi esse dicitur, est aggregatum perfectionum, quæ secum ipsis pugnant. Est enim sui ipsius principium, & finis, utroque carens, neutrius egens, utriusque parens, & auctor: regnat ubique sine loco; immobilis absque statu, pernix sine motu, bonus sine qualitate, sine quantitate magnus, totus sine partibus &c. ( ita eum definiebat Lucilius Vanini, ut nullum esse persuaderet ). Quis ulterius mente concipere valeat infinita ejusdem Dei attributa, quæ sibi contraria sunt, nec tamen se mutuo destruunt? Quomodo Dei misericordia, quæ infinita est in parcendo, possit cum justitia, quæ similiter est in puniendo infinita, coalescere? Quomodo perfectissima libertas cum omnimoda immutabilitate componatur? Qui itaque Deum ponunt, videntur chimæram inducere, cujus nulla similis fuit unquam a poetis, vel somniantibus conficta.

72. Resp. apparentes esse, non veras has contradictiones, quas Athei in Dei natura sibi fingunt, quæque inde oriuntur, quod materialem sibi efformant Dei ideam. Sed si a sensibus aliquantisper mentis cogitatione recedamus, facile intelligemus, quomodo ens increatum, summeque perfectum possit dici diverso sensu & sui ipsius principium, nempe *ens a se*, & simul omni principio carens, quia æternum est: quomodo immensitate sua omnia repleat, nec tamen ullo circumscribatur loco: omnia nutu suæ voluntatis moveat, quin moveatur ipse: ens sit omni perfectione cumulatissimum, sed sine ulla compositione, quæ secum affert imperfectionem.

73. Neque etiam aliqua pugna est inter infinita Dei attributa, quorum objecta diversa sunt, & sibi ipsis videntur contraria, neque enim hæc Dei attributa infinito modo sese exerunt, ut proinde eorum effectus, quamvis oppositi, simul existere nequeant. Sic misericordia Dei est infinita, non tamen infinito modo se exerit in parcendo; unde locum non præripit justitiæ punienti, quin illa quoque in peccatoribus pertinacibus reluceat. Quod si aliqua sint, quæ nostra infirma ratio simul conciliare non possit, cogitemus, id mirum non esse, quandoquidem in infinita, & incomprehensibili Dei natura nonnisi paucissima intelligere possumus. *Videmus* nunc Deum *per speculum in enigmate*; sed speramus eum postea nos visuros *facie ad faciem*, *&* *sicuti est*. 1. Corinth. XII. 12. & 1. Joann. 2. & tunc omnia simul mirifice componi, beatifica visione contemplabimur.

## C A P U T III.

### *Ex motu, qui in rerum natura apparet, demonstratur, Deum esse.*

74. Motum esse in materia, nemo nisi Scepticus negaverit; nam ut taceam de motu, quem in terra conspicimus, quis non videat, & non admiretur rapidissimas cælestium corporum conversiones, quæ vel minore, vel majore temporis intervallo ordinatissime absolvuntur? Immo tanta est in rerum natura motus necessitas, ut si ille tantisper cessaret, tota hujus mundi machina illico dissolveretur; atqui hujus motus origo nonnisi a Deo repeti potest, qui immobilis cum sit, omnibus rebus motum impertitur. Si enim Deus non est primus, & generalis omnium corporum motor, necesse erit dicere, aut corpora ab aliis moveri, & hæc rursum ab aliis usque in infinitum (*a*), aut motum esse materiæ congenitum (*b*): at vero utrumque repugnat.

75. Repugnat primo, corpora moveri unum ab altero usque in infinitum, quia ut moveretur aliquod corpus, necessario præcedere debuisset motus infinitus aliorum; at vero cum *infinitum sit impertransibile*, ut commune habet Philosophorum effatum, nullum corpus reipsa moveri posset. Alterius nulla esse ponitur causa istius motus infiniti; at vero absurdum est alicujus effectus nullam esse causam.

76. Nec etiam fingi potest, motum esse materiæ ingenitum, atque *essentialem*. Primo enim &

(*a*) Id dicit Benedict. Spinoza P. II. *Ethicæ* prop. 12. lemm. 3. his verbis: *Corpus motum, vel quiescens, ad motum debuit determinari, vel quietem ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.*

(*b*) Hermogenes, ut materiam increatam, ita & motum materiæ ingenitum ponebat. His verbis ejus sententiam exhibet Tertullianus in Lib. adversus ipsum c. 36. *Corporale enim materiæ vult esse, de quo corpora eduntur, incorporale vero inconditum motum ejus.* Multo ante Hermogenem motum esse materiæ ingenitum asseruerunt Democritus, Epicurus, & ii etiam Philosophi, qui materiam esse vita præditam arbitrabantur, dicti propterea *Hylozoitæ* ex Schola Stratonis; de quibus videri potest Rad. Cudworthus *in systemate intellectuali hujus universi* c. 1. §. & alibi. Hanc absurdam opinionem vetustate jam collapsam restaurare conatus est Jo. Tolandus in ep. 4. & 5. ad *Sirenam*, contendens; motum, aut saltem nisum ad motum esse materiæ *essentialem*, nullam proinde esse necessitatem Deum motus auctorem constituendi. Hunc eumdem errorem Athei fere omnes adoptare coguntur. Reipsa Auctor *Systematis naturæ* totum suum atheisticum systema illi superstruere videtur, volens primis materiæ elementis motum esse ingenitum, ex materia autem & motu totum hoc universum ortum esse. T. I. c. 2. p. 21. edit. Lond. 1771.

& intellectum concipi potest, & fortasse etiam est aliqua saltem materiæ pars perfecte quiescens, quod nec esse, nec intelligi potest, si motus esset materiæ congenitus, ac *essentialis*.

77. Repugnat quidem auctor *system. naturæ*, omnino contendens, nullam materiæ partem esse sine ullo prorsus motu, imo vult materiam sine motu concipi non posse. Sed communiter a Physicis materia dicitur indifferens ad motum, & quietem, ac utriusque capax. Unde etiam fluunt leges motus, quas constantes, & invariabiles esse Philosophi demonstrant. Nullam esse materiæ partem quiescentem, asseri quidem fidenter potest, ostendi autem luculenter non potest.

78. Præterea vel iste motus materiæ *essentialis* ad unam directionem tantum est, vel ad quamcumque. Si primum, debet esse aliqua ratio, cur motus materiæ ad hanc potius partem, quam ad aliam ingenitus sit: quæ certe ratio cum in materia ipsa esse non possit, utpote quæ seipsa indifferens est, an ad unum potius, quam ad alterum locum transferatur, debebit ab aliqua causa extrinseca repeti, quæ nulla alia esse poterit, quam ea, quæ primò materiæ motum impertita est. Si vero quis dicat materiæ motum esse ad quamcumque directionem, tunc non poterit materia suum locum mutare; nam hoc semper evenit, quotiescumque corpus a pluribus viribus contrariis, & æqualibus urgetur.

79. Sciscitor etiam ab Adversariis, cur non omnes materiæ partes eadem motus quantitate præditæ sint? Cur aliquæ citius, tardius aliæ moveantur? Hujus certe varietatis nulla reddi potest ratio, si motus materiæ ingenitus esse dicatur (*a*).

80. Restat ergo, ut ad aliquam primam causam confugiamus, quæ motum materiæ impresserit, tantum quantum voluit, & versus eam partem, quam voluit. Ipsa autem prima causa movens debebit esse immobilis, ne scilicet si eam quoque motam dicamus, debeamus iterum aliam ipsius motus originem quærere sine ullo fine. Hæc autem prima causa motus non est nisi Deus omnipotens, & sapientissimus, qui ut omnia creavit, ita omnibus certam motus quantitatem, certisque legibus impressit, ac conservat, ut pulchra hæc mundi structura fieret, & conservaretur, *& in quo omnes vivimus, & movemur, & sumus*, ut inquit Apostolus Act. XVII. 28. (*b*).

81. Neque demum est, ut Athei confugiant ad *nisum*, seu *conatum* ad motum, qui sit materiæ ingenitus. Nam præterquamquod nullam hactenus attulerunt solidam rationem, qua demonstrarent, hunc nisum oriri ex essentia materiæ, non autem illi esse ab aliqua externa causa impressum; ex hoc solo nisu nunquam sequetur motus, nisi alicujus agentis actio externa accedat: huic enim nisui semper correspondet æqualis aliorum corporum reactio, seu resistentia; unde oritur virium æquilibrium, & corporum quies (*c*). Si autem ad movenda corpora præter nisum materiæ requiritur aliud agens externum, tandem ad primum, & universalissimum, nempe Deum, erit deveniendum, ne cogamur abire in infinitum.

82. Accedit, hunc nisum debere aliquam directionem certam habere, quæ utique certa directio a materiæ natura oriri non potest, utpote quæ est ad omnem directionem ex se indifferens.

83. Obj. primo. Ideo repugnare dicimus, unum corpus ab alio moveri, & hoc rursus ab alio in infinitum, quia infinita corporum motorum series pertransiri non potest; hoc autem falsum es-

(*a*) Hoc argumentum eleganter versibus exornavit Card. Melchior de Polignac in suo *Anti-Lucretio* Lib. IV. v. 1393. & seq.

*Quidni, respondes, nativo jure moveri*
*Omnia dicantur? ....*
*Si nativus erit per sese in corpore motus,*
*Ut dos materiæ, qualis quantusve, rogabo.*
*Quam versus partem? lentusne, citusne,*
*Rectus, an obliquus? forsitan curvatus in orbem?*
*Nam cuncti esse simul nequeunt: unum esse necesse est.*
*Si talem, aut talem dicas, alium esse repugnat.*
*Nam secus esse nequit, natura quod ipsa poposcit.*
*Sed motus nullæ species cum corpore pugnant.*
*Cur ergo hanc per se præ cunctis corpus habebit,*
*Æquo jure aliam per se cum possit habere?*
*Hanc etiam cum per se habeat, variare nequibit,*
*Nam quod naturæ est, nulla est mutabile causa.*
*Sed motum semper variari posse videmus:*
*Ergo materiæ nativum haud esse videtur.*

Vid. etiam Sam. Clarckius *De l'existence de Dieu cap. 4.* Et mirum profecto est, auctorem *Systematis naturæ* hoc argumentum, quod palmare est, atque omnibus obvium, dissimulasse, dum perpetuo inculcat, motum esse materiæ insitum, & circulum esse æternum motus dati, & recepti.

(*b*) Leibnitiani tribuunt quidem suis monadibus aliquem nisum, quem Leibnitius vocat ἐντελέχεια πρώτη; & Newtonus ponit in materia vim attractricem. Sed hi omnes ab impietate Atheorum quam longissime absunt. Nisus enim monadibus a Deo impressus supponitur, quemadmodum etiam materiæ data dicitur vis attractrix. Neque Leibnitiani unquam docuerunt, potuisse iis solis viribus mundum sine ulla alia causa efformari.

(*c*) Vel ipse recentium atheorum dux, auctor scilicet *systematis naturæ*, id agnovit, *si il arrivoit un instant, que tout fut in nisu, tout resteroit éternellement dans cet etat, & il n'y auroit plus à toute éternité qu'une matière, & un effort*, un nisus; *ce qui seroit une mort éternelle, & universelle*, I. pag. ch. 2. p. 33. edit. Londin 1771.

esse deprehenditur vel in ipsa mundi creatione, qualis a nobis supponitur; in hac enim nostra hypothesi Deus post infinitum tempus mundum e nihilo extraxit, ita ut nos simus veluti in medio duarum æternitatum, scilicet illius, quæ præcessit, & alterius, quæ subsequetur.

84. Resp. Dici nullatenus posse, Deum *post infinitum tempus* creasse mundum, quasi infinita sæcula mundi creationem præcesserint; quod falsum omnino est, imo plane repugnans; sæcula enim ponerentur infinita, quorum finis haberetur in illo puncto, quo mundus conditus est. Neque etiam recte dicitur, nos esse intra duas æternitates, quarum una præcessit, altera sequitur; quis enim non videat manifestam repugnantiam, sive cum æternitas præteriisse dicitur, sive cum ei initium tribuitur? Æternitas enim & principio caret, & fine. Non itaque possumus concipere æternitatem ut tempus infinitum, quod per partes evolvatur, & successionem habeat, ac durationem infinitam, ut proinde consequatur, Deum creasse mundum, postquam tempus infinitum fluxerat: sed potius dicendum est, Deum creasse mundum simul cum tempore quod tunc solum incœpit.

85. Cæterum facilius dixerim, quid non sit, quam quid sit æternitas. Hæc post Boetium (*De consolatione Philosophiæ* Lib. V. prosa 6.) communiter definiri solet *interminabilis vitæ tota simul, ac perfecta possessio*: non est itaque quid successivum, sicuti est tempus, sed sicut loquitur Sanctus Thomas Lib. II. *contra Gentiles* capit. 45. *est duratio non habens partes, & simplex omnino, non habens prius, aut posterius, cum Deus sit immobilis.* (a).

86. Obj. secundo. Motus in idea materiæ necessario includitur: ergo est ipsi essentialis. Prob. ant. primo quia in idea materiæ relucet, ut divisibilis possit, quod non potest concipi sine motu. Secundo. Materia est subjectum qualitatum sensibilium, quibus fit ipsa sensibilis; omnes autem qualitates sensibiles ex motu oriuntur (b).

87. Resp. primæ diffic. Ut materia sit dividua, non requiri motum ipsum, vel conatum ad motum, sed tantum potentiam ad motum, ut nempe partes sejungi queant, divisionem autem ipsam, quando fit, sine motu vel discessu partium fieri non posse; ita tamen, ut motus sit causa divisionis, non divisionis effectus, quo fit, ut motus non possit dici materiæ *essentialis*, quia materia est dividua, sed potius dicere debeamus, materiam esse dividuam, quia ejus partes moveri possunt, & a se ipsis divelli.

88. Resp. secundæ difficultati: posito etiam, qualitates sensibiles ex motu oriri, aut saltem non haberi sine motu, omnemque materiam semper moveri, non tamen sequi, motum esse eidem materiæ sua natura inditum. Si enim hoc esset, ratio nulla reddi posset, cur diversi motus pro varietate, & intensione qualitatum sensibilium in eadem materia essent: cur eadem materiæ pars modo citius, modo tardius, modo ad unam, modo ad alteram plagam traheretur. Sane quia inertia, gravitas, extensio &c. proprietates sunt materiæ inseparabiles ejusdem etiam materiæ quantitati semper debita ratione respondens.

89. Dices primo. Omnes cujuscumque corporis partes sunt in perpetuo motu; ut enim Nevvtonus demonstravit, corpora omnium durissima, minus habent materiæ, quam pororum, per quos magnæ, & perennes fiunt exhalationes: motus ergo est materiæ *essentialis*, utpote ab ejus partibus inseparabilis, quemadmodum extensio materiæ essentialis esse dicitur, quia nulla est materiæ pars extensionis expers.

90.

(a) Huic communi fere omnium sententiæ (de qua inter alios consuli potest Dionysius Petavius T. I. *Theol. Dogmatum* L. III. c. 3. & 4.) reluctantur in primis Sociniani apud Jo. Adam. Scherzerum in *Collegio anti-Sociniano* disp. 5. thesi 4. deinde Arminiani, præcipue autem Simon Episcopius *Institutionum theol.* c. 9. T. I. Operum, Steph. Curcellæus in *Institutionibus religionis Christianæ* L. II. cap. 3. & Jo. Clericus in *Ontologia* c. 5. His addi possunt Petrus Gassendus L. I. *Physicæ* c. 2. Sam. Clarckius *Demonstration de l'existence de Dieu* c. 6. Tillotsonus ibidem citatus in nota. Hi omnes æternitatem successionis expertem concipere se posse negant. At si ita est, dicetur Deus modo plures annos, vel sæcula vixisse, quam quando mundum creavit; verum erit, infinitam instantium successionem in hoc, quo vivimus, instanti finem habuisse. Et si ultimum æternæ hujus successionis instans invenimus, cur non poterimus invenire primum? Hæc aliaque sunt absurda, in quæ delabantur necesse est, qui antiquam Scholasticorum, imo & Patrum definitionem æternitatis deserunt, quia non adeo facilis intellectu est. Sed quis sibi blandiatur, rem prorsus incomprehensibilem clara, distinctaque definitione complecti? Difficilis hujus controversiæ brevem aliquam notionem tradit Laur. Moschenius in nota 2. ad c. 5. sect. 1. §. 24. *Systematis intellectualis hujus universi* Rad. Cudworthi. Bælium nihil moror, qui in suo *Diction.* art. *Zabarella* rem H. Boetianam æternitatis definitionem multo magis incomprehensibilem dicit, quam *transubstantiationis* dogma. Rectius dixeris utrumque esse mysterium, quod nostræ rationis lumen quam longissime superat.

(b) Ita post Tolandum in Epist. v. *ad Sirenam* §. 4. nuperus auctor *Systematis naturæ*; qui ut fucum imperitis faciat, naturam cum materia confundit, & cum natura, qualis nunc est, non possit sine motu esse, concludit, etiam materiam nec concipi posse sine motu. Natura certe, prout hoc nomine venit omnium causarum complexio, non potest esse, aut concipi sine vi motrice, & activa, quam illi Deus in creatione indidit: sed materia ex se est iners, & ut iners a nobis concipitur.

90. Resp. etiamsi concedatur, omnes cujuscumque corporis partes esse in perpetuo motu, non inde effici, hunc motum esse materiæ ingenitum; sed potius dicere debemus, eumdem esse materiæ partibus communicatum. Et quamvis facile non sit causas in medium afferre, a quibus motus iste communicetur, cum tamen experientia constet, partes materiæ sensibiles non moveri, nisi ab aliqua causa impellantur ad motum, a qua causa etiam pendet & directio, & celeritas, inde certa analogia concludere possumus, etiam partes subtiliores, & insensibiles non ingenita vi, sed aliarum causarum impulsu determinari ad motum; a quibus etiam causis repetenda erit quantitas, & directio motus. Cum autem hujusmodi causarum series non possit esse infinita, oportebit tandem ad aliquam primam devenire, quæ sit totius motus origo, nempe ad Deum, qui omnia movet, ipse immobilis manens.

91. Dices secundo. Cum materia constet ex individuis omnino heterogeneis, ita ut nec duo inveniri possint sibi perfecte similia, necesse omnino est, ut in eorum mixtione motus oriatur, cum nempe ita adaptantur, ut in se mutuo agere, & reagere possint. Sic videmus, miscendo limaturam ferri, sulphur, & aquam, totum hoc mixtum primo calefieri, ac deinde inflammari. Hæc, aliaque id genus experimenta ostendunt, motum materia produci, atque augeri sine alicujus externi agentis concursu.

92. Resp. In hujusmodi fermentationibus originem motus semper esse externam (*a*). Nam primo semper opus est aliquo externo agente, a quo corpora illa heterogenea misceantur: ex se enim corpora illa nunquam sibi appropinquabunt ut unum agere possit in aliud. Deinde fermentationes istæ fieri creduntur mutua particularum attractione, quam attractionem esse in corporibus scimus, non tamen credimus esse materiæ ingenitam; & melioris notæ philosophi fatentur, illam a Deo esse inditam materiæ, & esse naturæ phœnomenon omnium obscurissimum.

93. Dices tertio. Cum non omnes materiæ proprietates essentiales nobis notæ sint, fieri potest, aliquam esse inter ignotas, ex qua necessario fluat ejusdem materiæ motus, vel conatus ad motum.

94. Resp. Frustra quæri motum in proprietatibus materiæ nobis ignotis, cum constet materiam ex sua natura esse indifferentem ad motum, vel ad quietem, & cum experientia nos doceat, materiam nunquam moveri nisi ab aliqua causa exterius impellente motum recipiat; a qua etiam causa oritur & directio, & quantitas motus. Frustra etiam auctor *systematis naturæ* distinguit motum totius massæ a motu particularum insensibilium, & contendit, primum oriri ab externis impulsibus, alium vero esse innatum; potius enim ex analogia colligere debemus, ut primum, ita etiam secundum ab externa aliqua causa semper esse communicatum; & quamvis non semper in promptu sit, hanc externam causam designare, debemus tamen saltem assurgere ad primam causam, nempe Deum, qui ad hujus universi pulchritudinem, motum materiæ & primo impressit, & perpetuo in ea conservat, varieque distribuit, & dirigit pro infinita sua sapientia, & potentia.

95. Obj. tertio. Si verum est hoc effatum: *quodcumque movetur, ab alio movetur*, nullum potest esse principium motus, sed erit usque in infinitum progrediendum, ut nulla sit prima causa movens, & non mota.

96. Resp. Hoc totum esse verum, si nihil sit præter hujus universi entia finita, & circumscripta; non autem si egredientes ab hoc universo causam inveniamus omnis motus infinitam, & omnipotentem, nempe Deum, qui immobilis ipse permanens omnia nutu suo ad motum impellit. Immo in hoc ipso vis nostri argumenti posita est, ut quoniam non possumus in motibus corporum usque in infinitum progredi, debeamus tandem ad aliquam principem causam pervenire, quæ immobilis ipsa permanens omnibus rebus motum arbitratu suo communicat (*b*).

CA-

(*a*) Bene observarunt, qui *systema naturæ* ad trutinam revocarunt, ejus auctorem, ut in pluribus aliis, ita in hoc capite, sibi apertissime contradicere. Nam I. P. cap. 2. & sæpe alibi, omnino statuit, nullum esse in natura motum *spontaneum*, sed quemlibet esse *acquisitum*, seu ab aliqua causa communicatum. Videri possunt inter alios Bergier *Examen du materialisme* à Paris 1775. vol. 1. in 12. T. I. cap. 3. & Job. de Castillon *Observations sur le livre intitulé systéme de la nature* c. 5. Berolini 1781. vol. 1. in 8.

(*b*) De hac demonstratione, qua ex motu ostenditur, esse Deum, agit S. Thomas L. I. *contra Gentiles* c. 13. & I. P. quæst. 2. art. 3. ubi eam vocat *viam manifestiorem* ad probandum, Deum esse. Ex recentioribus autem videri possunt P. Thomas Vinc. Moniglia in *Diss. contra Materialistas* P. I. sect. 2. §. 5. tum P. II. sect. 3. ubi multa eruditione hoc argumentum a veteribus Ecclesiæ Patribus tractatum ostendit; ac iterum P. III. sect. 2. Cheyne in suis *Principiis Philosophicis Religionis naturalis*, Bergier *dans l'examen du materialisme* T. I. c. 1. Clarkius aliique fere omnes, qui ex effectibus Deum esse demonstrare aggressi sunt. Sophismata autem, quibus auctor *systematis naturæ* probare conatus est, motum esse materiæ ingenitum, egregie detexit, & explosit J. de Castillon in opere super. nota laudato cap. 5.

## CAPUT IV.

### *Deum esse ex mirabili hujus mundi structura demonstratur.*

97. Tanta in hac rerum universitate relucet varietas, pulchritudo, concinnitas, ordo, & constantia, ut vel ratione carere dicendum sit, qui eam non admiretur, vel cum ratione insanire, qui eam sine aliqua sapientissima & potentissima causa aut oriri potuisse, aut conservari, & regi comminiscatur. Si enim oculos attollamus, cœlestium corporum magnitudo, lux, constantes conversiones, & motus nobis obversantur: si autem eosdem oculos circa nos revolvamus, varia elementa, & mixta conspicimus, quorum utilitatem nunquam melius cognoscimus, quam cum iis carere nostro infortunio contingit. Præterea summam, & incredibilem animalium multitudinem videmus, sive per aera volitantium, sive natantium in aquis, sive inhabitantium in terra, atque etiam sub terra delitescentium; vegetabilium autem prope infinitas species; metalla insuper diversa; lapides variorum generum, aliaque multa, quæ vel nostris necessitatibus aut utilitatibus præsto sunt, aut saltem mira nos voluptate afficiunt. Hæc, & cætera longe plura contemplantes quid aliud concludere possumus, quam esse aliquod Numen præstantissimum, infinitum, a quo hæc primum condita sint, ac perpetuo conserventur, & providentissime administrentur? Recte Cicero Lib. 2. *De divinatione*, inquiebat: *esse præstantem aliquam, æternamque naturam* (scilicet Deum) .... *pulchritudo mundi ordoque rerum cœlestium cogit confiteri*.

98. Quod si ab externis objectis ad nos ipsos cogitationem convertamus, nullam esse in toto corpore partem inveniemus, quæ admiranda organorum structura, & harmonia infinitam supremi artificis sapientiam non manifestet. Maxime autem summa Dei Creatoris virtus apparet in anima nostra, cujus incredibilis est facilitas in cogitando, subtilitas & perspicacitas in intelligendo, in volendo libertas, tantaque aliarum perfectionum congeries, ut nihil sit eo præstantius; ac merito proinde Sanct. Augustinus hominem appellaverit *miraculum omni miraculo majus*, Lib. X. *de Civitate Dei*, cap. 13. Tom. VIII. (*a*).

99. Jam vero post levem hanc veluti perlustrationem universi, potissimum autem post considerationem hominis, qui μίκρος κόσμος *parvus mundus* non immerito dicitur, ita colligo. Vel Deus est sapientissimus, & omnipotens, qui hæc omnia ex nihilo extraxit, mire disposuit, ac perpetuo gubernat; vel cæco atomorum concursu, aut plastica innata virtute, aut nescio qua alia ignota vi naturæ pulcherrima, & ordinatissima hujus mundi facies emersit: atqui hoc secundum somniantis potius, ac plane delirantis est, quam philosophantis: primum ergo tenendum est. Sane ridiculum esset imaginari, ex fortuito litterarum jactu, aut quocumque alio naturali concursu græcam *Iliadem* Homeri, aut latinam Virgilii *Æneidem* prodiisse: emotæ mentis homo haberetur, qui artificiosum horologium, aut elegantem picturam, aut magnificum templum tumultuaria partium combinatione, aut ingenita quadam vi plastica sine ullo artifice confici potuisse, somniaret: annon ergo multo pejus delirare dicatur, qui non carmen, aut horologium, non picturam, aut ædificium, sed plane totum hoc universum omnibus numeris absolutum sine ullo artifice, fortuna duce, rectore casu, coagmentatum esse comminiscatur? *Equidem vereor*, apposite inquiebat Lactantius *de i-*

(*a*) Tota, qua late patet, Physica excurrenda esset, ad hoc argumentum, qua par est, dignitate, & copia pertractandum. Legatur divinus Job c. XXXVII. & sequenti ubi Deum esse, eumque sapientissime omnia administrare ex multiplici creaturarum enumeratione mirabiliter exponit. Ex Philosophis autem fuere nonnulli, qui ex peculiari consideratione unius, vel alterius mundi partis Deum existere ingeniose admodum demonstrarunt. Sic e. g. inter Catholicos Greg. Stengelius *de monstris, & monstruosis, quam mirabilis bonus, & justus in mundo administrando sit Deus, monstrantibus*. Ingolstadii 1647. in 8. item *Mundus, & mundi partes divinæ bonitatis, ac justitiæ divinæ præcones*. Ingolstadii 1645. in 8. Card. Bellarminus *De ascensione mentis in Deum per scalas creaturarum*; & qui in hoc argumenti genere multos præcellit Ludovicus Granatensis Ord. Præd. in *Introductione ad Symbolum fidei*, in quo opere pietas cum eruditione certat, illudque magni olim faciebat Joseph Du Guet *Lettre* 31. T. III. ubi etiam sapienter observat, esse huic Scriptori quasdam *simplicitates* condonandas, quibus virtus ædificatur, dum eas superbia quorumdam lectorum contemnit; sicuti etiam quasdam historias Martyrum, quorum acta non satis probata sunt, sed quæ antea pro sinceris habebantur. Quanti etiam Granatensis opera fecerit S. Franciscus Salesius, liquet ex ejus epist. 24. L. I. ubi Episcopo sibi amicissimo ita scribit: *Lud. Granatensem integrum habeas, tibique Breviarium sit alterum. Card. Borromæus alia ad concionandum theologia non utebatur &c.* Sed ad rem nostram. Multi etiam inter Heterodoxos in hac parte inclaruerunt, quorum nomina invenientur apud J. Alb. Fabricium *in Syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis Christi adv. Atheos &c. lucubrationibus suis asseruerunt* c. 7. Ante hos omnes Claudius Galenus celeberrimus sæc. II. Æ. G. Medicus, licet ethnicæ superstitioni addictus, Deum existere, & rebus omnibus providere, non minus eleganter, quam nervose demonstravit in L. *de usu partium corporis humani*, ut proinde audiri non debeant, qui eum atheismi, aut Epicureismi accusare non sunt veriti, ut ostendit Reimmanus in *Hist. Atheismi* c. 35.

*ira Dei* cap. 10. ne *non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda* (a).

100. Nec vero fingi potest, ut quidam male philosophati sunt, ex solis gravitatis legibus potuisse corpora inter se ita disponi, ut pulcherrimam hujus universi faciem exhiberent, quandoquidem potius contra has ipsas gravitatis leges a potentiore aliqua vi omnia elementa simul permixta esse videmus, ut nisi eadem vi jugiter colligata detinerentur, tota hujus mundi forma dissolveretur. Terra enim, utpote aliis elementis *specifice* gravior, centrale spatium occuparet, huic superincumberet aqua: aquam autem circumambiret aer, ac supremum locum occupare deberet ignis. Hinc nisi Deus omnipotens, qui hæc omnia nostro beneficio sapientissime permiscuit, etiam permixta jugiter detineret, illud consequeretur, quod solis attentis naturæ viribus futurum esse olim ominabatur Lucretius L. V. *de rerum natura* vers. 97.

*. . . . multosque per annos*
*Sustentata ruet moles & machina mundi* (b).

101. Obj. primo (cum auctore *des pensées philosophiques* n. 21.). Materia hujus universi, quamvis finita sit, infinitas tamen habere potest suarum partium conformationes; atqui inter infinitas partium materiæ conformationes etiam illa continebatur, quæ hanc pulcherrimam universi formam exhiberet: potuit ergo hoc universum ex fortuita materiæ compositione efformari. Nec solum potuit, sed probabilius id contingere debuit; cum enim materiæ conformationes, a tota æternitate factæ, infinitæ fuerint, multo probabilius est, ut hæc tandem conformatio prodiret, quam ut non prodiret; quemadmodum si quis ingentem litterarum alphabeti massam diversis modis infinite versaret, & componeret, contingere tandem aliquando posset, & deberet, ut inde Virgilii, aut Homeri carmen prodiret, rei videlicet difficultate ab infinito litterarum projectu superata.

102. Id etiam inde confirmatur, quod Philosophi quidam Chartesiani demonstrare se putant, ex solis legibus motus potuisse hunc mundum compingi; unde illud Malebranchianum: *Date mihi materiam cum motu, & mundum efficiam*. Si ergo supponatur, materiæ particulas a tota æternitate fuisse motas, ac perpetuo moveri, facile intelligitur ad mentem horum philosophorum potuisse sine Deo totum mundum componi.

103. Resp. hoc argumentum esse quasi machinam multis, iisque infirmissimis fulcris innixam, quæ proinde si vel leviter concutiatur, tota corruat necesse est. Primo enim ponitur materia æterna, & increata, quod maxime absurdum esse, supra demonstravimus n. 51. Secundo ejus particulas esse motu & quidem vario, & diverso natura sua præditas; quod iterum falsum esse, & repugnans n. 76. ostensum est. Tertio talem esse hunc motum, ut particulæ sibi ipsis occurrere debeant, ut conglutinentur, quod sine fundamento asseritur. Demum easdem particulas, quoties-cum-

(a) Sancti Patres, ut supra innuimus, hoc potissimum argumento usi sunt, ut evincerent, Deum esse, rebusque hujus mundi providere: quorum plurima loca collegit Dion. Petavius L. I. *Theol. Dogmatum* c. I. Innumeri autem sunt ex recentioribus, qui hanc eamdem spartam adornarunt, ut proinde minime audiri mereantur, qui ausi sunt hoc argumentum respuere, ut minime *demonstrativum*, vel parum efficax contra Atheos. Ita inter alios opinatus est Maupertusius in opere, cui titulus *Essai de Cosmologie. Avant-propos, où l'on examine les preuves de l'existence de Dieu tirée des merveilles de la nature*. Vid. etiam ejusdem scriptoris *memoires sur les loix du mouvement* in Actis Academiæ Berolinensis. Multo audacius progressus est Diderotius, qui S. Patres recte uti potuisse hoc argumento negavit (*Pensées philos.* §. 17.), quia illorum ævo mundi structura satis nota non erat defectu physicæ experimentalis; quasi scilicet tota natura rerum undequaque, & omnino perfecta esse debeat, ut eam nonnisi a sapientissima, & infinitæ virtutis causa prodire debuisse, cognoscamus.

(b) Newtonus in *Optica* quæst. ultim. *Naturæ compagem manum emendatricem tandem desideraturam esse*, pronunciat. Addere tamen debuisset, *si solæ, quas videmus, naturæ leges spectentur*; neque enim sapientissim. illius auctor Deus ea omisisse credendus est, quæ ad ejus conservationem erant necessaria. Admodum præclare hoc argumentum illustrat S. Athanasius in Orat. *con. Gentes* n. 37. inquiens: *Non ergo res illæ, quæ inter se pugnantes, & contrariæ sunt, sesesas simul copularent, nisi aliquis superior, & dominus eas colligaret, cui & ipsa elementa, tanquam servi hero, tam prompte parent, cedant, & obtemperant, ut nullam eorum propriam naturam spectans alteri adversetur, sed singula dominum colligantem agnoscentia concordiam erga se servent, & quantumvis contraria sint natura, gubernantis voluntate ineant amicitiam. Cæteroquin nisi potentiore imperio simul invicem commiscerentur, quomodo gravia cum levibus, sicca cum humidis, rotunda cum rectis, ignis cum frigore, vel mare cum terra, sol cum luna, astra cum cælo, aer cum nubibus sociari, & coire possent, cum unumquodque dissimilem ab alio naturam habeat? .... Necesse igitur est, dominum, qui illa una congregavit, constrinxit, & conciliavit, mente, & cogitatione attingamus. Nam tametsi oculis non conspicitur, ex ordine tamen, & concordia rerum contrariarum, earum moderator, rector, & imperator intelligi potest. Etenim quemadmodum si civitatem ex multis, ex diversis hominibus, pusillis, & magnis, divitibus & pauperibus, senibus, & adolescentibus, viris, & mulieribus compositam præclare administrari, & regi cerneremus, illosque qui eam componunt, tametsi diversos, concordes tamen inter se esse, neque divites adversus pauperes, neque majores contra minores, neque juniores contra senes pugnare, sed omnes æqualiter pacem habere; si hæc inquam videremus, plane intelligeremus, Principis præsentiam hujus concordiæ causam esse, etiamsi eum oculis non intueremur &c.* Locus prolixus est, sed dignus; qui totus legatur in T. I. edit. Patavinæ an. 1777.

cumque erant inconcinne conglutinatæ, iterum sua sponte se dissolvisse, quod infinitis vicibus contingere debuit: semel ac vero pulcherrima illa conformatio casu fortuitò contigit, quæ modo spectatur, tunc quasi haberent ingenium, quo optatum se finem consecutas tandem esse cognoscerent, non amplius dissolvi, ne tam præclarum opus in pristinum chaos relaberetur (*a*). Id patet in ipso exemplo litterarum nobis objecto; ut enim possibilis dicatur talis earumdem compositio, quæ Virgilii, aut Homeri carmen exhibeat, debent primo esse litteræ, quæ utique a seipsis non existunt. Secundo causa earum motrix. Tertio talis causa, quæ litterarum compositiones informes ab ea, quæ intenditur, probe discernat; ac demum quæ informes compositiones semper destruat, donec ea, quæ desideratur, prodeat, & quæ postea sola conservetur.

104. Sed neque prætermittendum est, animum hominis cogitandi vi præditum in possibilibus materiæ compositionibus minime contineri; ut enim inquiebat Cicero L. I. *Quæst. Tusculanarum* c. 27. allegatus a Lactantio *de ira Dei* c. 10.: *animorum nulla in terris origo inveniri potest: nihil est enim in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque factum esse videatur: nihil ne humidum quidem; aut stabile, aut igneum; his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia; quæ sola divina sunt, nec invenientur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo*. Ita Romanus iste Philosophus stultam Epicureorum opinionem explodebat dicentium cum Lucretio animam nostram:

*Esse hominis partem, nihilo minus ac manus & pes,*
*Atque oculi partes animalis totius extant.*

105. Nec Carthesiani, qui admirabilem hujus mundi fabricam ex solis legibus motus oriri putarent, in eam unquam amentiam delapsi sunt, ut dicerent, animos etiam hominum ratione, & intelligentia præditos ex materia, & motu potuisse compingi.

106. Præterea Carthesiani præter materiam, & motum, etiam causam mundi effectricem requirebant; nec unquam ita desipuerunt, ut seposita causa efficiente ex sola materia cum motu mundum fortuito oriri potuisse somniarent. Quapropter eos libenter provocarem, ut ex materia, & motu mihi flosculum, vel animalculum elaborarent, qualia ab auctore naturæ innumera quotidie producuntur (*b*).

107. Ridiculos autem se plane faciunt quidam ex recentioribus incredulis (*c*), qui homines ex terra gigni potuisse conjiciunt, quia ex aqua farinæ immixta, & in vase bene occluso aliquandiu servata, animalia nasci observarunt, quæ microscopio deteguntur (*d*). Addunt ex testimonio Diodori Siculi (in *Bibliothecæ Historicæ* L. I. c. pag. 12. edit. Lugd. Sebast. Griph. 1552.) homines fuisse olim ex limo prognatos; cujus rei indicium esse volunt manus humanas in terræ visceribus inventas. Ridiculos, inquam, se faciunt; nam quantum attinet ad primum, nemo ignorat, hæc animalcula ex seminibus in aqua, vel farina delitescentibus oriri potuisse; & forte probabilius possumus dicere cum Peripateticis, ea esse ex putri materia generata (*e*). De fabulis autem hominum ex limo prognatorum, vel de manibus, aliisque humanis membris in terra repertis nec attinet dicere; commenta enim hujus generis nec refutari merentur (*f*).

108. Obj. secundo. Torqueat se quantum vult mens humana, nunquam eo pertinget, ut intelligat,

(*a*) Ineptus tamen auctor libri, cui titulus *Systéme de la nature* P. I. cap. 6. audet nobis promittere novas naturæ productiones, novos soles, novos homines diversæ speciei.

(*b*) Impio libro *Cogitationum philosophicarum* alius oppositus fuit inscriptus *Cogitationes Christianæ*. Hoc argumentum etiam confutatum habemus a Clarckio T. I. *de l'existence, & des attributs de Dieu* cap. 9. a Georgio Cheyneo *Princ. philosoph. nat. relig.* c. 3. & nova methodo a celebri nostri ævi Philosopho P. Rogerio Jos. Boscovich in *Philosophiæ naturalis theoria* n. 531. seq.

(*c*) Ut auctor libri, cui titulus *Telliamed, ou Entretien d'un Philosophe Indien* VI. Jour.

(*d*) Afferri hic solent experimenta Needhami, qui in suis *observat. microscop.* vidisse se dicit in carne, farina, aliisque rebus congelatis, atque aeri expositis oriri quædam animalcula. His experimentis abutitur etiam actor *du systéme de la nature* T. I. c. 2. pag. 24. in Not. concludens, & ipsos homines posse hoc modo gigni. Repugnant tamen hisce experimentis fere omnes alii doctissimi naturæ observatores, qui nihil tale videre potuerunt; atque inter alios Muschembroekius, cum id sæpius tentasset in vasis hermetice clausis, nulla animalia se videre potuisse, testatur.

(*e*) Hanc Peripateticorum, & S. Thomæ sententiam non ita pridem illustravit, & defendit doctissimus P. Salvator M. Roselli in IV. Tomo suæ Philosophiæ quæst. 29. art. 4.

(*f*) Ant. Maria Gratianus *De scriptis invita Minerva* L. XIV. p. 41. vol. 2. Florentiæ 1746. in 4. refert circa a. 1403. fuisse in stagno prope Harlem Hollandiæ urbem captum piscem humana mulieris forma, sed omnis expertem vocis, ac plane mutam, mansuefactam autem non difficulter didicisse induere vestem, edere communem panem, & lac, atque item nere, pluraque muliebria opera facere; & quod mirabilius videri potest, in cultibus religionis, quidquid facientem dominam vidisset, fuisse imitatam. Memorat idem Auctor, par monstrum in Frisia captum, masculini generis homini omnino simile, omnis vocis expers, quod pariter cibis assuevit, & multa servilia opera obibat. Tertium denique narrat juxta Norvegiæ littora an. 1531 repertum piscem humana specie, qui tamen cibo pertina-

gat; potuisse materiam, aut mundum ex nihilo educi: immo contra omnibus Philosophis illud effatum probatur: *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti:* at vero si Deus est primus hujus mundi opifex, debuisset illum ex nihilo suæ voluntatis nutu formare.

109. Idipsum confirmatur ex eo, quod Philosophi veteres sola ratione duce nunquam in cognitionem creationis ex nihilo venire potuerunt; unde Cicero ajebat (Lib. II. de *Divinatione* cap. 16.): *eritne aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat? Quis hoc Physicus dixit unquam?* Et sane quis unquam intelligere queat, intervallum infinitum, quod inter nihilum, & esse intercedit, ita pertransiri posse, ut hæc duo extrema infinite distantia sibi appropinquent, ac tandem conjungantur (*a*).

110. Resp. non intelligi certe posse, mundum aut materiam ex nihilo educi, quasi nihilum fuisset in materiam conversum, quomodo lignum convertitur in ignem; at vero bene intelligi, materiam, aut mundum esse aliquando cœpisse, cum antea nihil essent. Nostra imaginatio in eo nos fallit, quod creationem concipimus instar generationum naturalium, in quibus semper est aliquod subjectum, quod de una forma transit ad aliam, eodemque modo vellemus concipere, nihilum conversum in materiam; quod certe & falsum per se est, & intellectu omnino impossibile. Sed creatio est eductio rei ex nihilo hoc sensu, ut aliquid primo existat, quod antea nihil omnino erat. Hoc autem fieri posse intelligimus, non quidem aliqua virtute finita, sed ab omnipotente Deo, *qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*, Rom. IV. 17.

111. Porro id non solum fieri posse, sed etiam factum aliquando fuisse facile mens nostra intelliget, si consideret, nec mundum, nec materiam necessario existere, seu in seipsis non continere rationem, ut existant; quo fit, ut necesse omnino fuerit, ea ab alia causa produci, & quidem ex nihilo, quia ante materiam nihil aliud esse potuit, nisi Deus. Præstabit hac de re consulere Sanctum Thomam Prim. Part. quæst. 45. art. 1. & 2.

112. Quod additur, Philosophos veteres nunquam potuisse sola ratione duce in cognitionem creationis ex nihilo pervenire, etiamsi verum esse concedatur, quod tamen a plerisque negatur (*b*), non evincit, eam rationi repugnare, sed solum

citer recusato breviter vivere desiit. Sed hæc, & similia, vel conficta, vel admodum exaggerata, nullam fidem merentur, ut nullam promeritus est Virgilius, quando L. II. *Georgicor.* V. 340. scripsit

*. . . . . virumque*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis.*

Cardanus etiam, si credimus Theophilo Raynaudo *de bonis, & malis libris* L. I. Erotem. 4. n. 44. *hominem primo e putri genitum, sicut mures, & ranas effutivit;* quem propterea idem Raynaudus inter *clanclularios* atheos recensere non dubitavit. Aliis firmioribus machinis Athei utantur necesse est, si nostram existentiæ Dei demonstrationem evertere, aut saltem labefactare præsumunt.

(*a*) Ita fere Jo. Bredenbourg in *mathem. demonstr. quod omnia entia rationis capacia necessario operentur.* Ceterum admodum multis persuasum est, creationem ex nihilo fuisse veteribus prorsus ignotam, a quibus Thomas Burnetus in sua *Archæologia* L. I. c. 7. ne Judæos quidem excipit. *Doctrinam*, inquit, *de eductione rerum ex nihilo, & reductione in nihilum Philosophis ignotam, primum invenisse videtur Theologia Christiana;* quam eamdem opinionem pluribus argumentis confirmare conatus est Isaac Beausobrius *Hist. des dogmes de Manichée* Lib. V. c. 6. Sed qui magis sobrii sunt, tantum se loqui profitentur de Philosophis ethnicis, quos volunt sola ratione duce non potuisse cognoscere creationem ex nihilo. Ita inter alios censent Petrus Gassendus in *Physica* Sect. I. L. I. c. 6. & Jac. Bruckerus in *Suppl.* II. *ad Hist. de ideis*. Inter Christianos Hermogenem materiæ creationem negasse, discimus ex Tertulliano in Lib. *contra Hermogenem*. S. autem Augustinus in *Lib. de hæresibus* n. 59. eumdem errorem tribuit *Seleucianis*, vel *Herminianis*. Alios id sentientes ætate sua, idest Sæc. VI. commemorat Procopius Gazæus in *Comment. in Genesim* p. 2. edit. latinæ curatæ a Conr. Clausero. Mitto Jac. Vindetum, qui in Lib. *de vita functorum statu* sect. 2. Scholasticos ausus est carpere, quasi ipsi primi creationem ex nihilo confinxerint, male intellecta voce ברא barà, qua Moyses in Genesis initio utitur. Sed de hac voce, & creatione ex nihilo, prout divina revelatione innotescit, agemus suo loco. Nunc solum contra Atheos, quorum deliria nuper suscitavit Auctor pestilentissimi libri, cui titulus *Systême de la nature*. Illi præiverat Boulainvilliersius in opere, quod inscribere illi placuit *Refutatio systematis Spinozæ*, cum potius inscribi debuisset *Defensio system. Spinozæ;* & in quo probare contendit, nihil esse magis a ratione alienum, quam doctrinam Christianam de prima rerum creatione ex nihilo. Voltairius in *Philosophia Historiæ* Scepticum agit. Jo. autem Jac. Rousseauius in audaci atque impia illa epistola, quam ad Archiepiscopum Parisiensem dedit, dubia, quæ in T. III. *de l'Emile* contra creationem rerum proposuerat, pyrrhonica methodo renovat, & confirmare studet. Et quod in viro acuto satis mirari non possum, absurdissima duorum principiorum boni, & mali hypothesi mundi constitutionem melius explicari, stulte opinatur.

(*b*) Vide, quæ supra ex S. August. retulimus n. 63. cui addi potest etiam Lactantius Lib. II. *Div. Institutionum* c. 9. & creationem materiæ agnitam fuisse scribit Pythagoreis, Stoicis, Peripateticis, deinde primis illis septem Sapientibus ad Socratem usque, ac Platonem. Porro inter recentiores Rad. Cudworthus in *System. intellectuali hujus universi* c. v. sect. 2. §. 4. & 14. aliquos veteres sapientes, Platonem præcipue, materiæ creationem cognovisse, contendit. Multa in eamdem sententiam congerit pro more suo Steuchus Eugubinus in notissimo opere *de perenni philosophia* toto L. VIII. ubi tamen diligentius criterium sæpe desideres. Petr. Dan. Huetius solita sua eruditione post Eusebium L. III. *Demonstr. Evangel.* c. 3. laudatissimos Philosophos Hebræis consensisse, ut mundum a Deo creatum censuerint, conatur ostendere in c. 5. L.

lum tantas esse nostræ rationi tenebras offusas, ut sine revelationis lumine non possimus ea omnia detegere, quæ alioquin in ejusdem sphæra continentur. Observat autem Angelicus I. P. q. 45. art. 2. ad 1. in eo fuisse antiquos Philosophos deceptos, *quod non consideraverunt nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione: & secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab universali rerum principio*. Vid. etiam Lib. II. *contra Gen.* cap. 16.

113. Frustra vero aliqui sibi imaginantur distantiam quamdam infinitam inter ens, & nihil: nam distantia inter duos terminos, vel duo extrema invenitur; nihilum autem nonnisi abusu nominis *terminus*, vel *extremum* appellari potest. Multo autem magis errant, qui creationem sibi fingunt, quasi horum duorum extremorum, scilicet *nihil*, & *esse* conjunctionem, cum potius creationem concipere debeamus tamquam principium, quo res aliqua existit, quæ antea prorsus non erat.

114. Errant pariter, qui in creatione aliquod subjectum requirunt, in quod actio Dei exerceatur; creatio enim nihil est aliud, quam actus voluntatis divinæ: ipse autem actus habet quidem suum objectum, sed non præexistens, quemadmodum & nos ea volumus aliquando, quæ nondum existunt. Id etiam S. Thomas Qu. III. de *potentia* art. 2. explicat exemplo temporis, cum de mane fit meridies; non quasi subjectum aliquod mutetur de mane in meridiem; sed tantum meridies succedit mane.

115. Inst. Hæc actio Dei creantis nec *immanens* esse potest, neque *transiens*. Non *immanens*, seu ad *intra*, quia tunc creaturæ non distinguerentur a Deo, cum actio *immanens* a Deo non exeat, & cum oporteat omne agens conjungi ei, in quod immediate agit, & sua virtute illud contingere, ut inquit S. Thomas I. P. q. 8. art. 1. Dicere autem creaturas a Deo non distingui est in absurdissima Pantheistarum deliria se præcipitare. Neque etiam actio Dei creantis dici potest *transiens*, quia tunc deberet in aliquo subjecto recipi, ad quod transit; nullum autem in creatione subjectum esse potest, cum sit productio rei ex nihilo.

116. Resp. cum S. Thoma I. P. qu. 45. art. 3. ad 1. Creationem sumptam active ex parte Dei creantis, esse *actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturas*. Quando autem adversarii molestius sciscitantur, an ista actio sit *immanens*, vel *transiens?* responderi potest cum Sylvio (in *Comment.* ad I. P. q. 45. Concl. 5.), eam esse *immanentem*, quia est actus voluntatis divinæ, *virtualiter tamen transeuntem*, quia effectus resultat a Deo distinctus, & extra Deum. *Deus*, inquit Angelicus Lib. II. *contra Gentiles* c. 31. *non agit aliqua actione, quæ sit extra ipsum quasi ab ipso exiens, & in creatura terminata, sicut calefactio exit ab igne, & terminatur in ligno: sed ejus velle est ejus agere*. Unde etiam in sacris Litteris ita explicatur creatio rerum: *Dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*, Psal. CXLVIII. 5. Quod si hæc intelligi tam facile non possunt, non ideo tamen negari debent; *quasi vero*, inquit Lactantius Lib. II. *Div. Institutionum* c. 9. *ex hoc putandum sit, non esse hæc divinitus facta, quia quomodo facta sint, non potest pervideri* (a).

117. Inst. secundo. Si Deus mundum ex nihilo creasset vel ab æterno fecisset, vel non ab æter-

II. *Alnetanarum quæstionum*. Idem præstitit Ad. Tribbekovius in Diss. *Veritas creationis mundi, prout a Mose descripta est, ostensa in traditionibus gentium, ac vetustissimis antiquitatis profanæ monumentis*. Hisce adjungi possunt Livius Galantes Ord. Min. in *Comparatione Theologiæ Platonicæ, & Christianæ* L. XI. Bononiæ 1627. 4o. Alb. Fabricius T. I. *Biblioth. Græcæ* L. II. c. 12. §. 5. & D. Dutens in suo opusc. *Recherches sur l'origine des découvertes attribuées aux modernes* T. II. P. 4. ch. 4. Paris 1766. in 8. Atque a Platone saltem fuisse agnitam materiæ creationem, multis olim evincere conatus fuerat Hierocles Philosophus Platonicus in Schola Alexandrina sæc. V. clarus. Platoni autem S. Thomas in L. VIII. *Physicorum* Lect. 2. adjungit Aristotelem; hos enim cæteris Philosophis altius assurgentes ad cognoscendum principium totius esse pervenisse asserit. Nec prætereundus demum eruditissimus P. Hyac. Gerdil (qui ex instituto Barnabitarum ad Romanam Purpuram, Religione, scientiisque sibi gratulantibus assumptus fuit) in sua *Introductione ad studium religionis* L. II. §. 9. ubi ostendere se posse putavit, notionem creationis ex nihilo, nedum Philosophis pluribus, sed rudibus etiam populis fuisse communem sub vocabulo *emanationis a Deo*. Fortem tamen adversarium nactus est Jac. Brukerum *in Historia Critica Philosophiæ* Vol. VI. in Appendice p. 300. & seq.

(a) Ibi Lactantius refellit Ciceronem, qui in Lib. I. *De natura Deorum* dixerat: *Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam: sed habere, & habuisse vim & naturam suam*. Quem errorem ubi multis argumentis confutasset, venit postea ad solvendam difficultatem, quæ inde petitur, quod modo cognoscere non possumus, quo materia a Deo primum creata sit, & subdit: *An tu, si educatus in domo fabrefacta, & ornata nullam unquam fabricam vidisses, domum illam putasses non ab homine ædificatam, quia quomodo ædificaretur, ignorares?* Plura ibi habet lectu dignissima; ac postea sic concludit: *sciat igitur, quam inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc est enim modum conditionis suæ transgredi, nec intelligere quousque homini liceat accedere. Deinde cum aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quæ interfuit hominem scire ad vitam consequendam: quæ vero ad curiosam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire, nec si scias, beatior fias? Perfecta est*

terno: neutrum autem dici potest. Non primum ob multas rationes, quibus aliqui probant, mundum nec esse, nec potuisse ab æterno esse (vid. supra num. 64.) Neque etiam secundum; quia in hac hypothesi deberet prius in Deo poni decretum creandi mundum, & postea ejus executio: hoc autem omnino repugnat, quia in æternitate nihil est prius, aut posterius, cum æternitas sit quasi punctum indivisibile.

118. Præt. Si prius concipitur Deum voluisse creare mundum, & postea eum creasse, deberet etiam concipi aliquod intervallum medium inter decretum, ejusque executionem; hoc autem intervallum nec finitum esset, quia in æternitate nihil est finitum, nec infinitum, quia cum hoc sit impertransibile, nunquam illud punctum venisset, in quo crearetur mundus (*a*).

119. Resp. Mundum utique fuisse creatum non ab æterno. Quod autem subditur, in hac hypothesi, debere in Deo poni decretum de creatione mundi ante operis executionem, concedi potest juxta nostrum imaginandi modum; non autem reipsa, quasi duo in æternitate figamus puncta, alterum, quo Deus decreverit mundum creare, alterum, quo mundus creatus sit. Nam verius dicendum est, Deum voluisse ab æterno, ut mundus existeret, ut existeret, inquam, non ab æterno, sed in initio temporis, seu simul cum tempore.

120. Audiatur Sanctus Thomas, qui I. P. qu. 46. art. 1. ad 8. simili difficultati ita respondet: *Deus est prior mundo duratione; sed ly prius non designat prioritatem temporis, sed æternitatis. Vel dicendum, quod designat æternitatem temporis imaginati, & non realiter existentis: sicut cum dicitur, supra cælum nihil est; ly supra designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibile est imaginari, dimensionibus corporis cælestis dimensiones alias superaddi*. Vid. etiam S. Doct. P. II. *Con. Gent.* c. 35.

121. Porro inter decretum Dei de mundi creatione, & ipsam creationem intercessit æternitas hoc sensu, quod decretum fuit æternum, creatio vero in tempore, vel simul cum tempore, ut dictum est. Neque obstat, infinitum, seu æternum esse impertransibile, ut enim sæpius observat laudatus Angelicus P. I. q. 46. art. 2. ad 6. *transitus semper intelligitur a termino in terminum:* in æternitate autem nulli termini; falso itaque dicitur, intervallum infinitum pertransiri debuisse, ut a decreto, quo Deus ab æterno mundi creationem statuit, ad mundi creationem perveniretur. Vere igitur dicimus, voluisse Deum ab æterno, ut mundus simul cum tempore aliquando esset, sed ut non esset ab æterno: quamquam imaginatione comprehendere non possumus, quandonam hujus decreti executio fuerit ac mundus creatus.

122. Ceterum mirandum non est, si hujusmodi difficultates omnino perspicue expediri non possint, cum nullam claram, distinctamque notionem habeamus, sive productionis ex nihilo, sive æternitatis. Sed quæcumque sit hac in re obscuritas, certum est tamen, & evidens, multo majoribus premi atheos difficultatibus, cum explicare coguntur, quomodo materia, quæ contingens est, finita & imperfecta, potuerit a se ipsa, & a tota æternitate existere? Ulterius, qui nimia evidentia coacti concedunt, hanc præsentem mundi formam non esse æternam, in easdem angustias rediguntur, cum determinare debent momentum, & punctum, quo materia prius informis formari cœpit, & in hanc pulcherrimam mundi faciem transmutari.

123. Instant tertio: Si Deus creasset mundum, & non ab æterno, fuisset mutatus; fuisset enim factus creator, cum antea non esset: mutatio autem in Deum cadere non potest.

124. Resp. Deum ab æterno, una, eademque immutabili voluntate decrevisse mundi creationem, eamque non in æternitate, sed in tempore, vel simul cum tempore futuram. Neque vero factus est de novo creator, quando mundus ex nihilo prodivit: hic enim error est nostræ imaginationis, qui putamus Deum mundum condidisse, sicut artifex statuam format. At vero Deus non instrumentis, aut operatione aliqua externa, sed solo voluntatis imperio fecit, ut hæc omnia existerent. *Dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt*. (Vide supra n. 110.) Hoc Deus jussit ab æterno, & in tempore mundus extitit: ut proinde tota mutatio in mundo fuerit qui de nihilo transivit ad esse, non in Deo, qui idem semper voluit.

125. *Aliud est*, inquit S. Thomas I. P. qu. 19. art. 7. *mutare voluntatem, & aliud est velle aliquarum rerum mutationem: potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle, quod nunc stet hoc, & postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle, quod voluit*. Et S. Augustinus hanc ipsam objectionem refellens Lib. XII. *De Civit. Dei* cap. 17. inquit: *In Deo alteram præcedentem altera subsequens non mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una, eademque sempiterna, & immutabili voluntate, res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse cœperunt* (*b*).

126.

*in homine sapientia, si & Deum esse unum, & ab ipso esse facta universa cognoscat*.

(*a*) Multa in hanc rem acuta, & subtilia affert Bælius in *Dictionario* art. *Zabarella* rem. *H.*, antiquas Atheorum fallacias recoquens, toties a nostris, atque imprimis a S. Th. detectas, & explosas.

(*b*) Hac difficultate, aliisque similibus moti aliqui Sociniani novas voluntates in Deo ponere non dubitarunt. Ita Sam. Crellius *de Deo* cap. 21. 22. & 23. ac Phil. Limburgius in *Theologia Christiana* Lib. I. cap. 2. §. 22., qua doctrina nihil absurdius esse potest.

126. Inst. quarto. Vel Deus propter seipsum condidit mundum, vel propter homines. Non primum, nihil enim defuit plenæ ipsius felicitati, antequam mundum conderet, nec eo condito beatior factus est. Non secundum; tot enim obruuntur homines malis in hac vita, ut melius plerisque videatur, si nati non fuissent. Quæri etiam solet, quid causæ Deo fuerit, *ut mundi ædificator repente extiterit, innumerabilia ante secula dormierit?* At demum ubinam fuerit Deus, antequam mundum crearet, cum spatium esset nullum? (*a*)

127. Primæ difficultati ita respondet S. Thom. Lib. II. *contra Gentiles* cap. 3. *Finis divinæ voluntatis, ex qua res in esse processerunt, non potest aliud esse, quam sua bonitas: quæ quidem a creaturis non dependet, nec quantum ad esse, cum sit per se necesse esse, nec quantum ad bene esse, cum sit secundum se perfecta simpliciter*. Etiam S. Augustinus (in Lib. I. *Contra adversarium legis, & prophetarum c. 7.* Tom. VIII.) *Istorum faciendorum causam fuisse* dicit *solam* Dei *bonitatem*. Voluit ergo Deus mundum creare propter seipsum, non quasi eo indigeret, ut beatus, vel beatior esset, sed ut suam bonitatem etiam exterius communicaret; seu, ut verbis utar Angelici Præceptoris, mundum creare voluit, non *propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem* (I. P. qu. 44. art. 4. ad 1.) Quamvis Lactantius Lib. VII. *Institutionum* c. 4. non dubitat concedere, hæc omnia facta fuisse propter hominem, *qui his congruenter uteretur*, sed postea cap. 5. ipsum hominem propter Deum factum esse docet, ut nempe esset, *qui Deum coleret*. Dici etiam potest cum S. Iræneo (Lib. II. *contra hæreses* cap. 6.) *Non quasi indigens Deus hominis plasmavit Adam, sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia*. (*b*)

128. Secundæ quæstioni, quare Deus mundum non citius, aut tardius creaverit, aliisque similibus interrogationibus breviter respondendum est, hæc a libera Dei voluntate pendere, cujus consilia nobis perscrutari datum non est.

129. Ubi demum Deus fuerit, antequam mundum creasset, bene determinat Tertullianus (in Lib. *contra Praxeam* cap. 5.) inquiens: *ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & socius, & omnia*. Sic autem Gregorius Nyssenus Eunomio similiter interroganti ita respondet (L. I. adv. *Eunomium*): *illa nullius indigens, & sempiterna, & quæ omnia suo complexu comprehendit, natura neque in loco est, neque in tempore, sed ante hæc est, & supra hæc inenarrabili quadam ratione*. Denique cohibendam esse in his, aliisque multis rebus humanam curiositatem monet Apostolus Roman. XII. 3. inquiens, *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*c*).

130. Obj. ult. Non desunt Philosophi, qui velint, spatium esse aliquod ens *reale*, æternum, & improductum. Ita Gassendus (in *Physica* T. II. sect. 1. lib. 2.), & post ipsum non pauci alii, qui tamen impietatis accusari non possunt (*d*).

131. Resp. Laudatos Philosophos non vidisse absurda suæ opinionis consectaria, quæ alii Philosophi acutiores viderunt, videlicet esse in ea hypothesi aliquod ens improductum, Deo coævum, & ab ipso Deo diversum; quod nedum cum revelatione supernaturali, sed cum ipsa ratione pugnat. Spatium, quidquid illud sit, a Deo factum est, & potest a Deo in nihilum redigi: eo autem destructo non remaneret locus vacuus, ut aliqui objiciunt, sed remaneret nihil, ut antea erat, scilicet nec locus nec spatium. Ad *rationem vacui*, inquit S. Thomas I. P. qu. 46. art. 1. ad 4. *non sufficit, in quo nihil est, sed requiritur, quod sit spatium capax corporis, in quo non sit corpus. Nos autem dicimus, non fuisse locum, aut spatium ante mundum* (*e*).

132.

(*a*) Ita fere objiciebant Lucretius Lib. V. *de rerum natura*, Vellejus apud Ciceronem Lib. I. *De natura Deorum*, Plutarchus *De placitis Philosophorum*, & Lucianus in *Icaro-Menippo*. Ex his autem lutulentis fontibus recentiores increduli hortulos suos irrigare solent, ut videre est in *Litteris Persicis* epist. 99. quarum impietatem detexit auctor libelli cui titulus: *Les lettres convaincues d'impieté*.

(*b*) Brevius hanc difficultatem expedit S. Augustinus in Opere *De diversis quæst. octoginta tribus* (To. VI.) qu. 28. inquiens: *Qui quærit, quare Deus voluerit mundum facere, causam quærit voluntatis Dei; sed omnis causa efficiens est; omne autem efficiens majus est, quam id, quod efficitur; nihil autem majus est voluntate Dei: non ergo ejus causa quærenda est*. Audiri autem non merentur, qui mundum a Deo propter homines creatum ideo negant: 1. quia multa in eo sunt, quibus homo uti nequit; immo sunt ipsi noxia; 2. quia admodum pauca vel ab ipsis acutissimis Philosophis de eo cognoscuntur. Qui ita ratiocinantur, vel non credunt, vel non considerant quæ de lapsu primi hominis, ac de pœnis inflictis Fides Christiana docet; quæque suis locis copiose, & solide demonstrari a Theologis solent.

(*c*) Legatur S. Augustinus Lib. XII. *de Civit. Dei* cap. 15. Tom. VII. ubi postquam inquisivisset, an Deus semper fuerit *Creator*, & *Dominus*, cum tamen non semper fuerit creatura, nihil tandem affirmare audet, & concludit, ab his quæstionum periculis esse omnino temperandum, atque obtemperandum Apostolo præcipienti, *non plus sapere* &c.

(*d*) Vid. Newtonus *in Principiis Philosoph.* in fine Scholii generalis, & ad calcem *Opticæ*; tum *Henr.* Morus in *Enchiridio I. P.* cap. 8. §. 9.

(*e*) Dignus est, qui de hoc argumento legatur P. Th. Vinc. Moniglia in egregia Dissert. *cont. Materialistas* P. III. sect. I. Etiam Muschembroeckius in *Elementis Physicæ* cap. 3. §. 89. absurditatem notavit spatii improducti. Spatium nedum productum, sed etiam finitum esse debet, certisque limitibus conclusum, ul-

132. Scholium. Quæ de ordinatissima hujus universi pulchritudine hactenus delibavimus, vana & inutili curiositate consideranda non sunt, sed ex iis altius erigendus est animus ad contemplandum, & amandum illius omnipotentem creatorem Deum. *Tria*, inquit S. Bernardus ( in *Serm. III. Pentecost.* Tom. III. edit. Venetæ 1765. ), *in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet, quid sit, quomodo sit, ad quid constitutus? Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sunt creata. Sane in modo ipso sapientia singularis elucet .... Si vero ad quid factus sit, meditaris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata. Veruntamen & fuisse novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi hujus tota sensualitate depressi, totos se dederunt his, quæ facta sunt, quonam modo, vel ad quid facta sint, negligentes.* Hæc, & alia mellifluus Doctor, & postquam *carnales* hos homines merito reprehendit, illos tamen improbat, *quibus summum studium fuit, atque unica solicitudo, modum & ordinem investigare factorum*. Hi se *philosophos* vocant, sed eos *curiosos*, & *vanos* rectius appellandos censet, ac nonnisi eos laudandos, *qui & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt, transilientes intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta sint, viderent.* At demum concludit; *primos* ( nempe carnales ) *voluptate*, *secundos* ( id est philosophos ) *vanitate*, *tertios veritate impletos esse*.

## CAPUT V.

*Deus esse confirmatur ex unanimi hominum consensione* (a).

133. Magnam certe vim in re tam gravi habere unanimis hominum, præsertim doctorum, consensus, ut enim recte ait Tullius ( Lib. I. *de natura Deorum c.* 17. ), *de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est:* quod apud S. Thomam Lib. II. *contra Gentiles* cap. 34. profundiore ratione confirmatum invenies. At vero omnes docti, indoctique ubique terrarum, quamvis locis, temporibus, legibus, moribus admodum inter se dissiti, ac diversi, ita communi calculo Deum esse confitentur, ut per tot annorum sæcula, ad quæ nostra cognitio se extendit, vix pauci, & facile numerabiles extiterint veri nominis Athei, quibus scilicet omnino persuasum fuerit, nullum esse Deum.

134. Et quidem de Philosophis, quorum potissima ratio habenda est, id aperte liquet: nihil enim in eorum libris frequentius, quam Dei mentio, paucissimis exceptis, *qui veluti leones imbelles, vel boves sine cornibus, aut aves sine alis* (b), aut alterius generis monstra omnibus aliis execratione fuerunt.

135. De populis autem, & nationibus idipsum pluribus, gravibusque testimoniis ostenditur. Plato ( Dial. X. *de legibus* ) inter alia argumenta, quibus Deos esse evincit, affert etiam *Græcorum, barbarorum omnium consensum, Deos esse fatentium*. Cicero ( Lib. I. *De natura Deorum* cap. 16. ) *Quæ est*, inquit, *gens; aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* Seneca ( ep. 117. ) *veritatis argumentum est*, inquit, *aliud o-*

tra quos non sunt nisi ea spatia, quæ vocantur *imaginaria*, quæque nihil aliud, quam mentis nostræ *figmenta*. Contemnendæ autem sunt pueriles illæ quæstiones, ab otiosis quibusdam philosophis excitatæ, & renovatæ a Jo. Lockio Lib. II. *de intellectu humano* cap. 13. §. 21. an scilicet homo in confiniis mundi positus brachium extendere possit, & manum explicare, aut digitos exporrigere: vel ut Lucretius curiosius sciscitabatur Lib. I. *de natura rerum*:

*........ Si quis percurrat ad oras*
*Ultimus extremas jaciatque volatile telum,*
*Id validis utrum contortis viribus ire,*
*Quo fuerit missum, mavis, longeque volare,*
*An prohibere aliquid censes, obstareque posse?*

(a) Bælius hoc argumentum infirmare conatus est, cum alias sæpe in pestiferis suis libris, tum maxime in eo, qui inscribitur *Continuation des pensées sur les Comètes*. Jo. Augustus Ernesti vir non eleganti solum dicendi nitore, ac linguarum peritia, sed multæ etiam doctrinæ copia in Lipsiensi Academia celebris, hanc demonstrationem non magni facit in libro, cui titulus *Initia doctrinæ solidioris Theologiæ naturalis*, cap. 1. n. 21. Sed his opponere possumus doctissimorum Virorum turbam, qui in hominum consensione magnam contineri vim arbitrati sunt ad eos paucos revincendos, qui reluctantur. Consulantur Jo. Alb. Fabricius & ab eo laudati Scriptores in *Delectu argumentorum, & syllabo scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ ... lucubrationibus suis asseruerunt*, cap. 6. quibus addi possunt ex Catholicis Pet. Dan. Huetius in *Alnetanis quæstionibus* Lib. II. cap. 1. Bern. Lamy in *Demonstratione veritatis, & sanctitatis Ethicæ Christ.* sect. 1. cap. 6. Laurent. Magalotti Lettere *famigliari* P. 1. lett. 6. P. Antoninus Valsecchi *de fundamentis religionis* Tom. I. cap. 8. 9. & 10. Tournemine *Reflexions sur l'atheisme attribué à quelques peuples* ( in *Ephemeridibus Trevoltiduis* anno 1717. ) & Aloysius Brenna Romanus *De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate* Vol. 2. in 4. Florentiæ 1773. Etiam addi possunt ex Heterodoxis Stillingfleetus in *Originibus sacris*; & Elias Benois, *Préface aux mélanges des remarques sur les deux dissertations de M. Toland.*

(b) Ita loquitur Maximus Tyrius in Dissert. 11. edit. Londin. 1740.

*omnibus videri. Tamquam Deos esse sic inter alia colligimus, quod omnibus de iis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Et ne omnia persequar, vulgata sunt ea Plutarchi verba ( *adversus Colotem Epicureum* prope finem ) *si totum peragraveris orbem, invenies quidem urbes, literis, regibus, domibus, opibus, pecunia carentes, theatrorum, gymnasiorumque nescias; urbem vero sine templis, & sine Diis, quæ precibus non utatur, aut juramentis, aut oraculis, aut sacrificiis ad bona obtinenda, cavenda autem mala, nemo vidit unquam, & facilius arbitror, urbem sine solo, quam sine Deorum persuasione posse consistere.* Plura alia similia prætermitto Heracliti, Aristotelis, Quintiliani, aliorumque veterum testimonia, quæ collecta habet Hugo Grotius *de Jure belli, & pacis* Lib. I. c. 1. n. 12. Ex quibus omnibus ita concludere possum cum Cicerone L. I. *Tuscul. quæst.* cap. 30. *Cur Deos esse credamus, firmissimum hoc afferri potest argumentum, quod nulla gens tam fera, nemo hominum tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio* (*a*).

136. Sed etiam antiqui Ecclesiæ Patres gravissimum pondus ad impietatem Atheorum profligandam in omnium gentium consensu esse putarunt. Nam Tertullianus Lib. I. *contra Marcionem* c. 10. *Animæ*, inquit, *a primordio conscientiæ Dei dos est; eadem, nec alia, & in Ægyptiis & in Syris, & in Ponticis.* Apertius Lactantius Lib. I. *Divinarum Instit.* cap. 2. *Neque difficile*, ait, *sane fuit paucorum prave sentientium redarguere mendacia testimonio populorum, atque Gentium in hac una re non dissidentium.* Cui simile est illud S. Augustini Tract. CVI. in Joann. n. 4. ( Tom. III. P. II. ) *Hæc est vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus abscondi possit .... Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur auctorem.*

137. Neque vero huic universali hominum consensui obest, quod Bælius acute objicit, miram scilicet fuisse in omnibus gentibus dissensionem, & varietatem, in natura, providentia, numero, & divinis proprietatibus determinandis. Non inquam id obest: ut enim sapienter observavit Tullius Lib. I. *Tuscul. Quæst. Supra laud. Multi de his prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.* Ceterum sit igitur illud saltem, quod omnes confessi semper sunt, esse Divinam naturam.

138. Neque suspicari licet, generales has locutiones emphatice esse prolatas, ut in tota sua latitudine accipi minime debeant, sed esse restringendas ad certum numerum; ut cum idem Tullius Lib. I. *de Divinatione* cap. 1. inquit: *Gentem nullam video, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, atque barbaram, quæ non significari futura, & a quibusdam intelligi, prædicique posse censeat;* cum tamen plusquam certum sit, a sapientibus fere omnibus fuisse divinationem non negatam solum, sed plane irrisam. Sufficit hac de re eumdem Tullium legere in Lib. II. *de Divinatione*.

139. Non inquam id est suspicandum; quamquam enim inficias non eo, generales locutiones posse nonnumquam, imo & debere cum aliqua diminutione accipi, cum hujus diminutionis fundamentum habetur, ut in allato exemplo, aliisque similibus; contendo tamen, verba in nativo suo, & proprio significatu esse accipienda, cum nihil contra obstat; quæ regula nisi observetur, nihil erit ratum, & fixum in scientiis, & locutionibus humanis. Maxime autem id obtinere debet hac in re, de qua modo agimus, cum generales illæ locutiones ipsa etiam experientia confirmatæ sint, quod ex dicendis etiam magis apparebit.

140. Scholion. Putant aliqui cum Cicerone L. 1. *de natura Deorum cap.* 43. *naturam ipsam Deorum notionem animis hominum impressisse*, atque adeo hanc communem hominum de Divinitate persuasionem ex idea Dei omnibus ingenita oriri, in quam rem multa congessit veterum testimonia Car. Witasse (*b*). Sed alii, ut mihi videtur, probabilius eam repetunt ex antiqua traditione ab Adam primo, deinde a Noe ( qui secundus Pater generis humani dici potest ) in omnes populos derivata. Quæ quidem traditio olim pura erat, post autem in superstitionem, & idololatriam fœde degeneravit. Interim tamen cum veritas hæc capitalis *Deum esse* apud omnes semper conservata fuerit, perperam ab Atheis inter præjudicia rejicitur, quæ solent ab educatione promanare. Hæc enim educationis præjudicia non eadem sunt apud omnes, sed ea pro varietate gentium, atque regionum semper variare videmus. Confirmata etiam fuit communis hæc opinio sapientum doctrina, qui Deum esse evidentibus rationibus demonstrabant. Quamquam barbaræ etiam, incultæque nationes Divinitatem omnino non ignorabant; pronum est credere, vel ipsos rudes homines ex natu-

(*a*) Id fuse ostendit Rudulphus Cudworthus in *Systemate intellectuali hujus universi* cap. 4.

(*b*) Tom. I. *de Deo* quæst. 2. art. 1. & seq. Vid. etiam Ludovic. Thomassinus *de Deo, Deique proprietatibus* Lib. I. cap. 4. Tom. II. *Dogmatum theologicorum*.

turæ contemplatione ad aliquam Dei creatoris notitiam assurrexisse (a).

141. Obj. primo. Commentitius est universalis iste, qui asseritur, omnium gentium in aliquo divino Numine agnoscendo consensus. Nam primo Cotta (apud Ciceronem Lib. I. *de nat. Deorum* cap. 23.) inquiebat: *equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit;* simile quid asserit Plutarchus (*adversus Stoicos*) inquiens: *fieri sane potest, ut incidat quis in homines barbaros, ac feros, qui Deum esse nullum putent*. Secundo hæc Cottæ, ac Plutarchi opinio experientia comprobatur. Eusebius enim auctor minime suspectus (Lib. XIV. *de præparatione Evangelica* c. 16. edit. P. Vigieri Paris. 1628.) Dei cognitionem apud Græcos omnes, tum apud Phœnices, & Ægyptios a Pythagora, Anaxagora, Platone, & Socrate primo invectam fuisse probat ex Plutarcho (in Lib. *de Dogmatibus Philosophorum*). Tertio Herodotus historiæ parens (Lib. II. cap. 53.) *Undenam*, inquit, *Deorum quilibet, & an semper fuerint omnes & quænam eorum formæ; ignorabatur usque nudiustertius, & heri, ut ita dicam;* post autem subdit, fuisse primum ab Hesiodo, & Homero Deorum *theogoniam* expositam. Quarto integras, populosasque nationes fuisse olim atheas, plures Scriptores testantur; nam de Thoibus extremæ Thraciæ populis id tradit Porphyrius (in Lib. II. *de abstinentia ab animatis*). Idem refert Dionysius de Nasamonibus (in *Periegesi* n. 210.), *qui populi erant in Lybia juxta Syrtes, spoliis naufragorum viventes*, ut Herodotus scribit (Lib. IV.). De gigantibus autem hæc habet Macrobius (Lib. I. *Saturnalium* cap. 20.): *Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quamdam impiam gentem Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cælesti sede voluisse?* Strabo denique auctor nobis est, quosdam fuisse populos athéos tum in Hispania, tum Æthiopia (b).

142. Resp. ad primum. Cottam ariolari potius, quam ex rei veritate id asserere. *Arbitror*, inquit, neque ullum in medium affert harum gentium athearum exemplum; non prætermissurus profecto, si illud in promptu habuisset. Hinc Cicero nullam hujus opinionis se rationem habuisse demonstrat; sæpe enim repetit, omnibus implantatam esse divinitatis notitiam (c). Sane Damis, Deorum osor (apud Lucianum *in Dialogo Jovis tragœdi* n. 42.) omnium hominum de Diis consensum negare non est ausus; sed ad hujus consensus auctoritatem minuendam diversas affert ridiculas, & sibi repugnantes plurium gentium hac de re sententias: unde infert, nihil infirmum ea, quæ de Diis feruntur, habere. Quæ objectio, quam sit infirma, supra vidimus num. 137.

143. Plutarchus autem non de nationibus loquitur, sed de Atheis quibusdam Philosophis, & solum asserit, fuisse quidem inventos, qui Deum prorsus tollerent, neminem autem inventum fuisse, qui Deos faceret mortales; unde subdit: *Deum autem qui existimat, sed eumdem non securum interitus, non æternum, inventus est ne unus quidem homo. Certe qui athei appellantur, quod negarent esse Deos, Theodorus, Diagoras, Hyppo non ausi sunt dicere, Deum esse interitui obnoxium &c.*

144. Ad secundum, Eusebius tantum vult, veteres Græcos ante Pythagoram, & Anaxagoram ita desipuisse, ut mentem divinam, a qua motus principium repetebant, una cum materia confundere, ita ut ex materia, & mente divina illam moventе nonnisi unum principium constituerent. Pythagoram autem, atque Anaxagoram duo distinxisse principia, Deum scilicet, & materiam; unde isti non Dei notionem primo invexerunt, sed solum a materia Deum separarunt; quod etiam S. Thomas observavit lib. I. *contra Gentiles* c. 20. inquiens: *inter antiquos solus Anaxagoras ad veritatem accessit, ponens intellectum moventem omnia separatum*. Ceterum idem Eusebius in eodem opere *De præparatione evangelica* Lib. II. cap. 6. luculenter tradit insitam omnibus fuisse Dei cognitionem, etsi in aliis vero minus superstitione fœdatam. *Dei nomen*, inquit, *essentiamque ... omnes populi communi quodam rationis usu percipere, cum ab omni animo ratione, & intelli-*

(a) Confer P. Casti Innoc. Ansaldi libros tres *de traditione principiorum legis naturalis* Mediolan. 1742. in 4. Ridendum autem plane se prodit impurus scribillator *Systemat. naturæ*, dum Part. II. cap. 4. hanc Dei notitiam ad nos pervenisse dicit a primis nostris parentibus, qui homines fuere *ignari*, ac *sylvestres*; vel fortasse a *Legislatoribus*, de quibus infra.

(b) Ita enim habet Lib. III. *Geographicorum* pag. 114. edit. Basil. 1523. in fol. *Callaicis nullum Deum esse quidam ajunt*. Et Lib. XVII. p. 554. de populis Æthiopiæ, *qui ad torridam habitant, nonnullos esse*, ait, *qui Deos non colunt*.

(c) Libros *de natura Deorum fuisse* a Cicerone scriptos ad atheismum inducendum aliqui suspicati sunt, ut Jaquelotius Dissert. I. *sur l'existence de Dieu*. Sed cum alibi tam sæpe, & tam aperte Deos esse fateatur, immerito ut equidem reor, in atheismi suspicionem trahitur. Iis enim, quæ superius allata sunt, hæc addi possunt, Lib. I. *De legibus* cap. 8. *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat*. Et L. II. *De natura Deorum* cap. 1. *Qui dubitat (esse Deum) haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc, illo evidentius? Quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, cæteris opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse...... Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*.

*ligentia prædito idem hujus universitatis arti ex naturalibus quibusdam cogitationibus inseruerit.*

145. Ad tertium. Nec alio sensu accipienda sunt verba Herodoti, videlicet Homerum, & Hesiodum primos fuisse, qui Græcis *Theogoniam* exposuerint, Deorumque cultum invexerint, quatenus ipsi *Theologiam* Græcorum ordinarunt, nova Numina invexerunt, totamque religionem, ut ipsis quidem videbatur, in meliorem formam redegerunt; non autem quasi ipsi primi Deorum notitiam, & cultum in Græciam intulerint (*a*).

146. Ad quartum. Quæ de gentibus atheis antiqui Scriptores memoriæ prodiderunt, non eo sensu intelligenda sunt, quod nullum omnino numen agnoscerent; sed quod ita barbare, atque impie viverent, perinde ac si nullam haberent naturæ legem cordibus insculptam, nullumque timerent scelerum punitorem Deum. Id pluribus exemplis declaro. Ut Thoes, & Nasamones omittam, de quibus nil peculiare compertum habeo, Macrobius gigantes vocat impiam gentem Deos negantem; hoc autem ita explicat Cicero (in *Catone majore* cap. 2.) *Quid est aliud gigantum more bellare cum Diis, nisi naturæ repugnare?* Strabo nonnisi incertum rumorem de Callaicis atheis refert, inquiens: *Callaicis Deum nullum esse, quidam ajunt*. Appellat vero Æthiopes quosdam atheos non alia de causa, ut videtur, nisi quia infensi erant, *propterea quod sol eos urat*; & de quibus Pomponius Mela (Lib. 1. cap. 3.) ait: *solem execrantur, & dum oritur, & dum occidit ut ipsis, agrisque pestiferum*. Cicero (*in Oratione pro M. Fontejo*) Gallos arguit, ut maxime irreligiosos; cum Cæsar oculatus testis (*in Comment. de bello gallico* Lib. 6. cap. 16. dicat: *Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus:* ubi etiam magna Druidarum, qui sacrificiis præerant, auctoritatem describit. (Recolantur, quæ supra dicta sunt n. 6.

147. Neque prætereundum est, nonnumquam per contemtum fuisse atheos vocatos, qui inanium Deorum turbam superstitiosis ritibus colere recusabant. Hac de causa Socratem, & nonnullos alios ἀθέους damnatos fuisse, fama est (vide supra notam (*a*) ad num. 6.). Plinius etiam (Lib. XIII.) *Hist. natur.* cap. 4.) Judæos appellavit *gentem contumelia numinum insignem*, & Christianos sæpissime ab Ethnicis ἀσεβεῖ, ϰ ἀθέους, *irreligiosos, & atheos* dictos esse, scimus: unde illa vox contra Christianos sævientium (apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccles.* cap. 5. αἶρε τοὺς ἀθέους *tolle atheos:* cui calumniæ depellendæ veteres nostri Apologistæ Justinus, Melito, Athenagoras insudarunt. Consul. eruditissimus P. Thomas Maria Mamachius T. I. *Originum, & antiquitatum Christianarum* c. 3. §. 1.

148. Inst. primo. Nostra, Patrumque nostrorum memoria plurimæ, magnæque nationes inventæ sunt sine ulla prorsus Dei cognitione. Id de Americanis a se detectis testatus est Americus Vespucius (apud Rainaldum ad ann. 1510.) Idem de Brasiliensibus confirmat Jo. de Leri, & Petrus Richier, qui eo ad propagandos Calvini errores perrexerant (ut narrat Bælius in *Diction.* art. *Leri* rem. A.). Idem de Groenlandis asserit Andersonius (*In Hist. naturali Islandiæ, Groelandiæ &c.* Tom. II.), innixus præcipue testimonio cujusdam Missionarii, & auctoris *Perlustrationis Groenlandiæ*. Præterea P. Dan. Huetius (Lib. II. *Alnetanarum qu.* cap. 1.) postquam sibi visus est demonstrasse magnum hominum consensum in Deo agnoscendo, non paucas tamen gentes reperiri concedit, nulla Dei notitia imbutas. *In utroque orbe*, ait, *nonnulli sunt Dei plane inscii, veluti pars Canadensium Tartarorum, Cafri incolæ Capitis bonæ spei, Caraibarum, & Canaexiguæ plerique*. Ubinam igitur est decantatus ille omnium consensus?

149. Resp. Itineratores illos, qui nationes plane atheas sibi visi sunt invenisse, plerumque ignorantia idiomatis, morumque earumdem gentium fuisse deceptos. Nam alii, qui illorum barbarorum mores penitus perscrutati sunt, nos certos faciunt, non levia ubique, nec pauca in iis se deprehendisse alicujus religionis vestigia. Fidem faciunt hac de re inter alios Ant. de Herrera (*in Americæ descriptione*), Josephus Acosta (in *Hist. Inst. Occid.* Lib. V. cap. 2. & 3.) & Winslovius (Tom. IV. *Turchas* Lib. 10. cap. 5.) Hic postremus cum prius putasset, barbaros in Anglia nova nullum Deum agnoscere, postea re melius inspecta dicit, & unum supremum, & multos alios inferiores ab iisdem coli. Sic Hottentoti, qui Caput bonæ spei incolunt, qua parte ad occidentem vergit, & quibus nihil agrestius, aut incultius fingi potest, in atheis ab itineratoribus communiter numerabantur; sed Petrus Kolbe eorum religionem nobis exponit, qua unum supremum Numen, & multos inferiores Deos ab iis superstitiose coli animadvertit (*Description. du Cap de bonne esperance* Amst. 1742. in 12. tom. 1. c. 12.), immo alios etiam hujus rei testes allegat, ac inter cæteros P. Tachardum, & Boevingium. Petrus autem Kolbe majori præ cæteris fide dignus videtur, quoniam decem annos ea in regione commoratus est, nullumque omisit laborem, ut illarum gentium mores propius inspiceret. Idem de Floridæ incolis, qui pariter athei ab itineratoribus habentur, propria experientia se comperisse testatur auctor (*speciminis de providentia, & de physica possibilitate resurrectionis, Amstelod.* 1731. *epist.* 8.). Idem plures alii referunt de aliis

(*a*) Ita censent Laur. Moshemius in nota 1. ad §. 13. c. 2. *Systematis intellectualis* Rad. Cudworthi, Jo. Cler. in notis ad *Hesiodi theogoniam*, Eduardus Festius in Lib. I. *Antiquit. Americanarum* cap. 1.

Iis gentibus, ut nulla jam fides adhibeatur iis, qui populos aliquos nulla prorsus religione imbutos se invenire in suis itineribus referunt (a). Petrus autem Dan. Huetius falsis hujusmodi Itinerarorum relationibus se decipi passus est.

150. Inst. secundo. Plures adhuc restant nationes ignotæ, de quibus, quidnam de Deo sentiant, certo definiri nequit: quamobrem illud repeti potest, quod Cotta supra laudatus dicebat ( apud Ciceron. Lib. I. *de natura Deor.* c. 23. ): *unde notæ tibi sunt opiniones nationum*.

151. Resp. Ex iis regionibus, quæ hactenus detectæ sunt, argumentum duci posse, sin minus undequaque, saltem *moraliter* certum, alias etiam, quæ ignotæ supersunt, Dei cognitione non omnino carere, quam vel ipse naturæ auctor iis impressit, vel antiqua potius Patrum traditio ad filios, ac nepotes transmisit, quamque ipsa rerum contemplatio ita manifeste confirmat, ut vel ipsi rudes haud difficulter possint in aliquam Dei notitiam assurgere. Ceterum vel solus consensus omnium hominum, quos noscimus, satis firmum hujus veritatis argumentum nobis suppeditat, quin ad ignotos confugiamus.

152. Obj. secundo. Philosophorum testimonium multis indoctorum myriadibus præferendum est, ut enim ait Cicero ( in *Oratione pro Roscio Amerino* ) *vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa existimat*; atqui non pauci, nec ignobiles Philosophi, imo integræ plane eorum familiæ, atheismum olim profitebantur. Nam primo Rad. Cudvvorthus ( in *System. intellectuali hujus universi* cap. 3. §. 30. ) quatuor numerat atheorum sectas in scholis Democriti, Anaximandri, Stoicorum, & Stratonis. Immo illud potissimum est Ciceronis dictum: *eos, qui dant Philosophiæ operam, non arbitrari, Deos esse*. Lib. 1. de *inventione* cap. 29.

153. Secundo. Mundos alios fuisse atheismo infectos significat Plato ( *Dialogo X. de Legibus* ) ita impium quemdam adolescentem compellans, *non tu solus neque tui primo hanc de Diis* ( scilicet nullos esse ) *opinionem habetis, sed aliquis semper, cum plures, cum pauciores hoc morbo laborarunt*. Philo etiam Judæus ( L. III. *allegoriarum Legis* p. 93. Tom. I. operum ) de atheismo sua ætate grassante conquerebatur.

154. Tertio. Spinozæ atheismum in Asia & regnasse olim, & etiam modo longe, lateque grassari apud sapientes, compertum est (a). Certe P. Couplet ( *in præfat. ad Confucium Sinarum Philosophum* ) testatur, interpretes, qui antiquos Sinensium libros commentati sunt, in iis purum putumque Spinozismum deprehendisse. Et P. de Rhodes ( *Divers voyages en la Chine &c.* P. I. ch. 14. ) refert, sectam sapientum, qui plurimi apud Sinenses sunt, Spinozæ atheismum profiteri (b).

155. Quarto. Turcarum cultiores nullam divinitatem venerari, aut agnoscere, testatur Ricautius illius gentis morum peritissimus (c). Petrus autem a Valle ( T. II. ) refert, quosdam esse Mahumetanos dictos *Elh eltahik*, hoc est *homines veraces*, qui nullum Deum credunt.

156. Demum multo plures sunt athei clancularii, quos, ut ait Cicero ( Lib. I. *de natura Deorum* cap. 23. ), *tardiores ad hanc sententiam profitendam timor supplicii facit* (d). In his a Plutarcho ( apud Eusebium Lib. XIV. *Præparationis Evangelicæ* c. 16. ) numeratur Euripides, quamvis Areopagitarum formidine non se aperuit, Sisiphum tamen induxit, ut quibuscumque posset rationibus Deos tolleret.

157. Resp. ad primum, Cudvvorthum nihil aliud velle, quam eos, qui atheismum profitebantur, in explicanda *Cosmogonia* ad unam ex his quatuor sectis quasi necessario delabi; non autem o-

(b) Maturinus Veyssiere la Croze in suis *Entretiens sur divers sujets d'histoire, de litterature, de religion, & de critique* Coloniæ ( vel potius Amstelod. ) 1711. in 12. gravibus testimoniis atheismi notam a Canadensibus, Brasiliensibus, aliisque populis depulit. Jo. Lud. Fabricius tres edidit dissertationes, quibus titulus est *Apologeticus pro genere humano contra calumniam atheismi*, quæ prostant in ejus operibus Tiguri editis 1698. in 4. Eduardus Stillingfleetus in *Originalibus sacris* atheismum multis populis immerito tribui ostendit, nempe incolis Cubæ, Hispaniolæ, & insularum Antillarum, Americanis septentrionalibus, Canadensibus, Huronis, Soriquensibus, Virginiensibus, Americanis insuper meridionalibus, ut sunt Paraquarienses, Brasilienses, Diagriti, Guiacuri, Guarani, Caschaquini, & Chili incolæ. Postea in Africam migrans ostendit, injuria fuisse accusatos atheismi Abyssinos, Æthiopes, Calanos, habitatores Madagascar, Cafros, & qui incolunt Caput bonæ spei. Alios similes scriptores recenset J. Alb. Fabricius *in Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ lucubrationibus asseruerunt* c. 8. n. 3. p. 311. edit. Hamburgi 1725. in 4.

(a) Confer. *Acta Eruditorum Lipsiæ* 1688. pagina 257. & seq.

(b) Vid. Arnaldi *cinquieme denonciation du Philosophisme* art. v. exemple 3.

(c) *Hist. de l'État présent de l'Empire Ottoman* Tom. II. cap. 12. & Bespier *Remarques curieuses sur l'État présent &c.*

(d) Præter Protagoram Abderitem, quem supra ( nota ad num. 3. ) diximus, fuisse Atheniensium jussu urbe, atque agro exterminatum, Socrates, & Prodicus Ceus propter atheismi notam eis impactam fuere ad cicutam damnati. Imo neque Epicureos fuisse olim toleratos, quia providentiam negabant, auctor est Claudius Ælianus apud Suidam, referens eos Senatus consulto fuisse Roma expulsos; idemque præstitum olim fuisse a Messeniis, & Lictiis. Vid. Grotius *de Jure belli, & pacis* L. II. c. 20. §. 46. Recentiora exempla atheorum, qui extremo affecti sunt supplicio, exhibent, præter Vaninum supra memoratum, Cosmus Anggerius Florentinus Paris 1615. & Casimirus Leszinkius Polonus Varsaviæ a. 1689. capitali sententia plexi. Idem fatum experti sunt Franc. Van. Ende in Gallia, Mahumetes effendi apud Turcas &c. &c.

omnes harum sectarum Philosophos atheos fuisse. Qui enim Deum omnium rerum auctorem negabant, non aliter poterant hujus mundi genesim explicare, quam aut cum Democrito fabulantes, eum ex fortuito atomorum concursu, ut pulverum acervum, fuisse natum; aut cum Anaximandro, & *Hilopaticis* in materia formas, & qualitates naturaliter continere somniantes; aut cum Stoicis, & *Comosplasticis* naturam quandam artificiose omnia machinantem admittentes; aut demum cum Stratonicis, & *Hylozoitis* materiam omnem naturali vita, & efficientia præditam statuentes. Non tamen e converso omnes, qui hæc systemata propugnabant, athei erant.

158. Equidem fateor, hæc systemata magnam viam atheismo aperire, quod materiæ creationem ex nihilo tollant, imo & divinam providentiam: qui ea tamen amplectebantur, non omnes illorum consequentias aut videbant, aut admittebant; unde athei vere, & proprie dici non poterant (*a*). Et sane, si omnes illi atheis essent accensendi, quorum principia ad atheismum ducunt, infinita propemodum exsurgeret atheorum multitudo. Sic ex. gr. *Antropomorphitæ*, qui Deum humana forma præditum existimabant, Sabelliani, Ariani, & quotquot falsam veræ divinitatis ideam habent, atheismi accusari deberent. Sed illud sapienter dictum a Leibnitio ( in *Theodicæa* ): *cave a consequentiariis*.

159. Quod autem ex Cicerone objectum fuit, facile expeditur ex ejusdem contextu, ubi hoc dumtaxat refert inter ea *probabilia*, quæ in opinione posita sunt. Ceterum ipse Tullius innumera in suis operibus affert Philosophorum nomina, qui Deos esse statuebant.

160. Ad secundum, Plato confitetur quidem, atheos semper fuisse aliquos, modo plures, modo pauciores; sed addit tamen omnes re melius perpensa atheismum ejurasse; ita enim subdit: *quod vero plurimis eorum contigit, tibi narrabo. Profecto nullus eorum ab adolescentia usque ad senectam in hac opinione, quod Dii non sint, perseveravit*. Athei vero Philonis latiore sensu accipiendi sunt pro hominibus impiis, quorum semper fuit magna colluvies.

161. Ad tertium. Si *Spinozismi* nomine intelligatur *pantheismus*, eorum scilicet error, qui Deum esse animam mundi stulte opinabantur, concedi potest, & regnasse olim, & hodie adhuc inter Asiæ sapientes *spinozismum* grassari: non vero id concedi potest, si *spinozismi* nomine purus putusque intelligatur *materialismus*, & *atheismus*. Et quidem tanta est de Sinensibus Philosophis Scriptorum dissensio, ut observante eruditissimo Jac. Bruckero ( in *Historia Critica Philosophiæ* Tom. IV. Par. 3. P. 2. Lib. 3. ) aut vix, aut nullatenus possit certi aliquid definiri. Putarunt nonnulli, priscos illius gentis sapientes veram unius Dei religionem bis mille, & amplius annorum spatio omnino servasse (*b*): quod si verum foret, nostræ sententiæ robur adderet. Sed multis argumentis, ut puto, jam demonstratum est, veram religionem, quæ proculdubio a Noe per traditionem ad eas gentes dimanaverat, fuisse jamdudum impiis superstitionibus fœde corruptam: non tamen eo sensu, ut una simul cum religionis puritate fuerit etiam notitia Dei penitus extincta. Nam ejus gentis Philosophi, quantum ex enatis nuper controversiis colligi potest, divinam quamdam virtutem esse toto cœlo diffusam, tamquam animam mundi, fere ad Stoicorum mentem credebant. Hanc nominabant *Xang-ti*, ejusque præcipuam partem cœlum incolebant, reliquas vero terram. Ita visum est iis ipsis, qui Sinenses Philosophos atheismi accusarunt ( Vid. laud. Bruckerus §. 19. seq. ). Sane Sinensium Imperator an. 1700. publico edicto testatus est, Sinenses non materiale cœlum, sed cœli Dominum adorare, ut refert Joann. Baptist. Du Halde ( *Description de la Chine* Tom. IV. ).

162. Si quæ igitur ibi est atheorum secta, quod ex nonnullorum relationibus contendit Bælius, nec magna esse potest, nec florens. Et Patr. Card. Martini cum prius dixisset ( initio suæ *Historiæ Sinensium* ) in libris Sinensium altum esse de Deo silentium, imo in tam copiosa lingua nec nomen quidem Dei haberi, eos uti nomine *Xang-ti* ad designandum Dominum cœli, ac terræ, habereque aliqua sacrificia ad qualecumque Numen placandum. Quod si Sinensium Philosophos plerumque atheos vocari audimus, intelligendum id est in latiore aliqua significatione, ut superius ( n. 6. ) explicavimus (*c*).

163. Quæ quarto loco objecta sunt, eadem ratio-

(*a*) Id de Epicuro, cujus systema magis fortasse, quam alia, atheismo favet, ostendit Bruckerus in *Historia Critica Philosophiæ* Tom. I. L. II. cap. 13.

(*b*) In auctores librorum *Nouveaux Memoires sur l'état présent de la Chine; Histoire de l'édit de l'Empereur de la Chine: Lettre de Cérémonies de la Chine*; & qui quinque propositiones a Facultate Sorbonæ die 18. Octob. 1700. damnatas tueri conati sunt. Vid. Dupinius *Defense de la censure de la Faculté de Théologie de Paris contre les memoires de la Chine* à Paris 1701. in 12.

(*c*) Qui de Sinensium philosophia egerunt, in duas potissimum classes scinduntur. Quidam sunt, iique præsertim Missionarii extinctæ S. J. qui eam, ut ὀρθοδόξον, magnis laudibus extollunt. A. 1687. prodiit Parisiis *Confucius Sinarum Philosophus, sive scientia Sinica latine exposita studio, & opera Prosp. Intorcetta, Christ. Hendrich, Franc. Rongemont, Phil. Coupletti* PP. S. J. in fol. cum erudita diss. præliminari; & an. 1711. Franc. Noel ejusdem Soc. Pragæ edidit *Sinensis Imperii libros classicos sex, e Sinico idiomate in latinum traductos*. Sed vir doctissimus Eusebius Renaudotius in diss. præliminari Operis, cui titulus *Deux anciennes relations des Indes, & de la Chine de deux voyageurs mahometans du neuvième siècle* à Paris 1718. in 8. horum librorum fidem suspe-

tione solvuntur, videlicet multos esse, nedum apud Turcas, sed, quod maxime dolendum est, etiam apud Christianos, & ubique atheos latiore significatione, homines scilicet perditis moribus, qui ita vivunt, ac si Deus nullus esset vindex malorum, aut saltem nostra non curaret. Athei etiam nonnunquam ii vocantur, qui divinam, ac supernaturalem revelationem, ut Legislatorum, ac Sacerdotum fraudes, explodunt, quos certe plurimos esse infelix hæc nostra ætas dolet. Ceterum omnes fere, qui ita vixerunt, vel in senectute, vel morti proximi, quando passiones minus tumultuantes veritati locum facilius concedunt, hunc qualemcumque atheismum exuere visi sunt. Id de Bione narrat Diogenes Laertius ( L. IV. Segment. 55. edit. Westenii ); idem de Tullo Hostilio Romanorum Rege T. Livius ( Decad. I. l. 1. c. 31. ); & omnibus fere incredulis id contingere solere, observat Bælius ( in *Diction.* art. *Bion.* rem. & alibi ) (*a*).

164. Quod demum additum de atheis clandestinis fuit, mera est suspicio solidis destituta fundamentis. Sane in tanta librorum pestilentium colluvie, quibus moderni increduli religionem convellere opera male sedula nituntur, admodum pauci sunt, qui Deum esse inficientur. Hos porro timor supplicii ab atheismo profitendo non retardat; quia libros emittunt in lucem anonymos, ne detegantur; certo enim sciunt, si detegantur, debitas se pœnas daturos, vel ex hoc solo, quod religionis hostes se manifestant, cui conservandæ Principes, & Magistratus merito, ut par est, semper invigilant.

165. Obj. tertio. Omnium gentium consensus certum non est veritatis indicium; potest enim etiam error longe, lateque diffundi, ut fiat universalis, quod pluribus exemplis est manifestum. Nam primo quid olim magis pervulgatum, quam nullos esse antipodes, nullos sub linea æquinoctiali habitatores, solem moveri, terram vero quiescere, & alia id genus a majoribus nostris universim credita, a recentioribus autem aut aperte falsa inventa, aut saltem non sine fundamento in dubium revocata (*b*)? Secundum exemplum erroris antiqui, & pene universalis, magis affine, & plane simile suppeditat polytheismus, & idololatria; maxima enim pars hominum erat olim superstitioni dedita. Hinc Cæcilius ( apud Minutium Felicem in Dialogo, qui inscribitur *Octavius* n. 8. ) pro tuenda idololatria jactabat *omnium gentium firmam consensionem;* & postea ( n. 10. ) *Judæorum*, inquit, *sola & misera gentilitas unum Deum . . . coluerunt.* Reipsa olim sola Judaica natio fuit a polytheismi superstitione immunis. Imo quam sæpe vel ipsi Judæi exemplo aliorum pertracti in idololatriam prolapsi sunt! Majores Abrahæ fuisse idolorum cultui deditos, colligitur ex Lib. *Josue* XXIV. 2. & ubi de Thare patre Abrahæ, & Nachor ejus fratre dicitur: *servierunt Diis alienis*. Nec desunt, qui vel ipsum Abrahamum impiam patris sui superstitionem aliquando secutum affirment (*c*).

166. Resp. Nunquam errores ita late, & apud omnes fuisse diffusos, ac constanter perseverasse, ut communis semper fuit, semperque magis confirmata de divinitate opinio. Et quantum ad exempla primo loco objecta; facile quisque videt, rudes & indoctos nihil prorsus de his rebus aut sci-

ctam reddidit, veritas nempe, eorum interpretes talem nobis versionem dedisse, quæ eorum commodis in celeberrimis controversiis jamdiu excitatis inserviret. Reipsa cum tabulæ Sinensium astronomicæ, Cassino, & Picardo observantibus, non fuerint ab eis incorruptæ editæ, sed ad tabulas Tychonis Brahei emendatæ, quod Conplettus tandem confessus est, justa aderat causa similes interpolationes suspicandi in aliis capitibus, quæ ipsorum multo magis intererant. Idem fuit judicium etiam doctissimorum virorum Laur. Magalottii, Car. Dati, & potissimum Car. Maigrot Episcopi Cononensis in *Obs. in L. XIX.* T. II. *P. V. Hist. S. J. Juvenci*, quod Maigroti opus etiam gallico idiomate prodiit cum hoc titulo: *Examen des cultes chinois*, & falso attributum fuit P. Thomæ Mariæ Minorelli Ord. Præd. Hi tamen postremi, & quotquot Sinensium doctrinam atheismi accusarunt, nihil aliud contendunt, nisi ejus gentis litteratos homines Pantheisticis erroribus adhærere, credentes divinam quandam virtutem esse toto terrestri, cælestique orbe diffusam. Idem de iisdem judicium ferunt PP. Riccius, Martinius, de Comitibus, Grellonius, la Favre, Longobardus, Passio, & Sabbathinus, quibus adhærent Franc. Buddeus de *Spinozismo ante Spinozam*, Grapius *de Theologia Sinensium*, & Bælius in *Diction.* art. *Spinoza* rem. X. Contra vero pugnant pro ὀρθοδοξία Sinensium præter Jesuitas laudatos, Leibnitius epist. gallica ad Remondum *de Philosophia Sinensium*, quæ est 18. T. II. earumque epist. editor Christianus Kortholtus in *Diss. de Philos. Sinensium* contenta in præf. vol. II. edit. Lips. 1735. in 8. Crozæus *Entretiens sur divers. sujets &c.* Reimannus *Hist. Atheismi*, & Heumannus in *Actis Phil.* vol. 1. Videri etiam possunt Jos. Sigebertus Bayerus in *Comment. Orig. Sinic.* & in *Musæo Sinico*, Christ. Wolfius *de Sinarum Philosophia*, & alii multi.

(*a*) Plura exempla Atheorum, qui aut meliore consilio atheismum ejurarunt, aut horribiles suæ impietatis pœnas dederunt, multa eruditione nuper collegit Pontoppidanus uno vol. in 8. de quo vid. Bernenses Ephemerides T. I. ann. 1760. Celebris est etiam conversio Com. Rostæ, quæ describitur a Gilberto Burneto in libello inscripto *Rostæ Comitis in extremis μετάνοια*. Ultrajecti 1698. Vid. sup. testim. Platonis n. 160.

(*b*) Minutius Felix in *Octavio* n. 20. *Majoribus nostris*, inquit, *tam facilis in mendaciis fides fuit ut temere crediderint etiam alia monstruosa, mire miracula, Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, & Hydram felicibus vulneribus renascentem, & Centauros, equos suis hominibus implexos, & quidquid famæ licet fingere, illis erat libenter audire.* Hoc multis aliis exemplis confirmare nititur nuperus atheismi defensor in *Systemate naturæ* P. II. cap. 4.

(*c*) Confut. Nic. Serarius in hunc locum *Josue*, August. Calmet in cap. XI. 31. *Geneseos*, & Liber *Judith* c. V. 7.

scivisse, aut disputasse, quæ solum inter sapientes agitabantur; qui etiam inter se minime concordes erant, ut patet in exemplo antipodum, quos existere plerique, nec sine fundamento contendebant (*a*). Multo autem minus opiniones illæ erroneæ fuerunt universales ratione temporis; felicioribus enim ævis earum falsitas detecta fuit (*b*). Contra res se habet in cognitione Dei, quæ a Deo ipso nobis quasi implantata fuit, traditione propagata, atque evidentibus rationibus semper magis magisque confirmata, omnibusque populis cultis, atque incultis communis; & longa experientia nos docet, frustra eos laborare, qui commentis, cavillationibus, ineptisque sophismatibus nituntur eam tollere.

167. Facile demum rejicitur exemplum polytheismi, atque idololatriæ. Nam primo enormiter errant, qui idololatricam superstitionem, aut priorem vera religione, aut illi coævam esse arbitrantur: est enim certissime illi longe posterior ut suo loco ostendetur. Deinde quamquam superstitio longe lateque regnans totum fere orbem occupaverit, opinio tamen unius tantum summi Dei communis semper fuit, saltem apud sapientes, qui ipsa ratione duce supremum numen nonnisi unum esse posse cognoverunt; unde illud Antisthenis ( apud Ciceronem L. 1. *de nat. Deorum* c. 13. ) *populares Deos multos, naturalem unum esse*, quod etiam demonstrabitur infra. Tertio ut consensus hominum persuadendi vim habeat, debet esse universalis etiam ratione temporis; at vero quis ignorat, polytheismum habuisse sua primordia, & incrementa, post autem decrementa, & quidem talia, ut non immerito credatur, eum tandem suum finem habiturum? Opinio autem Dei semper viguit apud homines, vigebitque immortalis. Accedit demum & perpetuus dissensus nationis Judaicæ, in qua verus unius Dei cultus semper conservatus fuit. Gens autem Judaica, ut notum est, fuit aliquando, & numero potens, & artibus belli, & pacis exculta, ut merito appellari potuerit *populus sapiens, & intelligens, gens magna, natio grandis* Deut. IV. 6. & 7. Et quamquam in hac ipsa Gente aliquos, modo plures, modo pauciores, in idololatriam labi Deus aliquando permiserit, quosdam tamen sibi semper servavit puræ religionis observatores (*c*). Imo & inter ipsos Gentiles non defuerunt unius veri Dei cultores, ut Job, Ninivitæ, & alii.

168. Et præterea polytheismus adeo absurdus est, sanæque rationi repugnans, ut mirabile videri non debeat, hoc erroris portentum fuisse tandem explosum. Ita ne vero pronunciabunt athei etiam de Dei notione, videlicet eam sanæ rationis principiis opponi? Imo contra ipso naturali lumine mirifice confirmatur; & quocumque oculos nostros convertimus, ubique clara, & perspicua sapientiæ, ac potentiæ divinæ vestigia videmus.

169. Obj. ult. Dei cognitio admodum probabiliter fuit a Politicis, legumque latoribus primum invecta, & late divulgata ad continendos in officio populos (*d*); cum autem postea consueverit pueris cum lacte nutricis instillari, communis tandem evasit. Et quidem scimus, a Numa Pompilio Deorum religionem in Rom. rempublicam invectam, cum antea nulla esset ( Vid. T. Livius lib. I. *Hist.* n. 19. ). Præterea Varro ( apud S. August. Lib. VI. *de Civ. Dei* c. 3. & 4. ) Romanas antiquitates nobis exhibens a rebus humanis initium sumit, & postea ad divinas progreditur: id autem se fecisse testatur, quod prius extiterint civitates, deinde *res divinæ ab hominibus institutæ sint; prior est pictor, quam tabula, prior faber, quam ædificium.* Tertio. Omnibus ferme Legumlatoribus illam fraudem communem fuisse videmus, ut se cum Diis colloquia habuisse mentirentur, atque ita suis legibus divinam auctoritatem conciliarent. Sic Numa nocturnos cum Dea Ægeria congressus fingebat: Lycurgus Apollinis Delphici oraculo suas leges probatas fuisse asserebat. Minos a Jove in antro Dictæo sua omnia didicisse comminiscebatur: Mahumetes se vatem Domini, cujus mandatis resistere nefas esset, palam prædicabat; quibus omnibus præivisse Moysem Jo. Tolandus ex testimoniis Diodori Siculi, & Strabonis impie insinuare ausus est ( in *Adeisidæmone* §. 6. ). Demum celebre est illud Poetæ, *Primus in orbe Deos fecit timor* (*e*). Ut etiam nunc multi sunt, qui, cum morborum, quibus affliguntur, causas, & remedia invenire nequeant, eos maleficorum, ac Dæmonum artibus

(*a*) Celebre est illud Senecæ de antipodibus vaticinium in *Medæa* Act. 2.

*. . . . . Venient annis*
*Sæcula seris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat tellus, Typhysque novos*
*Detegat orbes, nec sit terris*
*Ultima Thule.*

(*b*) Excipienda tamen est opinio de motu solis, quæ nondum inter errores populares rejici omnino debet, ut eruditi norunt.

(*c*) Falsum est, Abraham patrem omnium credentium idolis aliquando serviisse. Etiam majores Abrahæ, Tharæ, & Nachor falso hujus impietatis accusari, ostendit Alexius Symmachius Mazochius in *Spicilegio Biblico* Tom. I, p. 121.

(*d*) Ita Critias apud Sextum Empiricum *adversus physicos* n. 54. edit. Fabricii: quam passim excribunt moderni Increduli, cum persuadere nituntur, aut nullum esse Deum, aut saltem res nostras minime curare.

(*e*) Ita Petronius in *Fragmentis*; sed ante eum Statius L. III. *Thebaidos*. Vid. Jo. Clericus in *Sylvis philologicis* c. 7. §. 10. suæ *Æschinis dialogorum* editionis. Hoc autem argumento usi sunt inter veteres Sextus Empiricus L. VIII. *advers. Mathematicos*, & Seneca L. II. *naturalium quæst.* c. 42. quorum prior ita habet: *nonnulli dicunt, eos, qui primi præfuerunt hominibus, & quid humanæ vitæ conferret, considera-*

bus stulte tribuunt. Sane Pythagoras ( teste Æliano L. IV. *Variarum Historiarum* ) occasione terræmotus, metu populi abutens, ipsius causam ajebat esse conventus mortuorum. Hinc Lucretius generaliter concludebat ( L. VI. *de natura rerum* vers. 49. )

*Quorum operum causas nulla ratione videre*
*Possunt, hæc fieri divino Numine rentur* (*a*).

170. Resp. Nihil dici posse magis a veritate alienum, quam a Legumlatoribus fuisse primum Dei notitiam inventam; tum quia Dei notitia in iis etiam efferatis nationibus semper vignit, quæ nullis utebantur legibus; tum etiam quia, ut bene Lactantius observat ( de *ira Dei* cap. 10. ), quomodo potuissent ii Legumlatores utut vaferrimi, *non tantum indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallere, & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem maximarum sectarum principes tam facile deludere?* (*b*).

171. Numa Pompilius non certe primus divinitatis notitiam, aut religionem Romanis dedit, sed Deorum cultum in certam formam redegit, sacrificiis, & Sacerdotibus institutis, vestibus, vasibus, instrumentis, temporibus, aliisque ceræmoniis Deorum cultui determinatis; seu, ut inquit Lactantius *in epitome divin. Institutionum* cap. 22. *agrestes illos, ac rudes viros superstitionibus novis oneravit, Sacerdotia instituit, & Deos familiis, gentibusque distribuit, ut animos ferocis populi ab armorum studiis evocaret*. Profecto religiones aliquas apud Romanos viguisse ante Numam, vel ex hoc solo conjici potest, quod Romulus ex avium volatu augurium contra fratrem Remum cepisse dicitur: unde Cicero ( Lib. I. *de Divinatione* cap. 2. ) *principio*, inquit, *hujus urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed etiam optimus augur fuisse traditur*. Et Numa ipse, ut narrat Livius ( L. I. *Histor.* n. 18. ) invocato Jovis auspicio ab Augure rex declaratus est.

172. Difficultatem ex Varrone depromptam solvit S. Augustinus ( Libro VI. de *Civit. Dei* cap. 4. ) observans, falsas religiones utique esse posteriores civitatibus; *vera autem religio*, inquit, *non a terrena aliqua civitate instituta est, sed plane cælestem ipsa instituit civitatem*. Cæterum Varro contendit quidem, divinarum rerum institutionem esse civitatibus posteriorem, vult tamen, Deorum naturam esse civitatibus priorem. *Si de omni*, inquit, *natura Deorum, & hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana attigissemus*. Nihil igitur aliud voluit Varro indigitare, quam divinam naturam semper quidem extitisse, sed non semper fuisse certum, atque ordinatum ejusdem cultum, quem homines sapientes postea ordinarunt.

173. Legumlatorum fraudes, & mendacia de colloquiis cum Diis non probant, ab iis primo fuisse divinitatis opinionem populis impressam: sed potius eos fuisse abusos communi persuasione, ante jam existente, scilicet Deos esse, qui nostra curarent, ut eorum se legatos ad leges promulgandas mentirentur. Cave tamen, ne cum impudentissimis quibusdam scribillatoribus istorum numero aut Moysem, aut Christum accenseas. Intolerabilem hanc blasphemiam copiose, ut par est, retundemus loco opportuniore, ostendentes utrumque maximis, certissimisque miraculis legationis, & missionis suæ divina sigilla ostendisse.

174. Ultimum de timore, & ignorantia causarum vix responsionem meretur. Quis enim Deum timeat, aut illi aliquem effectum tribuat, si nullum esse credat? Prius itaque hominibus persuaderi debebat, Deum esse, deinde tonare de cælo, & impios punire; ita ut hæc secunda opinio sit prioris filia, non mater. Ulterius si ex hoc timore, & ignorantia causarum, ex quibus phænome-

verunt, *quum essent intelligentes, ac prudentes, finxisse eam, quæ de Diis habetur, suspicionem, & fabulosam de inferis opinionem*. Alter autem *ad coercendos*, inquit, *animos imperitorum sapientissimi viri judicaverunt inevitabilem metum, ut supra nos aliquid timeremus &c.* Alia in hac re testimonia studiose collegit Petr. Bælius *Pensées sur les Comètes* T. II. *Operum* §. 71. Impius autem Spinoza nedum in præfatione ad *Tractatum theologico-politicum* idipsum impudenter affirmat, verum etiam c. 5. ejusdem pestilentis operis variis argumentis probare nititur, id a Moyse quoque factum fuisse ad regendos Hebræos.

(*a*) Aristoteles Lib. I. *Metaphysic.* cap. 4. T. IV. Opp. refert, Anaxagoram in explicanda rerum origine numquam ad Deum assurrexisse, nisi quando naturales ipsarum causas invenire non poterat. Hinc impii colligunt, causarum ignorantiam fuisse Philosophis causam ponendi Deum. Auctor vero *System. naturæ* P. II. conatur ostendere, non ex contemplatione bonorum; sed tantummodo ex oppressione malorum, quæ tam sæpe nos affligunt, homines fuisse motos ad aliquam eorum causam investigandam; atque inde sibi effinxisse Deum. Sed hæc adeo paradoxa sunt, ut quilibet suam conscientiam consulens facile videat, nos multo magis ex tot, tantisque bonis, quæ in hoc universo relucent, ad primam rerum omnium causam investigandam commoveri, quam ex malis; quia naturam divinam, ut summum bonum, ratione ipsa duce concipimus.

(*b*) Increduli parum sibi constant; nam alibi statuunt, nihil esse pejus ad politicum regimen, quam Dei timorem, qui si tolleretur, ait Hobbesius in *Leviathan* c. 2. *cives in omni civitate ad obedientiam multo magis eruditi essent, quam nunc sunt*. Hinc gratias agere solent Democrito, de quo Lucretius ait L. I. *de natura rerum* vers. 63.

*Humana ante oculos fœde cum vita jaceret*
*In terris oppressa gravi sub religione . . .*
*Primum Grajus homo mortalis tendere contra*
*Est oculos ausus, primusque obsistere contra.*
*Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti*
*Murmure compressit cælum.*

mena hæc oriebantur, nata est Dei opinio, eccur postea ea ipsa non fuit eliminata, quando melioribus ævis naturales horum phænomenorum causæ detectæ sunt? At vero eam potius semper magis, ac magis confirmatam fuisse videmus, & nobilissimi Philosophorum principes, tam veteres, quam recentiores, quo magis in naturæ inquisitiones profecerunt, eo etiam magis sapientissimum, & potentissimum ejus auctorem cognoverunt, & admirati sunt. Nimirum, ut dicebat Tullius, *opinionum commenta delet dies, natura autem judicia confirmat*. Multo verisimilius est, ex timore ortum esse atheismum; homines nempe ut excusso timore liberius peccarent, sibi persuadere conatos fuisse, nullum esse Deum delictorum vindicem. Vid. nota ad num. 170.

175. Neque illud prætermittendum puto, quod sæpius provocati increduli, ut epocham figant, quando primum notitia Dei inventa fuit, primosque hujus universalis persuasionis auctores nominent, nihil unquam non dicam certum, sed nec probabile afferre potuerunt. Nos vero primam impietatis originem facile indigitamus ex ipso adversariorum ore, qui duce Lucretio hanc summam cum divinitate pugnandi audaciam Democrito tribuunt. ( Vid. nota ad num. 120. ).

Et contra Atheos hactenus; nunc contra eos, qui Epicureorum vestigia sectantes, Deum quidem esse non inficiantur, negant tamen eum res hujus mundi curare. Et quamquam videri posset, non prius agendum esse de providentia divina, quam actum esset de scientia, sine qua providentia esse non potest, melius tamen judicavimus nunc impia Incredulorum systemata una simul convellere, priusquam de Dei essentia, atque attributis disseramus. Addo etiam, quod asserta Dei providentia nobis obvia sternitur via, necessitatem, atque existentiam divinæ revelationis contra Naturalistas ostendendi; quod Deo dante in seq. Dissertationibus præstabimus.

## CAPUT VI.

*Asseritur summa illa, ac generalis providentia, qua Deus res omnes conservat, & sapientissime administrat.*

176. Quam nos latine *providentiam* dicimus, Græci *πρόνοιαν* vocant. Si vim nominis tantum attendere velimus, *providere* idem significat, ac *prævidere*. Sed alio sensu a nobis *providentia* usurpatur, prout scilicet simul exprimit & rationem ordinantem res in finem, & hujus ordinis executionem. Horum primum proprie *providentia* dicitur; unde S. Thomas I. P. Quæst. XXII. artic. 1. providentiam *proprie* definit *rationem ordinis rerum in finem*. Executio autem hujus ordinis *gubernatio* appellatur ab eodem Sancto Thoma ibidem articul. 3.

177. Hinc etiam Boetius Lib. IV. *de Consolatione Philosophiæ* prosa 6. *Providentia*, inquit, *est ipsa divina ratio . . . quæ cuncta disponit*. Et multo antea Seneca ep. 71. providentiam vocavit *æternam artem cuncta temperantis* Dei. Providentiæ igitur nomine hic intelligimus eam Dei sapientiam, bonitatem, atque potentiam, qua omnia, quæ creando ex nihilo extraxit, etiam conservat, atque ad altissimos a se constitutos fines ordinat, ac dirigit.

178. Epicurus ut nullum hujus mundi parentem, & opificem, ita nullum ejus provisorem agnoscebat, docens, omnia fortuito casu regi, sicuti fortuito nata sunt. Deos autem ( quos negare non est ausus, sive *invidiæ detestandæ* causa, ut Cicero suspicatur, sive quod anticipatæ, communique omnium opinioni repugnare non poterat ) otiosos in spatiis intermundialibus collocabat, ubi sine molestiis hujus mundi curis, tranquillam, & beatam vitam agerent. Eos etiam a nobis esse honorandos præcipiebat, sed tantummodo propter eorumdem naturæ excellentiam, non autem quod aliquid ab ipsis sperandum nobis esset, aut timendum (*a*).

179. Ut ut absurda sit hæc Epicuri doctrina, non paucis tamen placuit, præcipue quantum attinet ad res humanas, quas liberas esse non posse putabant, si divinæ subessent providentiæ; unde Ennius apud Ciceronem ( Lib. 2. de *divinatione* cap. 1. ) inquiebat:

*Ego Deum genus esse semper dixi, & dicam cælitum;*
*Sed eos non curare opinor humanum genus.*

180. Alii Philosophi non pauci, etsi providentiam non negabant, ejus tamen virtuti nonnisi res cælestes subjiciebant; vel si illam ad terram quoque pertingere fatebantur, solum universalia ut sunt rerum species, non autem individua ab illa administrari volebant; unde illud Balbi: *magna Dii curant, parva negligunt* (*b*).

181.

(*a*) Ab Epicuro fuisse aliquam providentiam generalem agnitam, evincere conati sunt Jac. Rondellus *vita Epicuri* gallice primum Parisiis 1679. deinde auctius latine Amstel. 1693. edita; & Gottl. Stellius in *Hist. philos. moral. gentil.* utriusque tamen argumenta, ut minus efficacia confutat Jac. Bruckerus in *Histor. crit. Philosophiæ* T. I. P. II. c. 3. p. 1287. edit. secundæ Lipsiæ 1767. Sane Lactantius *de Opificio Dei* Epicurum ob negatam Dei providentiam magnopere redarguit, præcipue autem cap. 6. ubi Epicuri amentiam his verbis exponit: *dicit, neque oculos ad videndum esse natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum; quoniam membra hæc prius nata sunt, quam esset usus videndi, audiendi, & ambulandi*.

(*b*) Apud Ciceronem lib. I. *de natura Deorum* cap. 66. Aristoteles, referentibus Plutarcho *De Placitis Philosophorum* Libro XI. cap. 3. & Attico apud Eusebium Libro V. *De præparatione evangelica* cap. 5. Dei pro-

181. Stoici rectius, quam alii, de divina providentia sentire videbantur, sed sibi ipsis parum constabant; dum ineluctabili fato, cui vel Jupiter ipse obnoxius esset, omnia suspendi docebant; posito enim hoc fato omnis est providentia supervacanea. Populus autem communiter fortunæ omnia adscribebat, unde etiam divinæ providentiæ jura lædebantur (a). Ita cæca gentium natio sola ratione duce errabat, ut pauci admodum in re tanti momenti rectum iter tenuerint.

182. Sed quod minime expectandum erat: post ipsam quoque divinæ revelationis lucem inventi sunt, qui Dei providentiam, sin minus aperte tollerent, saltem magna ex parte labefactarent, eam quibusdam limitibus circumscribentes. Nam ut omittam Sadducæos, quos ab hac impietate purgat Jac. Bruckerus (in *Hist. Crit. Phil.* Tom. II. Per. 2. P. I. Lib. 2. cap. 1. n. 5.) Marcion (apud Tertullianum Libro II. *contra Marcionem*), Manichæi, aliique duo summa rerum principia comminiscentes, providentiam Dei boni a Deo malo impediri, & coerceri asserebant. Sociniani pariter, qui certam, ac perfectam futurorum omnium præscientiam Deo non concedunt, neque universorum providentiam ei tribuere possunt, cum sine præscientia nulla concipi queat providentia. Omitto impium Spinozam, ejusque asseclas, qui fortasse nec Deum, nisi nomine, tenus confitentur (b).

183. Jam vero permagni interest, contra hos omnes vigilem, & operosam Dei providentiam ostendere, qua sublata nedum religionem, sed vel ipsam humanam societatem tolli, recte observabat Cicero; ita enim habet Lib. I. *de Nat. Deorum* cap. 2. *Sunt Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent rerum humanarum procurationem Deos. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas, quæ sanctitas, quæ religio? ... Quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio: atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam & societas generis humani, & una excellentissima virtus Justitia tollatur.*

184. Mundum itaque regi divina providentia luculentissime vel ex eo solo apparet, quod, ut supra ostensum est, Deus omnia, quæ in hac rerum universitate continentur, sua omnipotentia ex nihilo extraxerit, suaque infinita sapientia ordinatissime disposuerit; inde enim manifesto colligitur, debere etiam Deum hæc omnia ad fines altissimos, propter quos ea creavit, perpetuo dirigere. *Quid enim tam furiosum est* (recte observabat Salvianus L. IX. *de gubernatione Dei*), *quam ut aliquis, cum Deum creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget? Et cum factorem esse fateatur, dicat negligere, quæ fecit? Quasi vero hoc faciendorum omnium cura fuerit, ut negligeret, quæ fecisset* (c).

185. Hinc facile redarguuntur, qui cogitantes, multo majorem esse distantiam inter Deum, & res hujus mundi, quam inter hominem, & vilissima hujus terræ insecta, colligunt, magis indignum esse, Deum in rebus istis administrandis occupari, quam hominem abjectissimi alicujus animalculi curam gerere. Facile, inquam, redarguuntur, quia non cogitant, res hujus universi, ut ut a perfectione Dei infinite distantes, esse ipsius Dei creaturas: ut proinde quemadmodum eas propter gloriam suam produxit, ita ad gloriam suam dirigere debeat. Homo vere non est auctor vilium terræ insectorum; unde mirum non est, si eorum curam non habeat; habiturus sine dubio, si eorumdem artifex esset; nemo enim tam vecors est, ut opera manuum suarum non curet. Quamquam etiamsi homines ex naturali sua inconstantia nonnunquam negligant, imo & destruant, quæ ipsi fe-

videntiam cœli orbibus contineri, docuit, nec ad res inferiores extendi. Ita censebant & illi, ex quorum persona dicebat Job xxii. 14. *Deus circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.* Aristotelem hujus erroris accusat etiam Melchior Canus Libro X. *De locis theologicis* cap. 5. Eruditus quoque Mich. Morgues in libro *Plan théologique du Pythagorisme* Tom. I. *Lettre* 2. contendit, ab Aristotele fuisse Deum a procuratione rerum humanarum exclusum. Sed S. Thomas Libro III. *contra Gentiles* cap. 75. negat, id posse ex ejusdem Aristotelis verbis haberi. Ipse autem S. Thomas aliis tribuit hunc errorem, quem ibidem operose refutat. Vid. etiam I. P. Quæst. xxii. art. 2.

(a) Fortunæ plura erant ubique dicata templa. *Toto mundo*, inquiebat Plinius Libro I. *Historiæ natur.* cap. 7. *in locis omnibus, horis, omnium vocibus Fortuna invocatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis a plerisque, & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur decepta, & in tota ratione mortalium utramque paginam facit.* Hinc negatam fuisse divinam providentiam colligebat Juvenalis Sat. xiii. inquiens:

*Sunt qui fortunæ jam casibus omnia ponunt,*
*Et nullo credunt mundum rectore moveri.*

(b) Supervacaneum plane videtur iis, qui divinam revelationem in sacris Litteris contentam se venerari profitentur, supremam Dei providentiam demonstrare. Quid enim est aliud divina hæc revelatio, quam luculentissimum beneficentissimæ erga nos providentiæ Dei argumentum? Et ulterius satis est sacras litteras aperire, ut statim inveniamus apertissima hujus providentiæ testimonia, quæ ad omnia etiam minima se extendit. Vid. Simeon de Muis *Comment.* in Psalm. 138. Nos igitur hos contra hujus providentiæ hostes sola ratione utemur.

(c) Etiam alii Ecclesiæ Patres hac ratione usi sunt, ad asserendam Dei providentiam, ut cum Sanct. Ambrosius L. I. *Officiorum* cap. 13. inquiebat: *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destruat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? Cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod fecerit, summa inclementia.* Vid. etiam Minutius Felix in Dialogo, qui inscribitur *Octavius* num. 18.

fecerunt, absurdum tamen esset, id suspicari de Deo, qui non mutat consilia.

186. Hæc ratio, quæ certe est efficacissima, ostendit nihil prorsus, ut quidam stulte arbitrati sunt, cæco fortunæ arbitrio relinqui, atque non solum magna, sed etiam parva, & minima Dei providentia administrari, cum etiam minima ipse fecerit. Hinc patet, quam vere dictum fuerit de divina Sapientia: *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Sap. VIII. 1.

187. Præterea rerum omnium administratio est magna, & summa perfectio, quæ proinde Deo infinite perfecto denegari sine maxima injuria non potest, & quin Deum ipsum de medio tollamus: nam aut Deus non est, aut si est, est infinite perfectus. Hinc Tertullianus intolerabilis repugnantiæ arguebat Marcionem (Libro III. *contra Marcionem* cap. 24.), quod Deum esse confiteretur, providum autem esse, negaret. *Nemo te sustinebit*, inquiebat, *improvidentiam adscribentem ei, quem Deum non negans, confiteris & providum*. Idem Epicuro objiciebat Lactantius *de ira Dei* cap. 4. & 9. Imo id vidit etiam ethnicus Balbus (apud Ciceronem Lib. II. *de natura Deorum* c. 30.) ita colligens: *aut negandum est, Deos esse . . . aut qui Deos esse concedunt, iis fatendum est, eos aliquid agere, atque præclarum; nihil est autem præclarius mundi administratione: Deorum igitur consilio administratur* (a). Unde recte concludit Clemens Alexandrinus Libro IV. *Stromatum*, *supplicium magis, quam confutationem mereri illum hominem, qui providentiam esse non putat, ac revera esse atheum*.

188. Ulterius. Bonus est Deus, imo non nisi sua bonitate moveri potuit, ut mundum crearet; ergo eadem bonitate sua moveri debet, ut hoc manuum suarum opus administret, & regat. Audiatur Sanct. Joann. Damascenus, qui Lib. II. *De fide orthodoxa* cap. 29. ita ratiocinatur: *Solus Deus est natura bonus, & sapiens. Ut igitur bonus providet; non providens enim, non bonus. Nam & homines, & muta animalia ratione capta propriis natis naturaliter provident; & si non provident, vituperantur. Ut autem sapiens, optime eorum, quæ sunt, curam gerit*.

189. Hinc omnium ingratissimi haberi debent, qui divinam providentiam non agnoscunt, quæ tot, tantisque donis nos quam largissime cumulavit. *Neque enim*, ut vidit etiam Seneca (Libro IV. *de beneficiis* cap. 5.), *necessitatibus tantummodo nostris provisum est: usque in delicias amamur*.

190. Denique, ne longum faciam in re aperta, si nulla est divina providentia, omnia vel cæco casu, vel fati necessitate eveniunt: utrumque autem est absurdum. Quomodo enim cæco casui tam pulchra, tam ordinata, & adeo constans rerum series adscribi potest? *Non potest*, inquit Lactantius *in epitome Divin. Institutionum* cap. 1., *quod ratione constat, sine ratione cœpisse*. Esse autem plurimas res contingentes, perspicue apparet; ac nos nostram libertatem intima conscientia cognoscimus, qua de re erit alibi disserendi locus.

191. Prima, & potissima objectio contra divinam providentiam peti solet ex malis, quibus homines probi plerumque ab improbis affliguntur, dum interea improbis omnia prospere eveniunt: quamobrem Diogenes Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tamdiu viveret: si enim Deus rebus nostris provideret, bene bonis esse deberet, male malis (b).

192. Respond. Primo nullos esse justos, qui propter aliquas saltem leviores culpas a Deo puniri non mereantur: & qui proinde Deo gratias agere debent, quod illorum maculas hujus vitæ afflictionibus elui velit, ne pœnas longe majores pro iis in alia vita rependere debeant. Apposite Salvianus (Libro IV. *de generatione*) afflictiones hujusmodi vocabat *testimonia mali servi, & boni Domini . . . quia* (Deus) *ostendit, quid mereamur, etsi non irrogat, quæ mereamur*.

193. Secundo permittit Deus bonos affligi, ut eorum virtus probetur, magisque confirmetur. *Certamen forte dat illis ut vincant* (quemadmodum de Jacob dictum est Sap. X. 12.). Ut autem observat Sanctus Augustinus (Serm. in Psalm. XXXVI.

(a) Ethnici providentiam inter plures Deos partiebantur; sed scite admodum Lactantius Lib. I. *Divin. Institutionum* cap. 3. eos repugnantiæ arguebat; *nam nisi unus fuerit, ad quem totius summa cura referatur, universa solventur, & corruent*. Quod ille ostendit exemplo exercitus, qui nec instrui, nec regi, aut temperari posset, nisi unus esset Imperator; & corporis nostri, cujus multa, & varia membrorum officia, multi; & varii effectus regi non possent, nisi una esset mens.

(b) Ita colligebat Telamo apud Ciceronem Libro III. *De nat. Deor. cap.* 32. & sequenti plura afferens honorum infelicium, impiorum autem felicissimorum exempla. Atque hoc potissimum argumento motum fuisse Aristotelem ad negandam providentiam notat Melchior Canus Libro X. *de locis theolog.* cap. 5. Ovidius deflens mortem Tibulli Libro III. *Elegiar.* eleg. 9. ajebat:

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fesso,*
*Sollicitor; nullos esse putare Deos.*

Quintilianus etiam in proemio Libro VI. de *Instit. Oratoria* ex suis infortuniis eo se adductum esse dicebat, *ut nullam terras despicere providentiam testaretur*. Imo vel ipsos sacros Scriptores invenimus nonnunquam hac de re apud Deum quasi conquerentes, ut videbimus infra num. 199. qui tamen postea arcana divinæ providentiæ consilia humiliter adorant. Ex his patet, quanta necessitas sit hanc difficultatem copiose, & accurate dissolvendi. Consul. P. Anton. Touron in 3. P. *Tract. Hist. dogmatici, & moralis de Providentia* Paris. 1753. in 12.

XXXVI. num. 11. Tom. IV.), utitur ad hoc malis hominibus, *quomodo usus est diabolo ad probandum Job; & quomodo usus est Juda ad tradendum Christum*. Et alibi dicit, malos servire bonis, *quomodo lima, vel mallei auro*; ut nempe magis rutilet. Unde patet, quam infelix, & abjectum sit impiorum ministerium, dum affligunt justos; & quam felix sors justorum, ut æquo animo hæc, patienterque ferendo possint constantiam, & fortitudinem suam in adversis ostendere, quo nihil erat apud Ethnicos ipsos laudabilius. Nec proprie impii possunt justis nocere, nisi ipsi infirmitate sua cedant; unde illud veterum adagium, *nemo læditur, nisi a seipso*.

194. Tertio & illud accedit, Deum totius consolationis consolari justos, ut in suis tribulationibus magis contenti, & felices sint, quam impii in apparenti illa, sed falsa sæculi felicitate. Id Sanct. Paulus in multis, magnisque suis tribulationibus testabatur (2. Corinth. I. 4. item VII. 4.). Idipsum experiuntur, & confitentur omnes justi. Id denique non ignorarunt etiam profani: unde Horatius magnam justorum felicitatem reputabat:

*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Improbi vero scelerum suorum conscientia, quasi furiis dilaniati, felices quidem videri possunt, esse tamen reipsa felices non possunt (*a*).

195. Sæpius etiam impii gravissimas suorum scelerum in hoc mundo pœnas luunt. Ut enim Sanct. Augustinus (Libro I. *de Civitate Dei* cap. 8. Tom. VII.) scite observabat, *si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur*. Puniuntur quidem, ut supra dictum est, aliquando & justi, sed observante eodem S. Doctore hoc est inter bonos & malos in afflictionibus hujus mundi discrimen, *quod mali Deum detestantur, atque blasphemant; boni autem precantur, & laudant* (*b*).

196. Demum, nisi Sadducæorum erroribus detinemur, credere debemus post hanc vitam reservata esse malis mala, ac bonis bona, quod non solum nos fides docet, sed etiam ratio, & communis fere omnium populorum traditio, persuadet; & tunc sapientissimus divinæ providentiæ ordo manifeste apparebit; ac plane cognoscemus, *non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* Rom. VIII. 18. Imo Ecclesiastes ex hac diversa impiorum, ac justorum sorte in hoc mundo recte colligebat futuræ vitæ præmia, & supplicia, inquiens cap. 16. *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo: justum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*.

197. Hanc doctrinam breviter, sed luculenter exponit S. Augustinus (L. I. *de Civitate Dei* cap. 8. Tom. VII.) observans, *placuisse divinæ providentiæ præparare imposterum bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni; ista vero temporalia bona, & mala utrisque voluit esse communia; ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur*.

198. Ceterum bene observabat Boetius in fine libri II. *de Consolatione Philosophiæ* hominibus plus quam prosperam, prodesse adversam fortunam. *Illa enim*, inquit, *semper specie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur: hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat; illa fallit; hæc instruit; illa mendax specie bonorum mentes fruentium ligat; hæc co-*

*gni-*

(*a*) His, aliisque modis seipsum in maximis suis infortuniis solabatur Boetius, ut videre est in præstanti ejus libro *De consolatione Philosophiæ*.

(*b*) De impiis, qui nobis felices videntur, ita Juvenalis Sat. XIII.

*Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,*
*Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,*
*Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

De aliis autem, qui tandem gravissimas dederunt suorum scelerum pœnas, ita eleganter Claudianus initio libri in Ruffinum:

*Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,*
*Curarent superi terras, an nullus adesset*
*Rector, & incerto fluerent mortalia casu...*
*Abstulit hunc demum Ruffini pœna tumultum,*
*Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum*
*Injustos crevisse queror: tolluntur in altum*
*Ut lapsu graviore ruant.*

Eleganter Juvenalis idem fere scripserat de infelici Sejano Sat. X. v. 61. & seq. Non sum nescius, a Bælio in art. *Ruffin.* rem. C. hanc Claudiani rationem ad divinam providentiam tuendam explodi, tamquam impiam, Deoque injuriosam; quemadmodum, inquit, non sine magna injuria Regis diceretur, ideo ab ipso permitti, innocentes ab iniquo ministro affligi, ut eundem ministrum gravius puniendi occasionem haberet; melius enim esset & ministri violentiam, & innocentem oppressionem impedire. Ita Bælius cavillatur. Sed non eadem est ratio Regis, & Dei. Deus enim provisor est universalis, qui multa mala permittere potest, quia ex iis novit meliora bona elicere, eosque, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, multo majoribus bonis abunde compensare. Ulterius minus accurate diceretur, *ideo* permitti a Deo impios esse bonis molestos, ut habeat postea justitia ejus vindex suum locum: potius enim, & melius dicendum, ex mali permissione hoc a Deo bonum elici; ut infinita ejus attributa, bonitas in parcendo, & justitia in puniendo, manifestentur. Neque illa Claudiani particula *ut* ita accipienda est, quasi causam proprie significet. Ceterum similium impiorum, qui a summa felicitate in summas lapsi sunt calamitates, exempla innumera nobis Historiæ suppeditant. Adi scis Plutarchi librum *De sera Numinis vindicta* edit. Leydensis 1772. in 8. cura Dan. Wytenbach. Unde etiam Sap. XVI. 16. verissime dictum est: *Negantes te nosse impii per fortitudinem brachii tui flagellati sunt*. Vid. Ps. XXXVI. 35. & seq.

*gnitione fragili felicitatis absolvit. Itaque illam videns ventosam, fluentem, suique semper ignaram: hanc sobriam succinctamque, & ipsius adversitatis exercitatione prudentem. Postremo felix a vero bono devios blanditiis trahit: adversa plerumque ad vera bona reducens, unco retrahit.*

199. Instant Increduli, & quædam loca afferunt tam ex Scripturis sacris, quam ex Sanct. Patribus, quibus universalis saltem illa providentia, quæ omnia respiciat, negari videtur (a). Primo propheta Habacuc cap. I. 13. & 14.; postquam queribundus ita interrogasset Deum: *quare.... taces; devorante impio justiorem se?* subdit, *& facies homines, quasi pisces maris, & quasi reptile, non habens principem*. Porrò hæc comparatio inepta esset, si Deus piscium, ac reptilium curam gereret.

200. Præterea S. Hieronymus hæc Prophetæ verba expendens (in *Comm.* T. VI.) concedit quidem esse in animalibus generalem *dispensationem, & ordinem; verbi gratia quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis, quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis. Ceterum*, addit, *absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus præcedere debeant*.

201. Etiam S. Augustinus in *Enchiridio* (cap. 17. Tom. VI.) *sunt multa*, inquit, *quæ nescire quam scire fit melius*: quibus verbis generalis Dei providentia, tamquam imperfectio quædam, excluditur; providentia enim sine scientia esse non potest.

202. Denique S. Thomas I. P. quæst. XXIII. art. 7. docet, solum partes *essentiales* hujus mundi, quæ perpetuæ sunt, ut rerum species, esse ordinatas a Deo, non autem individua; unde ita concludit: *licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel bovum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi est per se præordinatus a Deo*.

203. Resp. primæ difficult. Prophetam Habacuc solum velle, non esse eamdem in Deo reptilium, aut piscium, ac rerum humanarum providentiam; ita enim Deus hominibus providet, ut eorum opera ad meritum, vel ad culpam imputentur, unde etiam pœnam, vel præmium consequantur, quod in animalia ratione, & libertate carentia non cadit. Optat igitur Propheta, ut Deus hanc specialem in hominibus providentiam manifeste ostendat, puniendo impios, qui bonos affligunt.

204. Eodem plane sensu etiam S. Paulus inquiebat I. Corinth. IX. 9. *numquid de bobus cura est Deo?* Nempe docens non illam esse de iis curam Deo, quæ est de hominibus. Unde illam legem Deuter. XXV. 4. *non alligabis os bovi trituranti*, mystice intelligendam esse docet de Operariis Evangelicis, quibus æquum est, necessaria ad victum suppeditari, concludens: *propter nos scripta sunt... si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

205. Difficilioris explicationis videntur esse verba S. Hieronymi, nec desunt, qui S. Doctorem erroris contra providentiam accusare non dubitent (b). At vero quis credat, tantum virum in sacris litteris versatissimum latuisse, quod in Evangelio tam frequenter insinuatur, singulorum passerum curam esse Deo, & vel lilia campi, ac fœnum agri Deum non negligere? (Vid. Matth. VI. 26. & 28. item X. 29.).

206. Hac igitur rejecta responsione, dico, S. Doctorem negare solum esse in Deo brutorum, & rerum aliarum eam specialem providentiam, qua Deus res hominum administrat, & curat. Id patet cum ex scopo S. Doctoris, tum ex verbis sequentibus. Ex scopo quidem, qui erat refutandi librum quemdam apocryphum, quo reptilibus, piscibus, cæterisque animantibus, uno & arboribus Angelos ad custodiam destinatos effutiebantur, sicuti ad custodiam hominum deputati sunt. Ex sequentibus autem: nam ita prosequitur: *non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem* (notetur hoc verbum) *rationabilium providentiam esse dicentes*. Et in Comment. ad cap. VI. Matth. *Quod si volatilia*, inquit, *absque cura, & ærumnis Dei aluntur providentia, quorum anima mortalis est; quanto magis homines, quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio?*

207. Ad tertium quod attinet; S. Thomas I. P. quæst. 22. art. 3. ad 3. vult, S. Augustini dictum esse ad nos referendum, non ad Deum, cum enim nostra mens admodum angusta sit, arctisque limitibus definita, expedit nobis quædam mala, & vilia non cognoscere, ne a cognitione meliorum retrahamur. Id autem non accidit Deo, qui omnia uno simul intuitu videt, unoque simplicissimo actu administrat.

208. Prodigii autem simile est, S. Thomam potuisse trahi in suspicionem negatæ providentiæ singularum rerum, cum data opera hunc quorumdam veterum Philosophorum errorem confutaverit

(a) Quamquam Increduli Sacr. Litter. Sanctorumque Patrum auctoritatem flocci faciunt, ea tamen libenter contra nos utuntur, vana gloriantes posse nostris nos armis oppugnare.

(b) Ita Pater Vasquez in I. P. S. Thomæ disputat. 59. num. 16. Quæ hujus Theologi licentia merito iis displicuit, qui Sanctos Patres, qua decet, veneratione prosequendos esse norunt.

rit (a). Itaque objecto in loco non inficiatur Angelicus, numerum individuorum, & singularium esse præscitum, & præordinatum a Deo *absolute*; sed solum negat esse præscitum, & præordinatum *per se*, *et primario*, *seu ratione sui*: quomodo Deus eorundem individuorum species præordinavit. Vult enim fuisse individua ordinata propter species, quæ principaliter pertinent ad perfectionem universi. Hanc doctrinam perspicue exponit Angelicus I. P. quæst. 113. art. 2. inquiens: *Manifestum est, quod providentia Dei principaliter est circa illa, quæ perpetuo manent; circa vero ea, quæ transeunt, providentiæ Dei est, in quantum ordinat ipsa ad res perpetuas*.

209. Falluntur autem vehementer qui ideo individuorum providentiam Deo denegant, quia minime decere putant supremum Numen hisce minutissimis negotiis implicari, quo loco exemplis hominum male abutuntur. Ideo enim hoc verum est in hominibus, quia inde retrahuntur a majoribus, & dignioribus curis. Cæterum quis unquam imperfectionis arguat solem, quod radiis suis non solum sublimia, visuque digna, sed etiam minima quæque, ac vilia illustret? Addo cum Platone (Lib. X. *de legibus.*), magna administrari vix posse, neglectis parvis, sicuti lapides magnos sine parvis collocari posse, negant architecti.

210. Neque illud verendum, quod Vellejus Epicureus (apud Ciceronem Lib. I. *de nat. Deor.* cap. 20.) objiciebat, beatum non fore Deum molestis, & operosis negotiis implicitum. Ethnicus ille Dei omnipotentiam, sapientiam, ac bonitatem ignorabat, quibus attributis sine ullo labore, imo summa cum felicitate in rebus etiam minutissimis divitias gloriæ suæ ostendit, juxta illud: *eminet in minimis maximus ipse Deus*.

211. Objicies secundo. Multa in hoc mundo casu potius, ac temeritate fortunæ, quam ulla providentia contingere videmus; pluviam exempl. grat. vel in mare, vel in desertas solitudines sæpe frustra decidere, dum segetes interea siccitate arescunt. Duæ insuper fere sunt telluris partes, quas, ut inquit Lucretius,

*fervidus ardor,*
*Assiduusque geli casus mortalibus aufert:*

quod idem de immensis oceani tractibus dici potest, nonnisi mutis piscibus inutiliter destinatis. Tertio, in ea ipsa mundi parte, quam nos incolimus, quot & quanta sunt animalcula imperfecta, inutilia, imo plane molesta, & noxia, ut culices, muscæ, serpentes, aliaque homini inimica? Quarto, inter homines vero quot, & quanta temere accidunt? Cur enim ex. gr., nisi casu fortuito, tot infantes pereunt, antequam usum rationis consequantur? Cur bene multi, antequam ipsam mundi lucem aspiciant? Cur tot nascuntur necessariis membris orbati, aut monstruosi &c.? Hæc, & multo plura hujus generis refert, & versibus exornat Lucretius in sex libris *de rerum natura*.

212. Testimonium etiam contra providentiam fert naturæ inconstantia, quæ videtur, Penelopis instar, telam, quam texuit, iterum retexere; quod apparet in alluvionibus, in terræ motibus, pestilentiis, aliisque innumeris mundi hujus calamitatibus. Herodotus etiam Lib. II. num. 142. narrat, exinde Sacerdotum Ægypti spatio 11340. annorum, quos effluxisse dicunt ante regnum Sethonis, solem bis ortum esse ex parte occidentali, totidemque vicibus occidisse, ubi nasci solet. Plato item (in *Politico*) talem fuisse olim factam mundi mutationem memorat, ut sol, & sidera inde oriri cœperint, ubi occidere debent. Et alibi (in *Timæo*) hoc idem fuisse Atheniensibus a Solone expositum refert, qui illud ab Ægyptiis audiverat. Idipsum habet quoque Plutarchus Lib. II. *de placitis Philosophorum* cap. 24.

213. Resp. Hujusmodi difficultates ex hominum ignorantia oriri: cum enim eos lateant altissimi divinæ providentiæ fines, sæpe fortuito casu, vel inutiliter ea fieri putant, quorum causas, vel utilitatem non vident. Sic ignarum vulgus multa inutilia, aut etiam noxia fieri in reipublicæ administratione sæpe arbitratur, quia Gubernatoris consilia ignorat. Et si Principes terræ non tenentur omnium eorum rationem reddere, quæ pro recta ditionum suarum administratione populis sibi subjectis mandant; quanto minus ad hoc tenetur Deus omnium Dominus? Ut proinde intoleranda sit eorum præsumptio, qui omnium, quæ in hoc mundo fiunt, rationem sibi reddi volunt.

214. Præterea nos nonnisi pauca quædam puncta videmus immensæ illius tabulæ, in qua omnium rerum universitas depicta est: hinc multa imperfecta, inutilia, ac etiam noxia nobis apparent, quæ talia proculdubio non apparerent, si nexum, quem habent cum aliis, plene cognosceremus; multoque minus talia apparerent, si nobis divina consilia, sapientiæ & bonitatis plena, manifesta forent. Qui itaque hinc occasionem sumunt, aut criminandi, aut minuendi, quin etiam tollendi divinam providentiam, similiter faciunt, ac ille, qui officinam artificis intrans, multa instrumenta inutilia reputaret, quia eorum usum non callet.

215.

(a) Vide I. P. Qu. 22. articul. 2., tum Libro III. *Contra Gentiles* c. 75. Et mirum est, id non vidisse doctissimum Bellarminum, qui libro IV. *De gratia, & libero arbitrio* c. 15. ut probet providentiam divinam *non determinasse in particulari omnes actiones transeuntes liberas, licet eas prævideri, & decreverit comparari, vel impedire, vel permittere, si malæ sunt, & bonum aliquid ex iis elicere*, adducit S. Thomam in loco objecto, quasi ibi docuerit, *Deum non determinasse numerum individuorum corruptibilium ut culicum, muscarum &c. nempe ut hæc musca hodie nascatur, cras illa, sed tantum in genere providisse, & providere, ut non deficiat species ulla animalium.*

215. Porro recta ratio, sanusque sensus potius dictant, ut ita ratiocinemur: *Certis, evidentibusque argumentis constat, totum mundum, ac singulas ejus partes, ut ut minimas, summa, vigilique providentia regi: nihil igitur fit sine causa, & consilio, licet hæc oculis nostris aliquando non appareant. Certum autem non tollitur per incertum, nec evidens per obscurum.* Et hæc responsio generalis sufficere debet cordato viro ad omnes hujusmodi difficultates solvendas (*a*).

216. Multa tamen sunt a Lucretio, ejusdem Symmistis falso exaggerata. Quod enim dicit pluviam *inutiliter* in mare, vel aridas solitudines decidere, falsi arguitur a naturæ studiosis, qui observant, pluviam utilem esse ad maris salsedinem temperandam, atque ad aerem expurgandum, & refrigerandum. Deo autem hominum culpas puniente fit, ut segetes siccitate arescant, sicuti tempore Eliæ factum legimus III. Reg. c. XVII.

217. Falsum est etiam partes terræ polares, aut æquinoctiales habitatoribus carere, quam falsitatem feliciores Lucretii posteri deprehenderunt. Immensa autem marium spatia magnum afferunt commodum, ut inter regiones longissime dissitas commercium habeatur, quod terrestri itinere vix, ac ne vix quidem haberi posset.

218. Quæ insecta nobis inutilia, aut noxia videntur, in aliorum animalium pastum cedunt, quibus nos utimur. *Sæpe eadem*, inquit S. Ambros. Lib. II. *Hexameron* c. 9. (T. I.) *quæ tibi noxia sunt, avibus, aut feris, innoxium ministrant pabulum*. Addo, quæ modo animalia nobis noxia sunt, talia futura non fuisse in beato illo innocentiæ statu, ex quo Protoparentis, & nostra etiam culpa excidimus.

219. Ad quartum. Quæ hominibus infortunia varii generis accidunt, persæpe ex naturali causarum secundarum ordine oriuntur, quem Deus immutare non vult. Oriuntur etiam nonnunquam ex aliorum hominum malitia, aut incuria, quam Deus ex profunditate judiciorum suorum permittit. Quamquam autem non semper in promptu sit, veras hujusmodi eventuum causas afferre; minime tamen dubitandum est, eas semper adesse, easdemque a divina providentia ad altissimos, ac justissimos fines dirigi.

220. Idem dicatur de terræ motibus, vulcanis, alluvionibus, pestilentiis, aliisque calamitatibus, quas ad puniendas hominum culpas immittit Deus, ut olim immisit diluvium, quia omnis caro corruperat viam suam.

221. Mutationes vero illæ ab antiquis commemoratæ de converso solis, siderumque cursu; ut fabulosæ rejiciendæ sunt, cum non certis monumentis sed dubiæ & incertæ, imo plane commentitiæ famæ innitantur. Putant aliqui, fortasse eis occasionem præbuisse duo illa miracula in Sacris Litteris relata, quando scilicet ad imperium Josue sol stetit (Jos. X.), & quando in horologio Achaz illius umbra retrogressa est IV. Reg. XX. (*b*).

222. Obj. tertio. Si Deus omnibus rebus provideret, providere in primis deberet hominibus, ut plene felices, beatique essent; neque enim summa Dei bonitas credere nos sinit, voluisse eum homines creare, ut essent infelices: atqui tot, tantisque calamitatibus, & miseriis opprimimur, ut quidam putaverint, subductis calculis, multo majora esse mala hujus vitæ, quam bona, multoque plura hominum infelicia momenta, quam felicia (c); ergo &c.

223. Resp. Miserias, & calamitates nostras a culpa originali primum, deinde ab aliis propriis nostris culpis ortum trahere, quibus si omnino careremus, felices procul dubio, beatique essemus. Ceterum plura non esse in hoc mundo mala, quam bona, nec plura momenta hominum infelicia, quam felicia, multi, atque insignes Philosophi, Cerhesius, Regis, Kingius, quin & Voltairius, aliique demonstrarunt. Idque vel ex eo solo manifeste colligi potest, quod homines, paucissimis demptis, semper vivere cupiunt (*d*).

224. Instant vero hic acriter divinæ providentiæ osores. Hæc ipsa mala culpæ, unde calamitates hominum oriuntur, debuissent a divina providentia, si ulla est, impediri. *Deus enim*, inquiebat Epicurus (apud Lactantium, *De ira Dei*,

c.

(*a*) Hanc responsionem nobis suppeditat Liber Sapient. XII. 12. & seq. ubi Salomon, vel quisquis sit illius libri Auctor, ita Deum alloquitur: *Quis enim dicet tibi, quid fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus. Cum ergo sis justus, juste omnia dispones &c.* Etiam præ oculis semper habere debemus, quod præcipitur Ecclesiastici III. 23. & seq. *Altiora te ne quæsiveris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*

(*b*) Nullum ex hujusmodi naturæ defectibus duci posse contra providentiam argumentum vidit, & confessus est vel ipse Ben. Spinoza in *Tractatu theologico-politico* c. 2. §. 8. atque etiam Bælius art. *Manichéens* rem. D. De objectis autem solis aberrationibus Vid. P. Aug. Calmet *Diss. Prælim.* ad L. IV. *Regum*, & Goguet *De l'origine des loix, des arts, & des sciences* &c. Tom. VI. Diss. IX.

(*c*) Notum est illud Homeri: Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

*Nil gignit tellus homine infelicius uno.*

Apud Maximum Tyrium Diss. XLI. edit. Londin. in 4. an. 1740. al. diss. XXV. Hanc sententiam tuitus est Maupertuisius *dans l'Essai de philosophie* mor. c. 2.

(*d*) Maupertuisio hac etiam in parte refragratus est, non minus doctrina, quam sermonis elegantia clarus Franc. Zanottus *nel Ragionamento sopra un libro francese del Sig. di Maupertuis: Essai de philosophie morale*, in primo vol. *della Raccolta di trattati di diversi autori concernenti alla religion naturale ec.* a Venezia 1756. vol. 2. in 4.

c. 13. ) *aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult: aut neque vult, neque potest, aut vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest, & non vult, invidus, quod æque alienum est a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus & imbecillis, adeoque non Deus. Si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala* (a)?

225. Resp. Minime nos turbari oportere hac difficultate, quæ non aliunde oritur, quam ex ignorantia judiciorum Dei; quorum abyssum si perscutari liceret, perspicue videremus permissionem malorum ad divinæ providentiæ ordinem omnino pertinere. Ut enim S. Th. 1. P. q. 22. art. 2. ad 2. bene observat, aliter loquendum est de provisore *particulari*, aliter de provisore *universali*. Ille tenetur impedire, vel removere defectus, & mala ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest, quia nonnisi illius curam gerit. Provisor autem *generalis* permittit aliquos defectus esse in rebus particularibus, ne impediatur bonum totius: eo fere pacto, quo pictor coloribus admiscet umbras, quia etiam istæ sunt ad picturæ pulchritudinem necessariæ. *Deus omnipotens*, inquit S. Aug. in *Enchiridio* c. 11. ( T. VI. ) *nullo modo sineret aliquod malum esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut benefaceret etiam de malis*. Hinc de malis quoque intelligi potest, quod de Deo Psalmista dicebat: *omnia serviunt tibi*. Ps. CXVIII. Quam doctrinam tradit etiam S. Th. 2. 2. qu. 73. art. 4. ad 3.

226. Sane tota Judæorum historia plena est illustribus exemplis bonorum, quæ Deus sapienti sua providentia ex hominum nequitia elicuit. Tot miracula Moysis, aliorumque, tot victoriæ Israelitarum, punitiones malorum, bonorum præmia, & alia id genus fuere divinæ providentiæ opera ex malis hominum elicita. Et ut cetera prætercam, quidnam majus, aut excellentius bonum Verbi Divini incarnatione, ac Christi passione, & morte? Et tamen hoc bonum ex malo omnium nefandissimo misericors Deus elicuit (b).

227. Inst. primo. S. Th. in Lib. I. *Sentent*. Dist. XLVI. qu. 1. art. 3. ad 6. postquam docuisset; quædam esse mala, sine quibus universus imperfectus esset, illa scilicet, ad quæ major consequitur perfectio, cujusmodi est elementorum corruptio, unde nobilior mixtorum forma emergit, ita subdit: *quædam vero mala sunt, quæ si non essent, universum perfectius esset... sicut præcipue est in malis culpæ... Unde si nullus homo peccasset, universum genus humanum melius foret &c.* Cum ergo mala culpæ ad perfectionem universi non spectent, nulla esse deberent, si mundus divina regeretur providentia.

228. Resp. S. Thomam ibi loqui de perfectione universi, non consideratis ultimis divinæ providentiæ finibus, sed considerata tantummodo hominum perfectione, quod procul dubio major esset omni secluso peccato. Hanc esse S. Thomæ mentem pâtet tum ex ejus verbis allatis: *si nullus homo peccasset, universum genus humanum melius foret*: tum multo magis ex constanti ejusdem Angelici doctrina, qua sæpius repetit, mala per *accidens* ad perfectionem mundi spectare, quatenus ex ipsis Deus sua bonitate, & omnipotentia majora elicit bona; unde etiam dicit ibidem, mala non esse quidem perfectionum *causas*, esse tamen *occasiones*; & art. præced. *bonum est*, inquit, *mala esse occasiones bonorum; sed mala esse simpliciter, non est bonum*.

229. Instit. secundo. Deus si hominibus provideret, aut iis non debuisset liberum arbitrium tribuere, unde eos ad malum abusuros cognovit, aut eos talibus, ac tantis præsidiis munire, ut illo non abuterentur. *Si medicus*, inquiebat Cotta ( apud Ciceronem Lib. III. *de nat. Deor.* c. 31. ) *sciat eum ægrotum, qui passus sit vinum sumere, meracius sumturum, statimque periturum, magna sit in culpa; sic vestra ista providentia reprehendenda, quæ rationem dederit eis, quos sciverit ea perverse, & improbe usuros*.

230. Resp. cum S. Thoma in Lib. II. *Senten.* Dist. XLIV. qu. 1. art. 1. potentiam peccandi, quæ est in libero arbitrio, quantum ad defectum, non esse a Deo, sed ex eo provenire, quod homo est creatus ex nihilo. Deus enim liberum nostrum arbitrium ordinavit ad bonum: ex eo autem quod sit ex nihilo, potest ab hoc ordine deficere. Posset utique Deus gratia sua efficaci ita nostras voluntates continere, ut integra earum libertate permanente nunquam a bono deflecterent; sed id efficacious

fi-

(a) Hanc difficultatem proponebat etiam Marcion apud Tertullianum Lib. II. *contra eundem Marc.* c. 5. Eadem fuisse plures ita perturbatos, ut providentiam negarent, refert Lactantius *de ira Dei* c. 13.... Multis autem, & acutissimis modis illam versat, & urget Bælius in variis locis operum. Christoph. Pfaffius Diss. I. *Anti-Bæliada* narrat ex fide Jac. Basnagii, inter ejusdem Bælii scripta repertam fuisse non exiguam argumentorum collectionem, quibus providentiam divinam evertere conabatur. Adversus Bælium tamen integra prodiit Scriptorum phalanx, factaque est inter viros doctissimos longa serræ reciprocatio; quarum controversiarum historiam exhibet Christoph. Wolfius in suo Tract. cui titulus: *Manichaismus ante Manichæos, & in Christianismo redivivus*.

(b) Idem S. Aug. L. XI. *de Genesi ad literam* c. 9. n. 12. ( Tim. III. ) hanc ipsam materiam versans dicebat: *Cur ergo eos* ( Deus ) *creavit, quos malos futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit, quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus*. Et capit. 10. num. 13. *Sed posset, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere, quam oportet sapere.*

ficere non tenetur, in eoque ejus providentia, sanctitas, & omnipotentia relucet, ut etiam de malis bene faciat, omniaque diversis viis ad suam gloriam dirigat.

251. Inst. tertio. Vel ipsa permissio mali Dei bonitati, & providentiæ repugnat; eodem enim modo velle censetur hominis occisionem, & qui ipsum jugulat, & qui ferrum ad eum jugulandum ministrat, & qui jugulantem, vetare cum possit, non vetat.

252. Resp. Exempla hujusmodi non esse ad rem; quia, ut S. Augustinus Lib. III. *Operis imperfecti contra Julianum* c. 23. & seq. (T. X.) recte observat, non est eadem ratio Dei, atque hominis. Peccat homo, cum sinit perpetrari scelus, quod impedire posset, quia illud impedire tenetur: nulla autem ratione culpandus est Deus non impediens peccata hominum, quia nulla lege ad ea impedienda adstrictus est. Non ille adstrictus est ex parte hominis, cui nihil debet: neque adstrictus est attenta sua bonitate, quæ magis resplendet in eis bonis, quæ ex malorum permissione sua omnipotentia educit. *Hæc cogita*, concludit S. Pater, *& noli judicem Deum judicibus hominibus comparare; quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit, quod videtur hominibus esse injustum, & quod homo si fecerat; esset injustus*. Hujus autem discriminis ratio potissima ea est, quod homo non possit, ut potest Deus omnipotentissimus, & sapientissimus, de malis majora bona elicere. Confer Bossuetum: *Défense de la Tradition &c.* L. XI. c. 4.

253. Inst. quarto. Saltem videtur Deus sibi ipsi repugnare, dum mala permittit, quæ severe prohibet, & punit. Si enim vult mala esse, cur ea prohibet? & si non vult esse, cur ea permittit?

254. Resp. Deum mala ut mala sunt, & prohibita, proprie non velle, quamvis ea permittat, neque enim pura permissio est absoluta, & efficax voluntas mali, seu voluntas *approbationis*, ut a Theologis appellatur. Hinc dici non potest, Deum voluntate *approbationis*, velle mala, quæ prohibet; sed solum, si ita loqui fas est, voluntate *permissionis*, ex qua nihil derivatur in effectum; solum enim non impediuntur causæ, ut producant effectum. Sed de permissione mali multa lectu digna habet Melchior Canus Lib. II. *de locis theol.* c. 4. præcipue in resp. ad 7.

255. Et de hoc difficili argumento satis. Concludam verbis S. Augustini *De utilitate credendi* cap. ult. (Tom. VIII.): *Istos* (Manichæos) *verbosos & miseros* (*quod enim aliud mitius dixerim?*) *penitus desipere, qui dum nimis quærunt, unde sit malum, nihil reperiunt; nisi malum* (a).

256. Obj. quarto. Providentiæ opinio a politicis, & legumlatoribus introducta videtur, qui ad continendos in officio populos ipsi persuadere conati sunt, homines nocentes, etsi effugiant aliquando manus judicum, Dei tamen supremi vindicis iram effugere nequaquam posse (b).

257. Resp. Non solum id perperam, & sine fundamento, sed plane contra omnem veritatem dici. Et primo quidem ex adversariis sciscitor, quodnam afferant hujus suæ assertionis documentum? Edisserant nobis, quandonam, & ubinam primum hæc de divina providentia opinio invalescere cœpit? Quisnam fuerit primus ipsius auctor, & quibusnam fuerit primo instillata? In his omnibus aqua illis hæret. Nos contra scimus, quinam primo universalem divinæ providentiæ persuasionem a natura ipsa hominibus implantatam convellere nisus fuerit. Hanc gloriam Epicuro suo tribuit Lucretius (Lib. I. de *rerum nat.* v. 69. Vid. supra not. ad n. 170.).

258. Accedit, hanc divinæ providentiæ opinionem non tantum gentium omnium consensione niti (quod tamen vel unum argumentum esset per se gravissimum); sed etiam omnibus iis invictis momentis firmari, quibus Deum, ens summe perfectum, & rerum omnium creatorem existere convincimur. V. sup. num. 184. sequ.

259. Demum, ne longum faciam, tantum abest, Dei providentiam fuisse primum a Legumlatoribus invectam, ut potius cum iidem se fuisse a Diis missos mentiri solerent, manifeste sequatur, eos Deorum cultum, ac religionem, ac proinde opinionem divinæ providentiæ jam stabilitam invenisse, eaque postea fuisse improbe abusos ad sim-

(a) Innumeri propemodum de hoc argumento libri prodierunt, quorum plurimos recenset Jo. Alb. Fabricius in *Syllabo Scriptorum de veritate religionis*, c. 15. Non tamen consenserim plerisque eorum, qui Bælium confutantes, putarunt, Deum concessa semel hominibus arbitrii libertate, non amplius mala impedire potuisse. Id esse divinæ omnipotentiæ injuriosum censet S. Aug. in *Enchiridio* c. 98. ubi S. Pater non dubitat affirmare, eos plane *desipere*, qui negant, *Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere*. Vid. Franc. Fitzjames in sua *Pastorali Instructione* ann. 1760. adv. Harduinum, & Berruyerum Tom. V. cap. 5. art. 4. edit. in 8.

(b) Ita conquerebatur olim Vellejus apud Ciceronem Lib. I. *de nat. Deorum* cap. 20. inquiens: *Imposuisti cervicibus nostris sempiternum Deum, quem dies noctesque timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotii Deum?* Eadem sæpe ingeminat Lucretius; atque hanc ipsam veterum crambem Ben. Spinoza in præfat. ad *Tract. theologico-politicum*, atque Hobesius in *Leviathan* cap. 12. recoxerunt. Hos duces magno numero sequuntur recentiores increduli. Vid. *Dissertat. XIII. tirée des Ouvrages de M. de Warburton*.

simplices, & rudes decipiendos. Nam qui emunctioris naris erant, has hominum fraudes contemnebant.

240. Inst. Barbaræ, incultæque gentes nullam divinæ providentiæ persuasionem habere videntur, ut Caribæ, Drusii, Peruviani, aliique, de quorum impurissimis, atque absurdissimis moribus multa narrant itineratores, oculati testes: ergo opinio providentiæ divinæ nonnisi politicorum, & Legumlatorum commentum est.

241. Resp. Alios scriptores, qui majorem mereri fidem videntur, testari, opinionem divinæ providentiæ esse etiam inter barbaras, incultasque nationes receptam. Sane Ælianus ( Lib. II. *Variarum historiarum*, cap. 31. ) *neminem esse inter barbaros*, dicit, *qui non & Deos esse, & res humanas curare agnoverit.* Non tamen negaverim, haud paucos inveniri non modo in barbaris, sed etiam in cultissimis populis, qui turbulentis passionibus obnubilati ita vivunt, perinde ac si crederent, nullam esse Deo justo, ac bono rerum nostrarum curam.

242. Obj. ult. Si res nostræ a divina providentia dependent, omnia certissime, atque infallibiliter evenient, cum Dei voluntas frustrari nequeat. Jam vero hoc posito, supervacanei sunt nostri conatus, inutiles exhortationes, minæ, promissiones, consultationes &c. omnia enim evenire debent, prout Deus in sua providentia disposuit; & sic corruit præcipua Ethices pars, quæ est εὐβουλία. Vid. Card. Cajetanus in *Comment.* ad I. P. S. Thomæ quæst. XXII. art. 1.

243. Resp. Id nullatenus consequi, quia nostri conatus, exhortationes, consilia &c. sub eodem providentiæ divinæ ordine continentur. Dei enim providentia non solum disponit de fine, sed etiam de mediis, quibus vult, ut finem consequamur. Quod si divina providentia posset deficere in mediis, cujusmodi sunt nostri conatus, & nostra officia, etiam deficere posset in fine, quem talibus conatibus alligavit. Sed utrumque est æque impossibile; & ita Deus nos ad media, atque ad finem movet, ut infallibiliter id consequamur, quod Deus vult, salva tamen nostra libertate; quia & ipsam nostram libertatem Deus sua providentia salvam esse vult.

## DISSERTATIO II.

*In qua ostenditur, potuisse Deum hominibus religionem revelare; tum hanc revelationem fuisse hominibus necessariam; ac demum veræ ejusdem Divinæ revelationis notæ proponuntur.*

1. Cum Deus, ut paulo ante copiose demonstravimus, generali sua providentia omnia regat, atque administret, præcipua tamen quadam cura naturis iis providet, quas ratione, & libertate ipse donavit: hæ quippe & alias creaturas dignitate, & perfectione longe præcellunt, & ad altiorem, perfectioremque finem diriguntur; scilicet ad cognoscendum Deum, eumque amandum ( vid. S. Thomas Lib. III. *contra Gentiles* cap. CXI. )

2. Ad hunc autem finem tam sublimem nos sancta Religio ducit; ea enim ad Deum, quoad fieri in hoc mundo potest, cognoscendum, eumque debito honore colendum, amandumque instruimur; vel ut S. Augustinus inquit ( *in Enchir. ad Laurentium* cap. 3. Tom. VI. ), vera religio nos docet, *quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit*. De hac in præsentiarum qua majori possumus diligentia nobis agendum est; ab hac enim sancta religione tota hominum felicitas omnino dependet.

3. Et primo breviter præmittemus, quid sit religio, & quam hominibus necessaria. Post autem fusius, & accuratius tractabimus de divina revelatione, qua, ut inquit Sanctus Augustinus ( Lib. VI. *de Civ. Dei* cap. 4. Tom. VII. ) veram religionem *inspirat, & docet verus Deus dator vitæ æternæ veris cultoribus suis*. Porro ad omnia hostium revelatæ religionis effugia præcludenda, nobis tria erunt accurate demonstranda: primo potuisse Deum hominibus veram religionem superna revelatione patefacere: secundo fuisse nobis hanc revelationem necessariam: ac demum quænam sint notæ, quibus eam cognoscere certo possimus, ne in re tanti momenti fallamur. Post autem in sequ. dissert. eam tam in veteri, quam in novo testamento fuisse factam, ostendamus.

### CAPUT I.

*Quid sit religio, & quotuplex Dei cultus ab ea præscriptus.*

4. Non hic curiosius investigabimus, undenam *religionis* vocabulum sit derivatum (a), sed potius de re ipsa solliciti religionem, quam Græci θρησκείαν dicunt, definimus cum S. Th. 2. 2. qu. 81. art. 2. *virtutem, qua Deo debitum honorem, & cultum reddimus*; in qua definitione, ut idem Angelicus explicat art. 5. cultus est quasi *materia*, vel *objectum*, Deus autem, cui cultus exhibetur, est *sicut finis*. ( S. August. Lib. X. de *Civit. Dei* Cap. I. Tom. VII. ) brevius, sed eodem sensu religionem definivit *Dei cultum*, græce θεοσέβειαν.

5. Religioni opponitur superstitio, quæ definiente eodem Sancto Thoma 2. 2. quæst. 92. art. 1. *exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet*. Parum accurate, & non-

(a) S. Thomas 2. 2. qu. 81. art. 1. triplicem *religionis* etymologiam affert; primam ex Cicerone, qui eam a *relectione* derivat, quia religiosus quæ ad Dei cultum pertinent, sæpius in corde revolvit, quasi *rele-*

nonnisi intolerabili hujus vocabuli abusu superstitioni nomen *religionis* tribuitur; ut enim bene observat Lactantius Lib. IV. *Divin. Inst.* cap. 28. *religio est veri cultus, superstitio falsi*. Varia superstitionis genera diligenter pro more suo distinguit, & explicat S. Thomas loc. laud. sed ad nostrum institutum modo hæc non pertinent.

6. Religio dividi communiter solet in *naturalem*, & *supernaturalem*, seu *revelatam*; qui tamen loquendi modus, quamquam fere communis, omnino accuratus non videtur, saltem si de Religione adæquate sumpta sermo sit; certum est enim veram religionem nonnisi unam esse, eamque totam a Deo revelatam. Hæc autem divina revelatio Adamo, veteribusque Patriarchis facta fuit, & orali traditione in posteros propagata; post autem a Moyse, aliisque Prophetis scripta in vet. Test., ac demum multo uberius a Christo Domino in novo Testamento manifestata, atque ab Apostolis, & Evangelistis literis consignata.

7. Hac tamen divisione, quamquam, ut ego quidem arbitror, minus propria, Theologi nihil aliud innuere voluerunt, quam in religione contineri veritates duplicis generis, alias scilicet, quæ dicuntur *naturales*, quia naturale intelligendi nostrum lumen non superant; revelari tamen & ipsæ debuerunt propter aliquas causas, quas inferius (cap. IV.) expendemus. Aliæ autem sunt veritates nostræ religionis, quæ merito *supernaturales*, & *revelatæ* dicuntur, quia nativam intelligentiam nostram longe superant, nec unquam in nostram cognitionem venissent, nisi divinæ bonitati placuisset, easdem nobis superna revelatione patefacere. Hujus generis sunt arcana sanctæ religionis mysteria, & divina quædam præcepta, quæ a Theologis vocantur *positiva*.

8. Hujusmodi igitur veritatibus, tam *naturalibus*, quam *supernaturalibus* constat una, & sancta religio; qua, ut inquiebat S. Augustinus (initio libri *de vera religione*, Tom. I. Opusc.) *unus Deus colitur*, & *purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas inchoatur*, & *perficitur*, & *continetur*.

9. Porro hæ duplicis generis veritates, ex quibus constare religionem diximus, vel sunt *theoreticæ*, & constituunt nostræ fidei objectum, vel sunt *practicæ*, quæ nempe ad mores spectant. Sed quamquam diversæ, omnes tendunt ad cultum Deo primo nostro principio, atque ultimo fini exhibendum. Cultus autem Deo debitus definiri potest ex S. Thoma 2. 2. quæst. 102. art. 2: *obsequium, quo aliquis Dei obedit imperio*, & *vicem beneficiis ejus pro suo modo rependit*.

10. Alius autem est cultus Dei *internus*, seu *spiritualis*, alius *externus*, qui etiam *corporeus* dici potest, quia actibus corporis exercetur. Primus, qui præcipuus est, & sine quo nullus religionis actus Deo est acceptus, continetur in *devotione mentis ad Deum*, seu in cordis interioribus affectibus, potissimum vero in piis Fidei, Spei, & Charitatis actibus; unde Sanctus Augustinus in *Enchiridio* cap. 3. (Tom. IV.) *colitur Deus*, inquit, *Fide*, *Spe*, & *Charitate*. Cultus *externus*, sive *corporeus* est, quo orationibus, sacrificiis, piis quibusdam cæremoniis, aliisque sacris ritibus debitum supremo Numini obsequium exterius palam facimus. Confer S. Thomam 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 4.

## CAPUT II.

*Ostenditur, cultum internum, & externum Deo deberi, illique esse acceptum.*

11. Ac de primo quidem nemo, quod sciam, dubitavit; cum vel ipsi Epicuræi illum divino Numini deberi, sin minus propter ipsius providentiam, saltem propter ejusdem naturæ præstantiam, supremamque majestatem putaverint. Quanto igitur magis debebunt ii reverentiam, atque amorem exhibere Deo, qui ejus providentiam agnoscentes eundem omnium, quibus fruimur, bonorum beneficentissimum largitorem confitentur? Nec operæ pretium est in re tam manifesta longa uti oratione. Eorum potius error refellendus est, qui solum interiorem cultum Deo exhibendum esse dixerunt, non autem exteriorem.

12. Hos Sanct. Thomas duplici ratione confutat 2. 2. quæst. 81. artic. 7. ostendens, cultum Dei exteriorem esse Deo exhibendum, primo quia mens humana facilius per sensibilia quædam signa elevatur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Secundo quia exhibentes Deo non solum spirituales, & internos actus, sed etiam corporalia, & externa obsequia, eum fatemur animæ simul, & corporis auctorem, dominum, principium, & finem (a).

13. Obj. 1. Joann. IV. 23. Christus nos docuit, Deum

gens: alteram ex Lactantio, qui L. IV. *Divin. Inst.* cap. 27. vult, religionem dictam esse a *religando*, quia est quasi vinculum pietatis, nos Deo obstringens, & cum Deo *colligans*. Hanc religionis etymologiam probat etiam S. Aug. *De religion.* c. 55. (T. I.) nos exhortans, *ut ad unum Deum tendentes*, & *ei uni religantes animas nostras*, *unde religio dicta creditur*, *omni superstitione careamus*. Tertiam addit Angelicus hujus nominis explicationem, quod religione Deum *reeligere* profiteamur, quem amiseramus negligentes, ut S. August. dicit Lib. X. *de Civ. Dei* cap. 4. T. VII. Alii placet religionem dictam esse a *diligentia*, quam in Dei cultu nos adhibere oportet. *Religens* enim, & *diligens* non solum cognata sunt, sed prius vocabulum diligentiam exprimit majorem.

(a) Dignus est, qui legatur ipse S. Thomas tum art. laud., tum etiam Lib. III. *Contra Gen.* c. 119. ubi inter cetera hæc habet: *Quia connaturale est homini, ut per sensus cognitionem accipiat*, & *difficillimum est sensibilia transcendere, provisum est divinitus homini*,

Deum adorandum esse *in spiritu*, *& veritate*: non ergo signis corporeis, & sensibilibus, quæ cultum externum constituunt. Hinc illa Sancti Augustini vox: *Deus non colitur, nisi charitate*, quæ in actu interiore consistit. (Epistol. CLXVII. alias XXIX. caput. 3. Tom. II. Opp.)

14. Respondet Sanct. Thomas, hæc Christi verba esse intelligenda, *quantum ad id, quod est principale, & per se intentum in cultu divino*, nempe de interna animi devotione, & pietate, sine qua Deum vere non adoramus. Id patet ex ejusdem Christi Domini scopo; explodebat enim quorumdam Judæorum errorem, qui totum Dei cultum in externa legis impletione reponebant. Observat iterum Angelicus quæst. 84. articul. 2. ad 1. *etiam adorationem corporalem in spiritu fieri, in quantum ex spirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur*.

15. Ceterum Christus ipse exemplo suo nos docuit, cultum exteriorem exhibendum esse Deo, dum legem adimplevit, jejunium servavit, ac demum seipsum Patri hostiam obtulit in ara Crucis. Nobis etiam cultum externum præcepit, dum Sacramenta instituit, aliaque novæ legis mandata reliquit.

16. Eodem sensu explicantur verba Sancti Augustini, *Deum non coli, nisi charitate*, quia sine charitate nihil nobis prodest ad æternam vitam exterior Dei cultus: charitas enim est principium meriti. Quanti autem fecerit S. Augustinus cultum externum, liquet ex solo ejus libro *de vera religione*, ubi sacros, & legitimos ritus colendi Deum a superstitiosis cæremoniis caute, & accurate secernit.

17. Obj. 2. Minutius Felix in *Dialogo*, qui inscribitur *Octavius* cap. 32. non alium Dei cultum externum probat, quam qui in lege naturali servanda situs est. *Qui*, inquit, *innocentiam colit, Deo supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt: sic apud nos religiosior est ille, qui justior*.

18. Non absimiliter loquitur Lactantius initio libri VI. *Divin. Instit.* inquiens: *nihil sancta, & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam; quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit*. Et adhuc clarius c. 24. *Quisquis omnibus præceptis cælestibus obtemperaverit, hic cultor est veri Dei* (vel ut antiquissimi codices habent) *hic cultor est veri Dei, cujus sacrificia sunt mansuetudo animi, & vita innocens, & actus boni*. Eademque repetit in *Epitome div. institut.* c. 53.

19. Resp. Hæc, & similia veterum dicta non eo fuisse directa, ut a Christiana religione pias cæremonias, sacrificia, aliaque cultus exterioris opera eliminarent. Quis enim dubitet, eos una cum ceteris Christianis hæc omnia sancte, & devote exercuisse? Sed tantum ut vanas, & impias Gentilium superstitiones redarguerent. Id nobis satis indicat Minutii scopus; respondebat enim Cæcilio gentili objicienti, nulla veteribus Christianis fuisse templa, & nullas aras, seu nullum fuisse publicum religionis cultum, quia tunc Christiani persecutionibus sævientibus sua sacra occultare cogebantur.

20. Adhuc manifestius patet mens Lactantii: nam in eodem loco nobis objecto (ex cap. 1. Lib. VI. *divin. Instit.*) totus est, ut idololatrarum amentiam redarguat, qui *cum essent omnibus flagitiis, ac sceleribus coinquinati, religiosos se putabant, si templum, & aras hostiarum sanguine cruentarent &c.* quasi Deus victimis indigeret. Deinde postquam multa in toto illo libro contra profanos Ethnicorum cultus disseruisset, ita cap. ult. concludit: *duo sunt, quæ* (Deo) *offerri debeant, donum, & sacrificium... Donum est integritas animi; sacrificium laus, & hymnus*.

21. Longum autem esset, omnia loca colligere, in quibus Lactantius externos ritus commemorat, quibus Ecclesia Deum colere consueverat. Lib. IV. *Divin. Instit.* cap. postremo *solam esse Catholicam Ecclesiam* dicit, *quæ verum cultum retinet*. Et postea subdit, *illam esse veram, in qua est confessio, & pœnitentia, quæ peccata, &*

*ut etiam in sensibilibus rebus divinorum ei commemoratio fieret, ut per hoc hominis intentio magis revocaretur ad divina..... & propter hoc instituta sunt sensibilia sacrificia, quæ homo Deo offert, non propter hoc, quod Deus iis indigeat, sed ut repræsentetur homini, quod seipsum, & omnia sua debet referre in ipsum sicut in finem, & sicut in creatorem, & gubernatorem, & dominum universorum. Adhibentur etiam homini quædam sanctificationes per quasdam res sensibiles, quibus homo lavatur, aut ungitur, aut pascitur, aut potatur cum sensibilium verborum prolatione; ut homini repræsentetur, per sensibilia inintelligibilium donorum processum in ipso ab extrinseco fieri a Deo, cujus nomen sensibilium vocibus exprimitur. Exercentur etiam ab hominibus quædam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus seipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores, & cantus; quæ non fiunt; quasi Deus his indigeat, qui omnia novit, & cujus voluntas est immutabilis, & affectum mentis, & etiam motum corporis non propter se acceptat, sed propter nos facimus, ut per hæc sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, & affectio accendatur. Simul etiam per hoc Deum profitemur animæ & corporis auctorem, cui & spiritualia, & corporalia obsequia exhibemus.* Plura alia addit ostendens, quanta sit in cultu Dei externo nostra utilitas. Hinc etiam Synodus Tridentina Sess. XXII. cap. 5. *cum natura hominum*, inquit, *ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam instituit &c.*

*& vulnera*, *quibus subjecta est imbecillitas carnis*, *salubriter curat* (*a*).

22. Obj. 3. Deus seipso plenissime beatus nostris non indiget oblationibus, & sacrificiis. Præterea cum infinite a nobis distet, ut nulla sit, aut esse possit nos inter & ipsum proportio, non apparet, quomodo debeat, aut possit dona nostra curare. Tertio potius nostro cultu videmur Deo injuriam irrogare, eum quasi hominibus æquantes, quibus eadem obsequii signa exhibere solemus.

23. Resp. ad 1. Si hæc argumentatio aliquid valeret, id valeret etiam, ut omnis cultus interior tolleretur, cujus certe non magis indiget Deus, quam externi. Verum, ut bene advertit S. Thomas 2. 2. qu. 81. art. 6. ad 2. *Deo non exhibetur aliquid*, *propter ejus utilitatem*, *sed propter ejus gloriam*, *nostram autem utilitatem*. Item art. 7. *Deo*, inquit, *reverentiam*, *& honorem exhibemus*, *non propter seipsum*, *quia seipso est gloria plenus*, *cui nihil a creatura adjici potest*, *sed propter nos*; *quia videlicet per hoc quod Deum reveremur*, *& honoramus*, *mens nostra ei subjicitur & in hoc ejus perfectio consistit*. Et ante Angelicum S. Augustinus ( Qu. 3. ad Paganos in epist. CII. alias XLIX. Tom. II. num. 17. ) *nobis*, ait, *prodest colere Deum*, *non ipsi Deo*. Et hæc doctrina spectat generaliter ad quemcumque cultum.

24. Sed quantum attinet ad cultum exteriorem idem Angelicus art. 7. ad 2. observat, *exteriora non exhiberi Deo*, *quasi his indigeat*, *sed tamquam signa interiorum*, *& spiritualium operum*, *quæ per se Deus acceptat*: *unde Augustinus dicit* ( Lib. X. *de Civitat. Dei* cap. 5. Tom. VII. ): *sacrificium visibile invisibilis sacrificii Sacramentum*, *idest sacrum signum*, *est*.

25. Falsum est autem, quod secundo loco objiciebatur, nullam esse Deum inter & nos proportionem, nullum commercium; ut proinde non debeat Deus, nec possit nostrum cultum curare. Si enim credimus, ut evidentissimis rationibus credere cogimur, nos esse a Deo creatos; illud etiam credere debemus, quod sponte consequitur, nos esse creatos propter ipsius Dei gloriam, Deus enim omnia propter seipsum operatur. Deus ergo, ut a nobis infinite distans, exigere potest, & reipsa exigit debitum cultum, & obsequium, quo profiteamur, nos omnia ab illo accepisse, qui nos a nihilo sua bonitate extraxit; eumque esse Patrem, ac Dominum nostrum, cui amorem, obedientiam, omnemque cultum præstare tenemur. *Si Pater ego sum*, *ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum*, *ubi est timor meus?* Malach. I. 6.

26. Absit autem, ut cultu nostro profiteamur, aut suspicemur, Deum rerum nostrarum indigere, cum potius ei munera offerendo palam faciamus, omnia nos a Deo accepisse, & omnia ipsius esse. *Quid retribuam Domino pro omnibus*, *quæ retribuit mihi?* Psalmo CXV.

27. Alia demum ratione, & prorsus diversa homines honoramus, ac Deum, & hæc diversitas apparet tum in ipso cultu, tum maxime in modo. Cultus diversus est; sunt enim quædam, quæ nonnisi Deo offeruntur, ut adoratio, & sacrificia (*b*). Multo autem magis diversus est modus, quo homines colimus, ac Deum; neque enim credimus, homines esse nostros creatores, nostrum principium, aut ultimum finem, qualem credimus esse Deum.

28. Atque hic castigandus est impius liber ( cui titulus: *De la religion essentielle à l' homme* ), qui communem illum loquendi modum improbat, quo homines pii multa facere dicuntur *ad majorem Dei gloriam*, cum tamen, inquit ille, Dei gloriæ, utpote infinitæ, nihil addi possit.

29. Sed bonus ille ignorare non debuisset sermonem hic non esse de gloria Dei *essentiali*, quam certe nemo potest Deo tribuere, vel augere, sicut nec auferre: sed de gloria *accidentali*, quæ in eo sita est, ut Deus ab hominibus cognoscatur, ametur, colatur, prout oportet; & quam tenetur unusquisque pro virili sua promovere, & augere, non solum in seipso, sed etiam in aliis.

## CAPUT III.

*Ostenditur potuisse Deum hominibus religionem revelare* (*c*).

30. Divina revelatio nihil est aliud, quam *manifestatio a Deo facta quarumdam veritatum*, *quibus proinde propter divinam auctoritatem tenemur firmissimum assensum præstare*. Hæc re-

(*a*) Lactantius etiam probavit σταυλατρείαν ( dominicæ crucis adorationem ) iis versibus.

*Flecte genu*, *lignumque Crucis venerabile adora*
*Flebilis*; *innocuo terramque cruore madentem*
*Ore petens humili lacrymis suffunde subortis*.

Tom. II. Opp. edit. Paris. in 4. ann. 1748. p. 274. tum etiam in Tom. IV. *Biblioth. SS. PP.* novæ edit. Venetæ. Haud ignoro a nobilissimis Criticis Tillemontio, Dupinio, Ceillier, Caveo, aliis hunc hymnum Lactantio abjudicari; sed pro ejus αὐθεντία pugnat eruditissimus Alexius Symmachus Mazochius in *Comment. ad Kalend. Neapolit. Tom. III.* pag. 806. Ceterum Card. Jo. Maria Brassichella Ord. Prædic. inter alios non paucos, nec leves Lactantii nævos hunc etiam notavit, quod non satis accurate de externo Dei cultu locutus fuerit; quamvis ejus verba ad sanum sensum revocari possint. Vid. Tom. I. Opp. Lactantii laud. edit. Paris. cxxxviii.

(*b*) Synodus Trident. Sess. XXII. cap. 3. omnes fideles scire voluit, sacrificium Missæ *soli Deo* offerri, quamvis interdum etiam *in honorem*, *& memoriam Sanctorum celebretur*.

(*c*) Pugnamus modo contra illud incredulorum genus,

revelatio dicitur *immediata*, quando agitur de iis, quibus Deus ipse locutus est; *mediata* vero est, quæ per auctores θεοπνεύστους *a Deo inspiratos* aliis communicatur. Sic prophetæ, aliique scriptores sacri revelationem *immediatam* habuerunt, nos autem nonnisi *mediatam*.

31. Posse autem Deum quasdam veritates hominibus modo extraordinario per internam inspirationem patefacere, tam est per se apertum, ut nec probatione indigere videatur. Nulla enim in hoc est repugnantia, neque ex parte Dei revelantis, neque ex parte hominum, quibus fit revelatio; attento præcipue mutuo illo commercio, quod fatentibus ipsis Naturalistis, Deum inter & homines esse debet. Concedunt quippe Naturalistæ, Deum rerum omnium principium, & finem, provisorem item beneficentissimum esse a nobis sancte, & religiose colendum, quamquam non alium cultum admittant, quam quem ratio naturalis nobis dictat. Sed cur Deus non poterit etiam nobis sua benignitate manifestare quædam alia, quæ ad pleniorem, perfectioremque ejus notitiam spectant, & quibus vult a nobis in hac vita coli, & honorari?

32. Perperam vero objiciunt Naturalistæ, modum percipi non posse, quo Deus has veritates hominibus manifestat. Perperam, inquam; nam primo quamvis id verum foret, non propterea negandum esset, revelationem esse possibilem; quot enim, & quanta a Deo in naturali ordine fieri videmus; quorum modus, origo, & progressus omnino nos latent? Deinde perquam facillime intelligitur, Deum vel per somnia, vel per visiones, vel per internam mentis illustrationem, atque inspirationem hominibus, quæcumque vult, manifestare: quomodo in veteri, novoque fœdere factum fuisse suis locis demonstrabimus.

33. Difficultas, quam potissimum urgere solent adversarii, ducitur ab incertitudine, cui obnoxia est revelatio. Nam primo non intelligitur, quomodo illi ipsi, quibus *immediate* facta dicitur revelatio, possint esse ita de ea certi, ut nullus sit deceptioni locus; præsertim cum omni tempore plurimi fuerint in hujusmodi internis inspirationibus turpiter illusi. Deinde difficilius adhuc est aliis, ad quos *mediate* tantum divina revelatio descendit, veram revelationem ab impostorum fraudibus secernere; nam innumeros plane homines, imo integros, & numerosissimos populos ita deceptos invenimus. Tertio demum augetur difficultas, & deceptionis periculum, quando hæc revelatio nonnisi post longam plurium sæculorum traditionem ad nos pervenire potest. Jam vero si hæc omnia incerta manent, non videtur potuisse Deum hoc medio uti ad homines in religione instruendos.

34. Hæc tamen omnia in fumum abeunt, quando recordamur, Deum esse sapientissimum, & potentissimum, cui mille suppetunt modi, homines interius illustrandi, ut quascumque ille voluerit veritates, apprime, & certissime cognoscant. Et quamquam permittat pro altitudine consiliorum suorum aliquos hac in re decipi, non propterea sequitur, permittere eum, ut decipiantur omnes. Sic in veritatibus ordinis naturalis ex quo multi errent, nemo, nisi scepticus, colliget, omnes errare, aut saltem errare posse, ut nihil sit undequaque certum, & tutum.

35. Idem dicatur de iis, ad quos nonnisi *mediate*, aut per traditionem revelatio pervenit; nempe ad divinam providentiam pertinere, ut certæ sint notæ, quibus homines prudentes, suæque salutis solliciti possint fraudes impostorum detegere, & veritates, verasque traditiones a fallacibus secernere. Sane potuit Deus hominibus media suppeditare, quibus multas, ac reconditas veritates detegerent, aliisque communicarent, atque ad posteros etiam longissima traditione transmitterent: & quidem sine ullo erroris periculo. Eccur id ipsum non poterit sapientissimus Deus in religionis negotio, quod omnium gravissimum est, hominibusque super omnia necessarium? Inferius autem docebimus, quibus potissimum mediis ad hæc omnia obtinenda uti soleat Deus.

36. Dices. Hujusmodi media, quæcumque ea sint,

qui *Naturalistæ* nuncupantur, quia sola religione *naturali* contentos nos esse volunt; revelationem autem supernam prorsus explodunt, velut noxiam, vel saltem ut supervacaneam. Nonnumquam etiam eam inter ἀδύνατα impossibilia reponunt. Hæc incredulorum classis nostro ævo latissime grassatur, ut proinde sit maximopere necessarium, hanc materiam accurate, copioseque pertractare. Inter primos eorum antesignanos recensetur Eduardus Baro Herbertus de Cherbury Anglus (mortuus ann. 1648.), qui tum in libro *De religione gentilium, errorumque apud eos causis;* tum adhuc operosius in alio *De veritate, prout distinguitur a revelatione &c.* ad salutem sufficere contendit ea credere, & observare, quæ ratio humana de Deo, ejusque cultu nobis proponit. De hoc *Naturalistarum* coryphæo agit Christ. Kortholtus *De tribus impostoribus magnis* Sect. I. Vestigia Herberti presserunt in Anglia Ant. Collinsius in Libro *De libertate cogitandi, & ratiocinandi in rebus maximi momenti &c.* Joan. Tolandus in *Christianismo mysteriorum experto*, Tindalius in *Christianismo tam antiquo, quam mundus est*, aliique. Neque hæc pestis in Anglia sese continuit; sed alibi etiam diffusa non paucos infecit, quorum nomina, variosque errores usque ad ætatem suam studiose collegit Adam Tribbechovius in *Historia Naturalismi a prima sua origine ad nostra usque tempora per suas classes deducta;* quam Joannes ejus filius edidit Jenæ 1700. in 4. Tribbechovius tamen merito accusatur, quod *Naturalistarum* numerum augere studens pluribus hanc notam immerito inusserit. Naturalistæ non solum Christianæ & Judaicæ religioni, sed etiam sectis Mahumedanæ, ethnicæ, aliisque opponuntur. Etenim istæ etiam sectæ, utut superstitiosæ, alicui revelationi, licet falsæ, superstructæ sunt. Adeo omnibus commune est hoc principium; potuisse Deum, imo & voluisse hominibus religionem revelare.

sint, non aliam inducere poterunt certitudinem, quam moralem. Hæc autem ad finem gignendum non sufficit, quæ omnem excludere debet formidinem.

37. Resp. Certitudinem moralem tantam aliquando esse, ut omnem prorsus excludat formidinem. Id experimur in factis humanis, tam præsentibus, quam præteritis, quorum aliqua adeo certa sunt, ut de iis, etiamsi velimus, dubitare nullatenus possimus. Nec tamen in factis alia datur certitudo, quam moralis. Quis autem fingat, Deum non posse in revelatione religionis eamdem, imo & majorem certitudinem suppeditare, sive iis, quibus revelatio in prima origine facta est, sive aliis, ad quos eadem revelatio transmittitur? Haberi reipsa in revelatis veritatibus hanc summam certitudinem, quæ omnem excludat formidinem, invictis argumentis ostendetur inferius.

## CAPUT IV.

*Demonstratur divinæ revelationis necessitas ad perfectam legis naturalis cognitionem; vel, ut alii loquuntur, ad cognitionem* religionis naturalis ( *vid. supr. num.* 6. ).

38. Non solum hic repugnantes *Naturalistas*, qui omnem revelationem explodere conantur, sed etiam aliquos juris naturalis tractatores, qui tametsi agnoscant necessitatem religionis supernaturalis, quæ nonnisi divina revelatione innotescere potest, contendunt tamen, naturam hominis satis seipsa esse instructam, ut omnia cum erga Deum, tum erga homines officia, quæ a lege naturali dependent, possint a quolibet non obtuso inertique homine perfecte cognosci, quin ulla sit revelationis necessitas.

39. Porro non hic agitur de rationis lumine interno, & sano, quale fuit a Deo homini innocenti in prima ejus creatione inditum; sed eo lumine infirmo, & debili, quod post peccatum in nobis reliquum est; sed de eo, quod in nobis nunc esse, experientia ipsa nos docet ( ne scilicet modo cum adversariis litem de peccato originali moveamus ). Ostendemus autem, tot, tantaque esse ad omnia, quæ Deo, nobis, aliisque debemus, officia probe cognoscenda in homine impedimenta, ut *saltem moraliter* impossibile sit sine superna Dei revelatione omnia juris naturæ præcepta ( seu totam *religionem naturalem* ) absque ullo erroris periculo pene cognoscere.

40. Id autem probat Sanct. Thomas ( I. P. Quæst. 1. art. 1. tum 2. 2. quæst. 2. art. 4., ac Lib. I. *contra Gent.* cap. 4. ) triplici ex capite. Primo quia nonnisi paucissimi ope humanæ rationis possent ad omnium natura præceptorum cognitionem pervenire. Plurimi enim sunt ingenio hebetes, ac prope nullo: quidam impediuntur necessitate rei familiaris, ut milites, mercatores, opifices, aliique innumeri vitæ negotiis, curisque distenti. Demum ex iis ipsis, qui & ingenio valent, & otio fruuntur, non pauci studiorum difficultate repelluntur; quibus, aliisque de causis id contingit, quod experientia ipsa nos docet, nonnisi paucissimos propria industria ad cognitionem eorum pervenire, quæ tamen omnes plus, vel minus scire, ac facere tenentur. Necessaria est igitur alia via facilior, quam omnibus perviam Deus non minus misericors, quam sapientissimus esse voluit, nempe superna revelatio, beneficio cujus omnes facile possunt de necessariis vitæ humanæ præceptis imbui (a).

41. Præterea, ut Sanct. Doctor pergit exponere, vel ii ipsi, qui ingenio valent, & omnibus ad scientias comparandas præsidiis instructi sunt, nonnisi longo temporis spatio, multisque laboribus, ac vigiliis eo pervenire possunt, ut omnia legis naturalis præcepta cognoscant. Hinc Lactantius ( Libro III. *Divin. Instit.* cap. 14. ) Philosophiam magistram vitæ esse negabat, *cum ipsi Doctores ante fuerint senectute confecti, quam constituerint, quomodo vivi debeat*. Contra vero revelationis ope vel ipsi pueri statim ac rationis usum attingunt, de omnibus facillime edocentur. Necessaria est igitur revelatio &c.

42. Neque vero duabus hisce rationibus aliquis reponat, posse etiam pueros, & rudes ex sapientum laboribus proficere, atque ab iis sine revelatione naturalia societatis officia addiscere.

43. Non inquam: etenim nulla est tanta hominum auctoritas, quæ alios sine examine de hisce rebus maximi momenti certos reddere queat; Philosophi enim quantumvis sapientis assertio non pluris fieri debet, aut solet, quam ratio ab ipso allata. Quamobrem Lactantius ( Lib. III. *Divin. Institut.* cap. 37. ) concedens, permulta fuisse a Philosophis recte præcepta, negat tamen, eos posse nostros esse magistros, quia, inquit, *nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & auctoritate majori*, idest *divina* illa carent; ac ita concludit: *nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit*.

44. Ulterius cum Philosophi ipsi de pluribus, ac

(a) Simili argumento utebatur Origenes L. I. *contra Celsum* n. 9. Tom. I. ut Celso responderet objicienti, apud Christianos illud obtinere, *noli inquirere, crede potius, & fides te servabit*. Inquiebat autem, *si fieri posset, ut homines, relictis hujus vitæ negotiis, in solam philosophiam incumberent, nulla sane via esset potior .... Si autem id ab hominibus impetrari nequit, sive propter hujus vitæ necessitates, sive propter eorum infirmitatem, quæ in causa sunt, cur perpauci huic se studio dedant; seque ratio majori hominum parti subveniendi excogitari potest ea commodior, quam Jesus gentibus tradidit*: ut scilicet divinæ revelationi nos committamus.

ac fere de omnibus inter se digladientur, anceps quilibet merito esset, cuinam potius adhæreret; nec nisi rationibus hinc, & inde serio, diligenterque perpensis (quod, ut dixi, maxima pars hominum facere non potest) prudenter eorum præceptis acquiesceret.

45. Hinc omnes fere Legumlatores, Minos, Lycurgus, Zaleucus, Numa, Zoroaster, Pythagoras, alii, ut suis legibus auctoritatem apud populos conciliarent, falsas Deorum revelationes confingere solebant. Adeo perspectum omnibus plane erat, solam revelationem esse posse humanæ vitæ magistram, quia sola nos certos reddere potest.

46. Probat demum Angelicus, revelatione opus esse, quia solo rationis lumine vix, ac ne vix quidem omnes vitari possunt errores. Testes hac in re sint ii ipsi, qui inter cultiores maxima sapientiæ laude floruere; qui tamen revelationis lumine destituti in multos, turpissimosque errores infeliciter lapsi sunt. Paucos commemorabo speciminis loco.

Stoicorum nobilissima secta *αὐ ἐξαγωγὴν* commendabat, quasi viri fortis esset, ut ajebat Cicero (Lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. 30.) in summis malis ex mundo, veluti ex theatro exire. Cato cum multis aliis fornicationem, veluti remedium ad vitanda adulteria, permitti voluit (vid. Cicero Orat. pro Cælio, Horatius Lib. I. Sat. 2. & Terentius passim). Plato in bacchanalibus ebrietatem (Lib. VI. *de legibus*), fœminarum communitatem, crudelemque liberorum expositionem probavit (*a*); quem errorem adoptavit etiam Aristoteles (Lib. VII. *Polit.* cap. 16.). De Aristippi autem, & Cynicorum impura doctrina dicere pudet. Cicero mendacium, quin & perjurium aliquando excusandum putat; imo & illud scite dictum ab Euripide censet: *juravi lingua, mentem injuratam gero* (Lib. III. *De offic.* c. 29.); quam impiam sententiam pluribus aliis Philosophis arrisisse ostendit Card. Ursius (*dell' uso materiale delle parole*, cap. 1. & seq.) Vindictam ut maxime honorificam, & laudabilem omnes fere prædicabant (V. Cicero Lib. III. *De offic.* c. 12.) qua tamen nihil esse potest reipublicæ perniciosius. Omnes prorsus, ne plura persequar, laudem, & gloriam, tamquam nobilissimum ad virtutem stimulum, superbe proponebant; unde illud apud Ciceronem (Lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. 12.); *bonas alit artes, omnes incenduntur ad studia gloria*. Et teste S. August. (Lib. V. *de Civit. Dei* c. 13. Tom. VII.) Romani *huic vitio non solum non resistebant, verum etiam id excitandum, & accendendum esse censebant, putantes hoc utile esse reipublicæ*. Et concludere possumus cum Varrone (*In Fragmentis*), *nemo ægrotus quidquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus*.

48. Jam vero post brevem hanc errorum recensionem ita colligo, Si revelatione seposita, solo lumine naturali certa, omnibusque numeris absoluta recti, honestique regula haberi posset, eam sine dubio ii assecuti fuissent philosophi, qui maximo ingenio præditi omnem operam, atque industriam ad id contulerunt. Si igitur tot sæculorum experientia ostendit, neminem eorum sola natura duce ad tantam felicitatem pervenisse, sperandum profecto non est, id quempiam alium consequi posse, nisi acuto ingenio, ac perseveranti industriæ, etiam divinæ revelationis fax adjungatur (*b*).

49. Quod si de veritatibus theoreticis intimius cum religione conjunctis loquamur, quanta olim in caligine veteres philosophi versabantur! Quis eorum primam rerum creationem, veramque hominum originem perspectam habuit? Peripatetici mundum ab æterno extitisse putabant. Epicurei eum ex atomis fortuito coaluisse somniabant. Duo esse summa rerum omnium principia, bonum unum, alterum malum, non solum Manichæi, sed permulti ante eos philosophi effutierunt; quo nihil esse potest absurdius. Alii fortunæ cæcæ, & inconstanti omnia tribuebant; & alii contra fato ineluctabili cuncta regi arbitrabantur, ut omnis tolleretur libertas, qua sublata omnem religionem tolli necesse est. De animi autem immortalitate nonnulli etiam eorum, qui sapientissimi habebantur, aut prave omnino sentiebant, aut saltem vehementer dubitabant (Vid. S. August. Lib. XVIII. *de Civit. Dei* cap. 41. Cicero Lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. 11. & Seneca epist. 120.). Socrates, cujus probitatem tantopere philosophi celebrant, cum jam morieindi tempus instaret, *tempus est*, inquit (apud Ciceronem Lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. 41.) *jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis, utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem*. Paucis dicam: tanta erant olim in philosophiam invecta monstruosarum opinionum portenta, ut recte S. Aug. (Lib. XVIII. *Civ. Dei* cap. 41.) veterum philosophorum scholas Babylonicæ confusioni comparaverit. Tullius autem (Lib. II. *de Divinit.*) *nescio*, inquiebat, *quomo-*

(*a*) In Libro Quinto *De Republica* paullo post initium. Imo ista omnium immanissima consuetudo fuit pluribus nationibus, etiam cultis, communis, ut quisque discere potest ex Æliano *Varior. Histor.* Libro II. cap. 7., ex Tertulliano in *Apologetico* cap. 9., ex Sanct. Justino in secunda *Apologia*, ex Lactantio Lib. VI. *Divin. Institut.* cap. 20. Consuli potest Gerardus Noodt in opere *Julius Paulus*, *sive de partus expositione, & nece apud Veteres*. Lugduni Batav. 1762. in 4.

(*b*) Jure igitur, meritoque fuit olim a duabus celeberrimis Academiis, Parisina, & Lovaniensi hæc propositio damnata: *Liceat ex solo rationis lumine dijudicare, quando quis privatus possit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore aliquem occidere*. Apud Nat. Alexandrum *Theol. Dogmatic.* Tom. III. c. 4. reg. 16. Sed id obiter.

*modo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum* (a).

50. Neque satis est respondere, hujusmodi errores ex perverso naturalis luminis abusu ortos esse, similesque aberrationes etiam in iis inveniri, qui revelationis lumine abutuntur.

51. Lubens enim concedo, ex naturæ luminis abusu philosophos in absurdas adeo opiniones fuisse delapsos. Sed cum nemo unus eorum inveniatur a maximis erroribus immunis, recte concluditur, tantam esse hominis infirmitatem, ut sine divinæ revelationis ope *moraliter saltem* nequeat ab hoc præcipitio cavere, ut rationis lumine non male abutatur.

52. Quod vero additum est, facile diluitur. Vel enim agitur de veritatibus perspicue revelatis, & de his nulla est controversia, saltem apud eos, qui Ecclesiam divinæ revelationis custodem, & interpretem audire non recusant. Vel agitur de theologicis opinionibus: & ii soli errant, qui a veritatis oraculis recedentes rationis propriæ lumini plus nimio indulgent.

53. Obj. primo. S. Paulus *Roman. I.* 21. Gentiles redarguit, quod *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis;* omni vitiorum genere legem in cordibus eorum insculptam obscurantes; unde etiam eos *inexcusabiles* dicit: censet ergo, eos sola natura admonente omnia erga Deum, & homines officia cognovisse, vel saltem cognoscere potuisse; alias fuissent ignorantia invincibili excusati.

54. Resp. Apostolum loqui de quibusdam primariis, & notissimis juris naturalis principiis, quæ ita lucent per se, ut a nemine possint inculpate ignorari; cujusmodi præcipue est unitas Dei, cujus gloriam, & veritatem Gentiles mutaverunt *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium .... & servierunt creaturæ potius, quam creatori.* Quod vel ii philosophi fecerunt, qui Dei unitatem compertam habuerunt, ut Plato, qui nihilominus Diis, Dæmonibusque sacrificandum esse præcipiebat (in Lib. *de republ.*), & Socrates, qui gallum Æsculapio immolari jussit; & Seneca, de quo præclare ita S. Augustinus (Lib. VI. *de Civ. Dei* c. 10.): *iste, qui illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat; agebat, quod arguebat, quod culpabat, adorabat, &c.* scilicet propter populi metum. Hos, & id genus alios merito *inexcusabiles* dicebat Apostolus.

55. Inst. S. Paulus ibid. Cap. II. 14. & 15. subdit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt .... ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: non igitur necessaria est revelatio, qua Gentes carebant, ad cognitionem legis.

56. Resp. Hæc verba intelligenda esse cum pluribus Sanctis Patribus de Gentibus verum Deum colentibus, quæ legem naturalem non habebant litteris exaratam, quemadmodum eam habebant Judæi; habebant tamen eam scriptam in cordibus suis. Hujusmodi fuerunt Melchisedech, Job, Ninivitæ, aliique antiquam Patriarcharum religionem servantes, scriptam in cordibus eorum. Addi etiam possunt novi Christiani, quibus nondum scripta erat lex evangelica, sed solum verbo tradita, & per gratiam in cordibus insculpta. Vel si cum aliis Sanctis Patribus, & interpretibus Apostolus loqui dicatur de Gentibus non conversis, intelligi ejus verba debent non de integra totius legis adimpletione, sed de præceptis notioribus, & facilioribus, quæ Gentiles sine revelatione, & gratia noscere poterant, atque etiam adimplere, quantum ad substantiam, non tamen quantum ad modum, & salutariter, ut in Tract. *de Gratia* explicari uberius solet. Ceterum Gentiles in summa legis ignorantia versatos fuisse, tradit idem Apostolus *Ephes.* IV. 17. ita fideles exhortans, *ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis; propter cæcitatem cordis ipsorum.* Vid. Estius Comment. in laud. locum epist. ad Romanos.

57. Obj. 2. Lactantius Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 7. *Si extitisset aliquis*, inquit, *qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis.* Et infra loquens de veteribus Philosophis, *particulatim*, inquit, *veritas ab his tota comprehensa est.* Pro certo itaque habet Lactantius, nullam veritatem ad hominum mores pertinentem fuisse veteribus Philosophis revelatione carentibus ignotam. Hinc illud etiam Tertulliani effatum in *Apologetico* cap. 17. animam esse *naturaliter Christianam*.

58. Resp. Lactantium loqui de aliquibus tantum & præcipuis religionis capitibus, quæ ibidem recenset (b); & insuper loqui de hypothesi, quam impossibilem secluso revelationis lumine ipse re-

(a) De erroribus veterum philosophorum, præter ea pauca, quæ a nobis delibata sunt, legi possunt Lactantius Lib. III. *Divin. Instit.* ubi disserit *de falsa sapientia*. Eusebius L. XV. *Præparationis Evang.*, ubi eos in omni pene quæstione errasse ostendit. Hermias philosophus Christianus in suo opere imperfecto, quod vocavit *irrisionem philosophorum* (Basileæ 1553. græco-lat.), & Sanct. Augustinus in eruditissimis libris *de Civitate Dei* (Tom. VII.) Ex recentioribus consuli possunt Pat. Baltus *Parallèle de la Philosophie Chrétienne avec celle des Payens*, Bossuet *Discours sur l' Histor. univers.* P. II. ch. 16., Jon. Ger. Vossius in *Theologia Gentilium*, Jac. Leland. *dans la nouvelle Demonstration évangélique* Tom. III. & omnes fere religionis revelatæ apologistæ.

(b) Ita enim se explicat: *Factum esse mundum a Deo,*

repntat; unde statim: *Hoc nemo facere, nisi jam veri peritus, & sciens poterat; verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus a Deo.*

59. Non inficiamur quidem, plura fuisse ab antiquis Græciæ, & Latii sapientibus tradita, divinæ revelationi omnino consona. Sed duo sunt observanda; primo eos non fuisse omni prorsus revelationis lumine destitutos. Cum enim hæc ab Adam primum, deinde a Noe in omnes gentes dimanaverit, potuerunt aliqua ejus vestigia etiam in Gentibus conservari. Multa etiam debuerunt homines sciendi cupidi ab Hæbreorum libris, & colloquiis haurire. Præterea oblivisci non debemus, quod fuit supra variis exemplis demonstratum, eas ipsas veritates, quas Gentiles non ignorabant, fuisse semper a multis erroribus contaminatas, atque obscuratas.

60. Illud autem Tertulliani dictum pertinet ad Dei unitatem, quam ibidem contra Polytheistas eo argumento evincit, quod in subitis motibus, & sine ulla consideratione vel ipsi Gentiles Deum in singulari numero nominare solerent: *Deus magnus, Deus bonus, quod Deus dederit &c.* unde Africanus Doctor concludit: *o testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Sed quantum ad alia dogmata idem Tertull. in eodem libro cap. 2. dicit: *fieri, non nasci solet anima Christiana.*

61. Obj. 3. (a) Lex naturalis omnium cordibus a Deo insculpta est; unde etiam definitur a S. Thoma 1. 2. quæst. 91. artic. 2. *impressio divini luminis in nobis*: omni ergo semota revelatione a quolibet cognosci potest. Hinc plures Theologi docent, ipsam a nemine *invincibiliter* ignorari posse.

62. Resp. Lumen naturale, prout olim integrum, perfectumque erat, utique suffecisse ad omnia Legis naturalis præcepta cognoscenda. Sed in hoc adversarii falluntur, quod non considerant, hoc lumen vitio primi peccati obtusum esse, valdeque imminutum. Neque hoc solum fides Catholica, quam ipsi respuunt, nos docet, sed etiam intimus sensus, & quotidiana experientia; adeo ut vel ipsi ethnici Philosophi aliquid de hac re suspicati fuerint. Unde Cicero ( apud Lactantium Lib. III. *Div. Instit.* cap. 14. ) *mihi autem*, inquiebat, *non modo ad sapientiam cœli videntur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes, & obtusi.*

63. Quantum ad ignorantiam legis naturalis, præ oculis habenda est doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. 94. art. 6. ubi observat primo præcepta naturalia quædam esse *primaria*, communissima, & omnibus nota; alia autem *secundaria*, quæ sunt quasi conclusiones ex primis principiis deductæ. Post autem recte docet, priora illa præcepta nullo modo posse a cordibus hominum deleri in *universali*; posse tamen deleri in *particulari operabili*, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem: præcepta autem secundaria deleri posse de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos; sicuti apud quosdam peccata non reputabantur latrocinia, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus dicit *Roman.* I. Ex hac Angelici doctrina apparet, legis naturalis ignorantiam semper ex aliqua culpa oriri (b).

64. Advertendum est ulterius, posse sine revelatione multa legis naturalis præcepta cognosci, sed subobscure tantum, & sine omnimoda certitudine; unde semper apparet necessitas supernæ revelationis, ut eandem legem plene, & sine errore, vel dubitatione cognoscamus. S. Augustinus ( in Libro *de spiritu & littera* cap. 28. Tom. X. ) concedebat Pelagianis, per peccatum Adæ non omnino deletam esse imaginem primi hominis, dummodo & ipsi non negarent, hanc imaginem non posse perfecte renovari, nisi per gratiam novi testamenti; & concludebat, legem Dei non esse in nobis omnino deletam per injustitiam, sed tamen opus esse, ut renovetur per gratiam. Si igitur homo extrema hæc legis naturæ *lineamenta*, quæ in natura corrupta adhuc superesse S. Augustinus observat, diligenter attendat, facile illi erit luminis alterius superioris necessitatem agnosce-

*dixit Plato .... Hominum causa mundum, & omnia, quæ in eo sunt, esse facta, Stoici loquuntur ... Ad virtutem capessendam nasci homines, Ariston disseruit .... Immortales esse animas Pherecides, & Plato disputaverunt, .... esse inferos, Zeno Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas .... Totam igitur veritatem, & omne divinæ religionis arcanum* ( quantum ad hæc suprema capita ) *Philosophi attigerunt.* Ceterum idem Lactantius Lib. III. cap. 2. mirari se dicebat, *nullum omnium Philosophorum extitisse, qui sedem, ac domicilium summi boni reperiret.*

(a) Cum Tindalio in opere: *Le Christianisme aussi ancien, que le monde*, cap. 6.

(b) Verba S. Doctoris hæc sunt: *Ad legem naturalem pertinent primo quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota; secundario autem quædam secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones* ( *eo modo, quo etiam in speculationis errores contingunt circa conclusiones necessarias* ) *vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia, peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus dicit Rom. I.* Legi etiam meretur P. Jo. Vinc. Patuzzi Tom. I. *Theol. Moral.* Tract. II. Dissert. I. cap. 7. §. & seq. ubi notat discrimen inter legem naturalem, & positivam, & quare hujus esse possit ignorantia inculpata, non autem illius. Concedit tamen, *quibusdam in casibus, qui ad jus naturæ aliquo modo referuntur, ignorantiam invincibilem, & a culpa saltem gravi immunem admitti posse.*

scere, ut veritatem plene assequatur; si autem advertere negligat, merito reus negligentiæ habebitur.

65. Inst. 1. (a) Etiam hoc, quo vivimus, corruptionis statu ad observanda omnia legis naturalis præcepta adstringimur: ergo satis in nobis luminis ad ea cognoscenda esse debet.

66. Resp. Utique nobis præsto esse lumen necessarium ad omnia, quibus adstringimur, præcepta cognoscenda; sed revelationis beneficio, non autem solis naturæ viribus.

67. Inst. 2. Si ita res se haberet, Deus, qui nemini deest in necessariis, omni tempore, & omnibus hoc supernaturale revelationis lumen impertitus fuisset; Deus enim omnium Pater est, & *non est personarum acceptor* ( *Actor*. X. 34. ): Ulterius veteres sapientes hanc revelationis necessitatem agnovissent; utrumque autem falsum est, ergo &c. (b).

68. Resp. Deum nonnisi iis deesse, qui propria culpa ab eo deseri merentur. Supernaturalis revelatio, quantum ad Deum pertinet, omnibus facta est, & saltem παράδοσει seu traditione orali ex primis patribus ad filios, serosque nepotes ipsius Dei mandato transmittenda erat. Quod si multis, populosisque nationibus ea postea obliterata fuit, id earumdem gentium vitio, multisque criminibus tribuendum est, nullatenus autem Deo, qui, quantum in se est, effusa in omnes bonitate, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, *Joan*. I. 9.

69. Ceterum si hoc argumentum aliquid valeret, id valeret etiam, ut nulla esset religionis naturalis necessitas. Scimus enim, aliquas esse gentes ita immanitate efferatas, quæ nec communia, & vulgaria juris naturalis officia norunt. In nationibus autem cultioribus quanta semper fuit, & adhuc est in determinandis ex sola ratione omnibus legis naturalis officiis varietas, atque dissensio?

70. Ex quo autem Deus inæqualiter gratiæ suæ dona distribuat, non propterea dici potest injustus, aut *personarum acceptor*, quia nemini aliquid debet; imo omnes ejus beneficiorum immerentes sunt, ut proinde summa ejus sit misericordia in eos, quibus dona sua impertitur, nulla autem injustitia in eos, quibus eadem denegat. Et quidem in ipsis naturæ donis quanta ubique apparet diversitas? Unus dives, multi pauperes, unus acuti, atque excellentis ingenii, multi indociles, stupidi, & inertes: perpaucis omnia abunde suppetunt, quæ ad virtutes, sive intellectuales, sive morales acquirendas conferunt; major autem hominum pars inculta jacet, atque illiberaliter educata. Anne propterea Deum inæqualem donorum suorum distributorem προσωποληψίας accusabimus? *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Roman. IX. 21.

71. Veteres autem sapientes imbecillitatem suam in veritatis inquisitione & agnoverunt, & sæpius confessi sunt; & si confiteri noluissent, multi gravesque, in quos prolapsi sunt, errores testatissimam facerent rationem; unde necessitas alicujus majoris luminis ad verum inveniendum manifeste consequitur. Sed clarius ceteris id Socrates vidit, & confessus est, ut enim refert Plato ( in *Alcibiade* Dial. 1. ) dicere solebat, *expectandum esse aliquem, qui nos doceat, quo nos animo & erga Deos, & erga homines esse oporteat*.

72. Inst. 3. Animantia bruta, sola natura admonente, suum finem agnoscunt, & assequuntur; ergo multo magis id concedendum est hominibus.

73. Respond. neg. conseq. Cum enim homo ad finem supernaturalem ordinetur, mirum esse non debet, si supernaturalibus etiam auxiliis indigeat. Adde corruptionem naturæ, justam peccati originalis pœnam, atque ignorantiæ tenebras, quæ nonnisi superiore, validioreque luce dispelli possent (c).

74. Inst. 4. Admodum pauca sunt, & omnino per se perspicua, quæ lege naturali discere cogimur; scilicet Deum existere, qui omni perfectionum genere sit cumulatissime instructus; tum duo charitatis præcepta erga homines. Hæc autem pauca facile quilibet naturali intelligendi vi attingere potest.

75. Respond. Hæc esse primaria tantum legis naturalis principia; alia postea esse valde multa erga Deum, atque homines officia, quæ ex iis deducuntur, & in quibus ad omnes errores vitandos lumine desuper dato indigemus. Quamquam vel in ipsa sola quæstione de natura Dei tam varias fuisse olim doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententias notavit Cicero ( Lib. I. *De natura Deorum* cap. 1. ), ut inde concluderet, prudentem Academicos a rebus tam incertis assensionem cohibuisse. Et quidem eodem Tullio observante, tanti momenti est hæc quæstio, ut nisi prius dijudicetur, necesse sit, homines in summo errore, atque in maximarum rerum ignoratione versari; & insuper pietatem, sanctitatem, &

(a) Cum Auctore pestilentis libri, cui titulus *Les Moeurs*.

(b) Ita inter alios objiciebat infelix Car. Blount. auctor infamis libri *Les oracles de la raison* Lond. 1693. qui paulo post, referente Bælio in *Diction. artic. Apollonius de Tyan.* rem. l. in desperationem actus mortem sibi conscivit. Vid. etiam P. Richard in *Dictionnaire des sciences ecclesiastiques* Tom. V. *in supplement.* articul. *Blount.* Hoc autem est argumentum, quod Naturalistæ admodum magnificare solent, ut videre est apud Rousseavium Tom. III. *de l' Emile* pag. 155. & seq.

(c) *Perfectio rationalis creaturæ*, inquit S. Th. 1. 2. quæst. 1. art. 3. *non solum consistit in eo, quod ei competit secundum suam naturam, sed in eo etiam, quod ei attribuitur a quadam supernaturali participatione divinæ bonitatis*. Et in resp. ad 1. *Quia natura hominis dependet a superiori natura, ad ejus perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur quædam supernaturalis*.

& religionem, reliquasque virtutes tolli, quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur, atque confusio. *Atque haud scio*, concludit Tullius, *an...... fides etiam, & societas humani generis, atque una excellentissima virtus justitia tollatur*.

76. Inst. 4. Si ita debile est rationis lumen, erroribusque obnoxium, jam nulla de re certi esse poterimus, eritque damnatus pyrrhonismus in Scholas invehendus; quo nihil fieri potest religioni perniciosius.

77. Resp. Inter pyrrhonismum, & temeritatem judicandi mediam esse prudentem dubitationem, ut nec ea respuamus, quæ liquido, evidenterque apparent, neque infirmis, attenuatisque rationis viribus plus æquo fidamus. *Quid enim*, inquit Cicero (initio Libri I. *de Nat. Deor.*) *tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere* (a)?

78. Obj. 4. Lex naturalis in eo potissimum a lege supernaturali distinguitur, quod illa, secus ac ista, possit nativis intellectus viribus attingi: nulla ergo opus erit revelatione.

79. Resp. Legem naturæ *ex se, & ratione sui* vires intellectus nostri minime excedere; atque hac potissimum de causa a religione supernaturali omnino distingui, cum hæc supra omnem intellectus facultatem posita sit, ut nonnisi divina revelatione nobis innotescere possit. Indigemus tamen lumine aliquo supernaturali ad omnia juris naturæ præcepta cognoscenda, propter internam animi nostri corruptionem, ac nativam imbecillitatem, qua fit, ut sine revelatione, solaque inquisitione, ea nonnisi a paucis, longo temporis intervallo, & cum plurium errorum admixtione cognosci queant. Eo fere modo, quo aliqui hebetata oculorum acie vitreis instrumentis indigent, ad ea etiam objecta videnda, quæ nudo alioquin oculo, si esset robustus & sanus, videri possent... Apte Origenes (Libro I. *Contra Celsum* num. 4.) revelationem comparat lapideis tabulis, in quibus Deus iterum præcepta scripsit, postquam primæ fuerant propter populi scelus confractæ. *Exodi* XXXIV. (b)

80. In eo etiam magnum discrimen inter veritates supernaturales, & alias ordinis mere naturalis intercedit, quod illarum aliquæ, nempe mysteria, prorsus supra rationem sint positæ; contra vero veritates ordinis naturalis nostræ rationi sint omnino perviæ, quamquam eas sola ratio numquam invenire potuisset, saltem perfecte, & sine ulla dubitatione.

81. Inst. Multi tamen extiterunt omni tempore, præcipue autem hoc nostro ævo, acuti, & solertes viri, qui sine ulla revelatione plenam, absolutamque juris naturæ doctrinam complexi sunt. Inter veteres Socrates, Plato, Cicero, Seneca, Epictetus, Plutarchus, M. Aurelius talia, & tam sublimia nobis reliquerunt Ethicæ præcepta, ut bene multos nostrorum *Casuistarum* suppudere deberet. Infinitus autem esset, qui omnes recentiores numerare vellet, qui sola ratione duce hanc materiam illustrarunt.

82. Resp. Veteres philosophos & satis multa in hac parte peccasse, ut superius monuimus, & plurima ex revelatione per traditionem conservata hausisse (c). Hinc observatione dignum est philosophos, qui post Evangelium promulgatum floruere (ut Epictetus, Plutarchus, M. Aurelius, Maximus, Porphyrius, Jamblicus) multo minus, quam eorum magistros a veritate aberrasse; quia nempe, quamvis Evangelium recipere recusaverint, ex ejus tamen lumine non parum profecerunt. Quamquam eorum Ethica, utut multo emendatior, quam priorum, nullo modo cum nostra Evangelica est comparanda.

83. Multo magis recentiores Jurisperiti plurimarum veritatum cognitionem revelationi supernaturali, quam simul cum lacte nutricis suxerunt, in acceptis referre debent. Neque vero arroganter arbitrentur, se omni revelatione semota eo unquam perventuros fuisse, quo veteres excellenti ingenio præditi maximis laboribus pervenire minime potuerunt. Horum exemplo persuadere nobis facile possumus, modernos non minus erraturos fuisse, nisi iis revelatio facem prætulisset. Cæterum quando revelatione contempta solum rationis ductum sequi voluerunt, in magnos & ipsi errores prolapsi sunt. Quod etiam in iis gentibus ap-

(a) Hanc nostræ rationis infirmitatem Bælius multis in locis demonstrat, præcipue in artic. *Bunel* Rem. E.; ubi ostendit, rationem instar Penelopis telam, quam diu contexuerat, noctu retexere. Quamquam vero auctoritate rationis imbecillitatem plus æquo sæpius exageret, ut sibi dilectum pyrrhonismum invehat, multa tamen affert, quæ a nemine negari possunt.

(b) Do verba Origenis, qui Celso objicienti, nihil a Christianis doceri, quod non fuerit a veteribus philosophis jam prius cognitum, ita respondet: *Nisi omnes haberent communes quasdam de moribus regendis notiones in animis impressas, etiam qui justum in se Dei judicium arcesserunt, neque attrahunt, illi debitam suis peccatis pœnam declinarent. Quare nihil mirum, Deum, qua per Prophetas, & Salvatorem docuit, eadem in omnium hominum animis impressisse, ut Deo judicante nullus excusatione uti possit: cum nullus sit, quin sensum legis in corde suo scriptum habeat. Atque id obscure subindicat. Scripturæ, ubi narrant, quod Græci fabulam esse volunt, Deum præcepta proprio digito scripta Moysi tradidisse, eaque confracta fuisse malitia eorum, qui vitulum conflaverant, quasi dicerent, ea scelerum proluvie obliterata fuisse: Deum iterum eadem in lapideis tabulis a Moyse excisis exarasse, Moysique dedisse: nimirum prophetico sermone omnium post primum peccatum ad secundas Dei litteras præparantes.*

(c) Id pluribus argumentis confirmavit doctissimus P. Castus Innocens Ansaldi in suo opere *De principiorum legis naturalis traditione* Mediol. 1742. In 4.

apparet, quibus rationis lumen nondum affulsit; falsa enim ratione deceptæ in absurdissimis erroribus adhuc versantur (*a*).

84. Obj. 5. Quamvis nostra ratio in statuendis religionis officiis sæpe fallatur, error erit innoxius; nec ullas propterea Deus a nobis pœnas reposcet; hæ enim nonnisi inobedientibus debentur; sed inobedientes non sunt, qui non voluntatis malitia, sed intellectus errore falluntur.

85. Resp. primo, extra oleas vagari adversarios, dum ob hujusmodi errores nullas a nobis reposcendas esse pœnas confugiunt. Nec enim de modo quæritur, sed solum an in juris naturalis doctrina, seposita revelatione, omnis error possit vitari.

86. Præterea facile ostenditur, hujusmodi errores esse inexcusabiles in iis, qui fallaci luminis naturalis præsidio confisi oculos sponte claudunt, ne aliud supernum lumen videant; atque ita propria culpa veluti in meridie cæcutiunt.

87. Obj. ult. Utut revelatio plurimum inservire possit, quando res agitur cum Christianis, qui eam admittunt, nec hilum tamen cum aliis ea proficientes, qui revelationem pro enthusiasmo, aut pro piis hominum fabulis habent: debent igitur juris Tractatores ab ea abstinere si ab omnibus legi volunt.

88. Resp. Potius persuaderi deberet Ethnicis, aliisque Incredulis, revelationem esse necessariam, quod lumen rationis sibi dimissum noctuis simillimum sit. Ulterius postquam juris naturæ veritates Deo monstrante cognovimus, perquam facile erit, earumdem perfectam consensionem cum recta ratione ostendere; revelatio enim rationem adjuvat, illustrat, & dirigit; ratio vero revelationem sæpe confirmat (*b*).

89. Prolixam disputationem concludo verbis Lactantii Lib. VI. *Divin. Instit.* cap. 8. *Hæc est via, quam Philosophi quærunt* (scilicet via veritatis): *sed ideo non inveniunt, quia in terra potius, ubi apparere non potest, quærunt. Errant ergo veluti in mari magno, nec quo ferantur, intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur; quæ nisi aliquod cæli lumen observent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter viæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cælum, & (ut apertius loquar) non hominem sequi debet, sed Deum.* Multa etiam in hanc rem invenientur apud Petrum Brunellum epist. 56.

## CAPUT V.

*Nonnullis argumentis ostenditur necessitas divinæ revelationis quarumdam veritatum supernaturalium.*

90. Referente Sancto Augustino *Enarrat.* 2. *in Ps.* XXXI. n. 2. T. IV.) multi olim inveniebantur Pagani, qui propterea fieri nolebant Christiani, quia putabant sibi ad salutem sufficere, si bene viverent, non autem esse necessarium, ut etiam bene crederent. *Bene vivere*, dicebant, *opus est. Quid mihi præcepturus est Christus?* Non dissimiliter loquuntur Naturalistæ moderni, omnem veritatum quarumdam supernaturalium revelationem, ut inutilem rejicientes, solamque legis naturalis observationem necessariam esse contendentes (*c*).

91. Sed antequam cum istis Naturalistis cominus

(*a*) Longum nimis esset de recentium Incredulorum erroribus dicere. Videri possunt apud Jo. Gauchat *Lettres critiques, ou analyse, & refutation des divers ecrits modernes contre la religion* Vol. 14. in 12.; atque etiam in lepido opusculo anonymo, cui titulus: *Memoire pour servire l'histoire des Caecuacs;* ubi perpetua ironia nova prodigiosaque nostrorum Incredulorum portenta satyrico sale perfricantur. De quorumdam vero juris Tractatorum erratis consulantur inter alios P. Desing in *Juris naturalis larva detracta*, P. Daniel Concina Tom. VI. *Theol. Moral.* Dissert. prolegom. eadem 9., & Jo. Baptista Finetti *De principiis juris naturæ, & gentium.*

Ceterum quantum recentiores Naturalistæ revelationi debeant, eleganter explicat Lud. Vives Lib. I. *de Veritate fidei* his verbis: *apertis semel a Christo thesauris veritatis, eæ deinceps rationes ab iis, qui doctrinæ illi cælesti paruerunt, sunt de pietate inventæ, tam liquidæ, tam apertæ, validæ, efficaces, inexpugnabiles, ut miremur, non incurrisse illas in oculos eorum, qui inter gentes sapientiam profitebantur, sed nimirum rebus lux addita est a Christo. Adhibita autem rebus luce facile est, quid quæque res, & hujusmodi sit, dicere, & pro iis, quæ dixeris, argumenta congerere. Parit autem rationem cognita veritas, & veritatem confirmat adhibita ratio.* Id ipsum observarunt Jo. Lokius in *Christianisme raisonnable*, & Clarckius in *discours sur la religion naturale, & revelée* pr. 7. Non minus vere, quam facete de talibus, qui ratione abutuntur contra religionem, dicebat Jo. de la Bruyere: *ce sont des enfans durs, & forts du bon lait, qu'ils ont sucé, qui batteut leurs nourrices.*

(*b*) Nonnullæ objectiones, quæ ex salute quorumdam Gentilium sine fide mortuorum ab aliquibus asserta erui possunt, solventur suo loco, ubi nempe agemus de necessitate fidei ad salutem. De hac controversia autem præter alios innumeros legi merentur Kooke *de imperfectione, & obscuritate legis naturalis* in fine Tom. II. *Religionis revelatæ princ.* Sylvius in artic. 1. quæst. 1. Primæ Partis Summæ S. Thomæ; Jo. Wernet *Traité de la verité de la religion Christiane* Lib. I. *De l'utilité de la revelation;* & Jo. Leland. *Nouvelle demonstration evangelique* Tom. III.

(*c*) Id videre est in celebri Uriel Acosta, qui sæculo elapso ex Christiano factus est Judæus, & ex Judæo Deista; suam autem vitam, & doctrinam ipse complexus est in *Exemplari vitæ humanæ* relato, & confutato a Phil. Limborchio in fine libri, cui titulus: *Amica collatio cum Judæo de Verit. rel. Christ.* Amstelod. 1587. in 4.

nus congrediamur, placet ab ipsis sciscitari, quomodo tam fidenter sibi persuadeant, eam religionem, quam *naturalem* appellant, homini plane sufficere ad salutem? Possunt e sana mente inficiari, religionem aliam supernaturalem, seu revelationem veritatum quarumdam supernaturalium, esse saltem possibilem? Eccur enim non potuisset Deus præter eas veritates, quæ rationis nostræ lumini perviæ sunt, alias manifestare sublimiores, quas homo naturali sua intelligendi vi nullatenus assequi valeat? Hæc sola consideratio hominem prudentem movere debet, ut, an necessaria sit, & an reipsa existat revelatio harum veritatum supernaturalium, diligentissime inquirat (*a*).

92. Haud me latet, Naturalistas ad rationem nos provocare, qua luculenter ostendi clamant, solam religionem naturalem ad bene, beateque vivendum abunde sufficere.

93. Sed primo, quanta sit rationis humanæ imbecillitas, cap. super. demonstratum fuit; & ipsi vel inviti confiteri sæpe coguntur. Secundo, cum tam frequenter ad rationis tribunal nos provocent, eos percunctari libet, de qua ratione loquantur? An de sua ipsorum propria? Sed quibus titulis, & quo jure in hac gravissima controversia constituent se solos judices? An de ratione singulorum hominum? Sed tunc tot erunt religiones, quot sunt hominum capita: eodemque jure Materialistæ, Epicurei, atque ita Athei ad suæ rationis tribunal totum hominum genus pertrahere conabuntur. An denique loquuntur de communi omnium hominum ratione? Sed tunc certo certius causa cadent: Communis enim aliorum hominum persuasio semper fuit, & est, religionem supernaturalem esse admittendam. Nec de solis Christianis loquimur, aut Judæis, sed de omnibus plane populis; nullum enim inveniemus, cui non sit persuasum, religionem debere a Deo ipso descendere, & superna revelatione innotescere. Sed jam ratione ipsa cum Naturalistis pugnemus.

§. I. *Primum argumentum pro necessitate revelationis supernaturalis desumptum ex interna* ***hominis corruptione, cujus corruptionis originem, causam, & remedium nonnisi Deo revelante cognoscere possumus*** (*b*).

94. Et quidem nos esse aliqua nostra culpa interius corruptos, & a primævo statu, in quo conditi a Deo fuimus, infeliciter delapsos, nemo inficias iverit, qui seipsum attente consideraverit. Intellectus rerum pro objecto habet, illudque avidissime inquirit, sed tot, & tantis obruitur ignorantiæ tenebris, ut ægerrime illud invenire, atque a falso internoscere possit; voluntas autem proprio pondere in bonum tendit, sæpissime tamen a passionibus obnubilata, & perturbata verum bonum respuit, falsum vehementer consectatur; & tanta est in omnibus interna contradictio, inconstantia, & pugna, ut homo sibi ipsi imperet, & ipse sibi ipsi parere recuset, juxta illud decantatum Poetæ:

.... *Trahit invitum nova vis, aliaque cupido,*
*Mens aliud suadet: video meliora, proboque,*
*Deteriora sequor.*

95. Atque ut in ordine solum naturali sistamus, quam sæpe evenit, ut ratio cum se dominam agnoscat, imperio tamen passionum quasi invita subjiciatur, vel in ipsis rebus, quas maxime vitare se debere cognoscit? Quid enim ex. gr. cuique magis innatum, quam propria sui ipsius conservatio? Attamen quot homines videmus, brutis deteriores, intemperantiæ, libidinibus, noxiisque voluptatibus, & sanitatem, & vitam ipsam sibi adimere? Quid postea de iis multis dicendum, qui bona spiritualia sine dubio omnium pretiosissima vilissimis quibusdam rebus longe postponunt, utique contra sanæ rationis dictamen? Hæc sane intestina hominis pugna, atque discordia, quam unusquisque in se experitur, haud leve est argumentum occultæ corruptionis, cujus originem, & causam, & remedia nos prorsus ignorare necesse est, nisi ad supernam revelationem oculos convertamus, quæ nos docet, hominem fuisse a Deo rectum, atque integrum creatum, postea vero propria culpa vitiatum, hanc culpam in omnes infelices Adæ posteros transfundi, neque aliter hoc tantum malum tolli posse, quam per gratiam Domini nostri Jesu Christi, quam jugibus, ac ferventibus precibus implorare debemus.

96. Non me latet, quosdam recentiores Incredulos fidenter respondere, hoc hominis intestinum bellum corruptionis indicium esse, aut effectum, sed illi prorsus naturale, quemadmodum eidem homini naturale est, habere partes corruptioni, & dissolutioni obnoxias (*c*).

97. Verumtamen ut bene observat S. Thomas Lib. *Cont. Gent.* cap. 52. etiamsi hoc intestinum bel-

(*a*) Incredibilis est hac in re Naturalistarum temeritas. Rousseavius in suo *Emile* Tom. III. non solum fidenter asserit, religionem naturalem sufficere, sed eam insuper cuilibet luculentissime patere contendit; quasi vero ignotæ essent controversiæ, & dissensiones inter Naturalistas in hac ipsa religione naturali determinanda. Auctor pestilentis libri *Les Moeurs* idem magno molimine evincere conatus est. Longum autem esset dicere de omnibus.

(*b*) Non proponimus hoc argumentum tamquam omnino demonstrativum, sed solum ut valde *probabile*; quemadmodum illud proposuit S. Th. Lib. IX. *Contra Gent.* c. 52. Vide ejus verba infra in not. ad n. 98.

(*c*) Voltairius *Lettre* XXV. *sur les pensées de M. Paschal* & dans *le* VI. *Discours philosophique tout est ce qu'il doit etre*. Contra quem videri potest libellus Rob. Jos. Alexii Du Hamel, cui titulus *Lettres Flamandes* &c. à Lille 1752. in 12. Lett. X. & XI.

bellum impossibile non esset attenta humana natura, saltem probabile non est, attenta divina providentia. Nec eadem est corporis, atque animæ ratio. Corpus ex variis, & contrariis elementis simul mixtis coagmentatur, unde & corruptioni, ac dissolutioni obnoxium esse debet. Anima vero, & corpus diversæ quidem sunt res, sed non sibi ipsis contrariæ. Præterea anima una, simplexque est; ac proinde mirum certe est, eam in duas quasi partes dividi sibi ipsis repugnantes. Jam vero estne credibile, Deum O. M. voluisse nos talis naturæ condere, quæ legibus ab ipso statutis se se contumaciter opponeret? Anne Deus ipse dicendus erit ordinis, perturbationisque auctor? Ut corpus effecerit animæ quidem subjectum, sed eidem perpetua fere rebellione reluctans? Ut animæ rationem indiderit, & una simul etiam passiones eidem obtemperare recusantes? Anne hæc intestina discordia adeo necessaria est, ut sine illa homo creari, aut esse non posset?

98. Sane adeo luculenter apparet, hanc nostram corruptionem naturalem non esse, ut vel ipsi antiqui philosophi id plane cognoverint, quamvis revelationis lumine destituti de vera ejus causa ne somniare quidem potuerint. Nam Cicero (in Lib. V. *de republ.* apud Sanct. Augustinum Lib. IV. *Contra Julianum* cap. 12. Tom. X.) hominem ita infelicem considerans, eum dicebat, *non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam*. De hoc ipso conquerebatur Plinius (in præfat. L. VII. *Historiæ naturalis*), dubitans, utrum natura *parens melior homini, an tristior noverca fuerit*. Alii vero, ut Pythagorici, & Platonici, *nos aliqua scelera suscepta in una superiore pœnarum luendarum causa natos esse*, dixerunt (a). Alii demum, ut Manichæi, duas in nobis esse animas commenti sunt, quarum una alteri perpetuo repugnaret. Recte autem dicere possumus cum Sanct. Augustino (Lib. IV. *contra Julianum* cap. 12. Tom. X.), hos omnes rem vidisse, nempe naturæ corruptionem; causam autem nescivisse, quia sacris litteris non eruditi ignorabant peccatum originale; multoque magis ignorabant veræ corruptionis istius remedia, quæ nonnisi a gratia Christi nobis suppeditantur. (b).

99. Objiciunt Naturalistæ, descriptionem primævæ corruptionis, qualis ex Divina revelatione constare dicitur, tot, tantisque puerilibus næviis, antilogiis, absurdisque adjunctis scatere, ut anilibus figmentis adnumerari mereatur. Primo enim annon Æsopi fabulas redolet illud Evæ cum serpente colloquium? Præterea quis non miretur, Evam aut serpentis aspectum non exhorruisse, sicut exhorruit Moyses (Exodi IV.), aut ad insolitam in bruto loquelam non obstupuisse, ut demum diaboli fraudes non olfecisset? Tertio & ridicula, & injusta est pœna serpenti inflicta: *super pectus tuum gradieris, & terram comedes* (Genes. III. 15.): ridicula est, quia reptatio serpenti est naturalis, cum pedibus careat; injusta, quia serpens non peccavit, si dæmon ipsius organo Evam decepit. Quarto falsa etiam videtur illa Moysis locutio: *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ;* nemo enim ignorat, equos, vulpes, canes, & pleraque alia bruta serpenti in calliditate longe antecellere. Quinto difficultatem facessit, quod de arbore *scientiæ boni, & mali* dicitur; quasi vero Adam, & Eva, antequam de ejus fructu comederent, bonum ignorarent, & malum. His accedit, rem omnium absurdissimam videri, illius primi hominis delicto, etiamsi verum esset, totam humanam naturam fuisse corruptam (c).

100. Resp. Adversarios nodum quærere, ubi scir-

(a) Hæc sententia post etiam Origeni placuisse dicitur, qua de re legendus Huetius in *Origenianis* Lib. II. quæst. 6. num. 4. & sequ. Eamdem sententiam etiam Cicero retulit in extremis partibus *Hortensii Dialogi*, ut testis est S. August. Lib. IV. Cont. Jul. c. 15. Tom. X.

(b) S. Thomas in IV. *Contra Gent.* cap. 52. postquam dixisset, peccati originalis in humano genere probabiliter quædam signa apparere, scilicet diversas pœnas corporales, & spirituales, ita sibi objicit: *Posset tamen aliquis dicere, hujusmodi defectus, tam corporales, quam spirituales non esse pœnales, sed naturales defectus ex necessitate naturæ consequentes. Necesse est enim corpus humanum, cum sit ex contrariis compositum, corruptibile esse, & sensibilem appetitum in ea, quæ sunt secundum sensum, delectabilia moveri; quæ interdum sunt contraria rationi.*

Hanc vero Pelagianorum evasionem, qua etiam utuntur Naturalistæ, ita S. Doctor præcludit: *Sed tamen si quis recte consideret, satis probabiliter poterit æstimare divina prudentia supposita, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorum naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur; & si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus speciali, & supernaturali beneficio tolleretur, ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturæ, quam corpus, tali conditione credatur corpori esse conjuncta, quod corpore aliquid esse non possit contrarium animæ, per quam corpus vivit. Et similiter si ratio in homine appetitui sensuali conjungitur, & aliis sensitivis potentiis, quod ratio a sensitivis non impediatur, sed magis eis dominetur.*

Et postquam doctrinam fidei exposuisset, qua certum est, hominem a principio fuisse taliter constitutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta, ei inferiores vires sine impedimento deservirent &c.; ita demum concludit: *Sit igitur hujusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus, quod est in ea inferius, tamen considerando divinam providentiam, & dignitatem superioris partis humanæ naturæ, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus esse pœnales: & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum.*

(c) Julianus apostata apud S. Cyrillum L. III. contra eumdem totam hanc Mosis narrationem inter fabulas amandabat. Veteres hujus idololatræ difficultates

scirpus est, dum divinam revelationem ex eo duntaxat evertere nituntur, quod non omnia, quæ in ea continentur, possint omnino perspicue, nitideque ad eorum gustum exponi. Quæcumque tamen in hujusmodi rebus explicandis difficultas sit, ea certe longe minor est, qua adversarii nostri premuntur, dum causam horribilis illius perturbationis, & corruptionis, quæ a nemine negari, aut ignorari potest, afferre coguntur. Nihilominus singulas objectas difficultates ex probabilioribus Interpretum sententiis breviter expedire conemur.

101. Et primo quidem nonnisi iis, qui spiritus esse negant, impossibile videtur, dæmonem serpentis organo, ad colloquia cum Eva miscenda uti potuisse. At vero, ne modo aliam quæstionem de spiritibus ingrediamur, ostendant adversarii, si possunt, spiritus non modo non existere, sed nec existere posse; & tunc confectum erit, incredibile esse, & impossibile, quod Moyses de diabolo per serpentem loquente narrat. Porro id neque impossibile, neque incredibile antiquis visum est. Spiritus enim ore bestiarum, vel inanium simulacrorum locutos sæpius fuisse, eorum multi nobis tradiderunt. Atque ut prætercam asinam Balaam, cujus ore Angelum locutum fuisse Sacra Scriptura testatur *Num.* XXII. notum est omnibus dæmones olim ex mutis simulacris oracula fudisse (*a*). Plinius etiam (Lib. VIII. cap. 41.) refert, eo anno, quo Tarquinius Roma pulsus est, latrasse serpentem. De bestiis humana voce locutis plura exempla commemorat Valerius Maximus (Lib. I. titulo *de Miraculis*), & similia plura apud Julium Obsequentem reperiuntur (in Libro *de prodigiis*). Vid. S. Augustinus Lib. XI. *de Genesi ad litteram* cap. 29. Tom. III. & S. Cyrillus Lib. III. *contra Julianum*.

102. Resp. ad 2. nullam tunc fuisse causam, cur Eva serpentis aspectum exhorresceret, cum omnia animalia, antequam homo Deo rebellis fieret, essent homini plene subjecta (Consul. S. Thomas I. P. quæst. 98. art. 1.). Imo nec desunt, qui putent serpentem tunc temporis fuisse ceteris bestiis pulchriorem, hominique magis amicum; & hac de causa ejus potius, quam alterius animalis organo dæmonem usum fuisse. Videri potest S. Basilius Hom. *de Paradiso*.

103. Majorem difficultatem habet, quod additur, Evam non fuisse miratam insolitam serpentis loquelam, aut fraudes dæmonis non olfecisse. Sed verisimile est, Evam putasse Angelum bonum serpentis ore loqui; neque enim tunc insolens erat, Angelos, imo ipsum etiam Deum sensibili aliqua forma protoparentibus nostris apparere, ac cum iis colloqui. Unde Tertullianus (*de præscript. Hæretic.* cap. 47.) dicit, Evam serpenti, *quasi filio Dei credidisse*, & alibi (*Adversus Valent.* cap. 2.) serpentem vocat *divinæ imaginis prædonem*. S. autem Thomas (I. P. q. 93. art. 4. ad 1.) docet cum S. Augustino, mulierem fuisse deceptam serpentis loquela, quia prius peccaverat peccato internæ elationis; & in resp. ad 2. secutus auctoritatem Magistri sententiarum, dicit, putasse mulierem, *serpentem hoc accepisse loquendi officium, non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione* (*b*).

104. Frustra vero maledictio, & pœna serpenti inflicta, vel ut ridicula, vel ut injusta sugillatur. Nam, ut Theodoretus scite observat (*Interrogat.* 34. in Genesim), non incongrue Deus velle potuit, ut quod alioquin serpenti naturale erat, ei postea verteretur in pœnam; non quidem ad aliquam ipsius molestiam, sed ut homines id videntes originalis culpæ reminiscerentur. Unde etiam hac de causa serpens homini maxime invisus

moderni increduli renovare non erubescunt. Thomas Burnetus in *Archæologia philos.* Lib. II. c. 7. his difficultatibus motus vult, Philoni Judæo, atque Origeni inhærendum, qui hæc omnia allegorice interpretati sunt. Eadem opinio fuit Balth. Beckeri in *Mundo fascinato* Lib. II. cap. 20.

(*a*) Neque enim puto, viris doctis probari posse singularem Antonii Van Dale, ejusque asseclæ Fontenellii sententiam, omnia hujusmodi oracula nihil fuisse aliud, quam sacrificulorum fraudes. Conf. P. Balcus *Response à l'histoire des Oracles de Fontanelle, & la suite de cette response*; P. Honoratus a S. Maria in Dissert. *de oraculis*; Vossius *de idololatria* Lib. I. c. 6. & Abbas de Artigni *Nouveaux memoires d'histoire, de critique, & de litterature*.

Sam. Bochartus in suo *Hierozoico* I. P. L. II. c. 14. multa ex Mythologis, & Historicis animalium loquentium exempla affert. R. Isaac Abarbanel hunc dialogum serpentis cum Eva metaphorice intelligi vult, quatenus serpens comedendo fructum, quin moreretur, facto ipso feminam tentavit, & movit ad idem faciendum. Hanc rabbini interpretationem non omnino rejicit doctissimus Simeon Muis in suo libro, cui titulus *Varia Sacra*, inquiens: *ita philosophatur Abarbanel satis subtiliter sane, nec omnino absurde, meo judicio. Nihil affirmo tamen, nec meum est.* S. tamen Augustinus Lib. XI. *de Gent. ad litt.* c. 25. diabolum vere per serpentem fuisse locutum existimat. Imo communis hæc est Sanct. Patrum sententia.

(*b*) Josephus Flavius Lib. I. *Antiquit. Judaicarum* cap. 1. nu. 4. arbitratus est, ante Adami peccatum omnia animalia ejusdem cum homine loquelæ commercium habuisse; quam eamdem sententiam tenuit Plato in *Politicis*. Necesse vero non est ad hæc commenta confugere, cum facile res tota expediatur, dicendo cum S. Augustino Lib. XI. *de Gent. ad litt.* cap. 28. diabolum fuisse per serpentem locutum; ubi etiam Sanct. Pater diabolicæ virtuti adscribit incantationes serpentum, qui magis moveri solent carminibus incantatorum, quam ullum aliud genus animantium; atque ita subdit: *etiam hæc non parva testatio est, naturam primitus humanam serpentis sedactam esse colloquio. Gaudent enim dæmones, hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos possunt. Hoc autem permittitur, ad primi facti memoriam commendandam, quod sic est quædam cum hoc genere familiaritas.*

sus factus est, & horribilis. Sic Iris, quæ phænomenon est naturale, post diluvium facta est signum pacti Deum inter & homines initi (*a*).

105. Sed nec injusta pœna fuit, neque enim insolens est, ut in majorem alicujus criminis detestationem brutis etiam animalibus pœnæ infligantur. *Levitici* XX. 15. dicitur: *qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite;* & *Exodi* XXI. 28. bovem cornupetam Deus jussit lapidibus obrui, vetuitque ne ejus carnes comederentur. Imo vel in ipsas res inanimes vindictam extendi aliquando videmus. Audiatur Sanct. Joann. Chrysostomus Homil. XVII. in Joann. *sicut clementissimus Pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem, per quos filius suus occisus, destruit, & in multas partes dividit; eodem modo Deus agit. Quippe serpens, quasi gladius quidam diabolicæ servivit malitiæ; unde & perpetua ipsi pœna intenta est.* Id autem tum fieri dicebat, ut magnitudo illius primi peccati luculentius ostenderetur. Quæ pœna ad alios quoque serpentes extensa fuit, ut homines eam quotidie videntes, & magnæ illius calamitatis, & maximi beneficii, quo ab ea liberati sunt, recordarentur.

106. Quamvis non desunt aliqui Patres, & nobiles interpretes, ut Sanct. Augustinus, Gregorius M., Beda, Rupertus Abbas (apud Nat. Alexandrum Tom. I. *Histor. veter. Testament.* dissert. 5. assert. 1.), Hugo, Lyranus, & Cajetanus, qui putant, totam maledictionem non ad serpentem, sed ad diabolum pertinere. Et cum in toto hoc infando negotio diabolus, & serpens conjunctim egerint, mirum non est, aliqua ad serpentem, aliqua vero ad diabolum referri.

107. Cum vero serpens dicitur *callidior cunctis animalibus*, id duplici sensu potest intelligi; primo propter singularem ipsius calliditatem, de qua multa refert ex variis auctoribus Sam. Bochartus (in *Hierzoico* P. I. Lib. I. cap. 4.), unde etiam Christus Dominus dicebat Apostolis Matth. X. 16. *estote prudentes, sicut serpentes*, quamquam multi cum Sanct. Epiphanio (*De hæresi Orphitarum*) putant, divina maledictione etiam summam illius calliditatem fuisse maxima ex parte imminutam. Secundo propter diabolum ei insidentem; ut aliquis recte dixerit, Macedonum exercitus fuisse olim omnium fortissimos, non attenta virtute dumtaxat militum, sed præcipue propter Alexandrum Magnum eorum ducem (*b*).

108. Ad 5. De arbore scientiæ boni, & mali resp., vel ita appellatam esse arborem illam ab eventu, quatenus ex illa obedientiæ, vel inobedientiæ Adami periculum sumi debebat, quæ sententia admodum verisimilis est, probaturque ex S. Jo. Chrysostomo (Serm. VII. in Genesim), S. Augustino (Lib. XIV. *de Civit. Dei* cap. 17.), Theodoreto, & aliis; vel quia virtutem continebat illustrandi intellectum in *perfecta* boni, malique cognitione; ut arbor vitæ vim habebat sanitatem conservandi.

109. Postremum de peccati Adamitici in infelices ejus posteros transfusione mysterium est certa fide credendum, quamquam non possit humana ratione comprehendi. *Ut enim quod dimissum est in parente, trahatur in prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia, & infidelibus incredibilia, sed tamen vera ec.*, inquiebat magnus Augustinus, quo nemo profundius hoc mysterium perscrutatus est (in Lib. I. *de nuptiis, & concupiscentia* cap. 17. Tom. X.). Sed quot alia sunt, non dicam inter arcana religionis mysteria, sed vel inter ipsas res naturales, quorum modus obscurissime latet? Imo, ut recte observat Paschalis (*Pensées sur la religion* cap. 3.), homo magis incomprehensibilis est sine mysterio peccati originalis, quam hoc mysterium est homini ipsi incomprehensibile, quia, ut superius diximus n. 94. nullo modo sine doctrina peccati originalis intelligi, aut explicari potest interna illa corruptio, &

(*a*) Josephus loc. cit. putavit, serpentem ut loquela, ita etiam pedibus mulctatum fuisse, ut in posterum super terram volutaretur. Hæc sententia pluribus quoque Sanctis Patribus placuit, ut Basilio Hom. IX. in *Hexameron*, Chrysostomo in *Genesim*, Ephrem Diacono apud Moysem Barcepham in libro *de Paradiso* cap. 27. atque etiam nobili interpreti Paulo Burgensi. Plinius Lib. XI. cap. 46. refert, visos aliquando serpentes anserinis pedibus. Sed Aristoteles *de incessu animalium* multis argumentis evincit, in serpentibus necessariam esse ἀποδίαν, carentiam pedum; nimis enim multis pedibus indigerent, propter immaginem corporis longitudinem.

(*b*) Hanc sententiam amplexus est S. Augustinus Lib. XI. *de Genesi ad litteram* cap. 29. ubi inquit: *ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens, vel astuta lingua, quam prudens, vel astutus movet, ad aliquid prudenter, astuteque suadendum... Ita etiam dictus est stilus mendax scribarum &c.*

Cajetanus, aliique pauci post Origenem existimarunt, serpentis nomine intelligi diabolum, qui interna suggestione quasi reptans in animam Evæ, ei venenum propinaverit: diabolo proinde maledixisse Deum, eique in pœnam jussisse, ut supra pectus graderetur, & terram comederet, idest, ut S. Augustinus explicat Lib. II. *de Genesi contra Manicheos* cap. 17. & seqq. Tom. I. figurate ad superbiam, & ad desiderium perdendi peccatores, qui pertinent ad terram. Eamdem sententiam illustrare conatus est Thomas Burnetus in *Archæologia philosophica*, omnia, quæ Moyses de primo hominum peccato narrat, ad parabolas, & figuras referens. Sed hæc paucorum sententia adversariam habet unanimem Sanct. Patrum traditionem, ut ostendunt Estius in Lib. II. *Sent.* Dist. XXI. §. I. Nat. Alexander Tom. I. *Hist. Eccl.* T. V. Dissert. 3. art. 3. atque etiam inter Lutheranos Jo. Franc. Buddeus in *Hist. V. T.* P. I. Sect. I. §. 23. Neque insuper est rei explicandæ ita opportuna, ut prima fronte cuipiam forte videbitur. Confer Du-Guet *Explication de la Genese* ad hunc locum.

& perpetua inconstantia, & pugna, quam quilibet in seipso experitur. (a)

§. II. *Alterum argumentum pro necessitate divinæ revelationis petitum ab ignorantia medii necessarii ad obtinendam peccatorum remissionem.*

110. Tristis experientia nos quotidie docet, homines, sive ingenita fragilitate, sive culpabili ignorantia, sive etiam diabolica malitia, sæpius legis tam naturalis, quam supernaturalis præcepta violare. Porro si mundum divina providentia administrari credimus, quemadmodum se credere profitentur Naturalistæ, dubitare non possumus, Deum hujusmodi criminum ultorem futurum, nisi aliquis sit divinæ justitiæ placandæ modus. Jam vero quinam sit hujusmodi modus, seposita divina revelatione, nemo certo cognoscere potest: necessaria est igitur homini divina revelatio.

111. Pronum est Naturalistis respondere, Deum interno animi dolore, pœnitentiaque placari. Si enim, inquit Tindalius (*dans le Christianisme aussi ancien, que le monde* pag. 359.), bonus pater, aut dominus, imo vel hostis non omnino inhumanus sincere pœnitentibus veniam denegare non solet, quanto magis id a Deo, qui dives est in misericordia, sperandum erit? Id ipsum respondet Jo. Lokius (*in Christianisme raisonnable* c. 14.)

112. Verumtamen si sola rationis humanæ principia sequamur, vereor, ne exemplum hominum possit ad Deum transferri: cum nulla sit proportio inter injurias, quas sibi mutuo homines irrogant, & culpas, quibus divinam majestatem offendimus: tanto enim graviores sunt hujusmodi culpæ, quanto major, & excellentior est Dei offensi dignitas. Deinde si placet rerum humanarum exemplum, cum videamus legibus crimina semper puniri, nulla habita ratione pœnitentiæ reorum, cur non timeamus id ipsum ab inexorabili justitia divina?

113. Sed etiamsi demus, posse nos sola ratione duce veniam a Deo misericordiarum patre sperare, quis tamen audeat id indubie affirmare, nisi certus sit divinæ promissionis? Anne inter pœnitentiam, & culpæ remissionem naturalis, & essentialis est illa connexio, ut omnino Deus non potuerit quamcumque nostram pœnitentiam respuere, & a peccatoribus promeritas pœnas sine ulla indulgentia reposcere?

114. Ulterius quis sola ratione duce determinare valeat, quousque hæc Dei misericordia se extendat? an omnia crimina æqualiter respiciat? etiam enormia, & sæpius iterata? an venia, quæ speratur, sit futura plena, an ex parte solum? an pro certo culparum numero, vel pro omnibus? & quod plus est, an Deus interna solum animi pœnitentia contentus futurus sit, an vero externa etiam quædam pœnitentiæ opera requirat? Quænam autem, & qualia hujusmodi externa pœnitentiæ opera esse debebunt? Sane Ethnici solo rationis lumine pœnitentiam internam minime sufficere ad peccatorum remissionem existimarunt; unde multa, variique generis sacrificia expiatoria præcipiebantur, quæ communi nomine *Februa* ab antiquis dicta sunt (b). Necessaria est igitur divina revelatio, qua sola edoceri possumus de modo expiandi nostra crimina, Deumque placandi.

§. III. *Tertium argumentum pro necessitate supernaturalis revelationis depromptum ex cultu Dei externo, quem sola ratio non potest certo determinare.*

115. Exploratum omnibus est, vel ipsa ratione dictante, Deum utpote non minus corporis, quam spiritus auctorem, & gubernatorem, nedum interioribus cordis affectibus, sed etiam externis corporis signis esse a nobis colendum (vid. supr. cap. II.). Hinc externa quædam religionis signa apud omnes populos (paucissimis fortasse exceptis, qui brutorum potius, quam hominum more vitam degunt) natura ipsa duce conspiciuntur. Jam vero humana ratio ex se sola nimis imbecillis est, ut certo determinare valeat, quænam, & qualia religiosi cultus obsequia Deo placeant: opus est ergo ad divinam revelationem confugere. Profecto si Reges, & Principes constituere solent, & præcipere quibusnam observantiæ signis velint a subditis honorari, quanto magis ad summum Deum spectabit, illum cultum decernere, & revelare, quo a nobis vult honorari? (c).

116. Hinc vel ipsi Legislatores, qui inter Ethnicos externum aliquem religionis cultum invehere voluerunt, vel antiquum in melius reformare, necessarium arbitrati sunt supernam aliquam revela-

(a) Non est hujus loci objectiones solvere, quas Pelagiani movent contra dogma peccati originalis; cum duntaxat nobis propositum sit Naturalistis ostendere necessitatem divinæ revelationis, qua edocemur de causis internæ illius corruptionis, quam quisque in se experitur, de ejusdem corruptionis remediis, ac modo remediis ipsis utendi. Qua de re multa habet præclara Paschalis in suis *cogitationibus de religione* cap. 9. 21. & seq.

(b) Hujus vocis significationem Ovidius late persequitur *Fastorum* L. II. ubi ita concludit:

*Denique quodcumque est, quo pectora nostra piamus,*
*Hic* (scilicet Februa) *apud intonsos nomen habebat avos.*

Vid. Joann. Lomejerus *de veterum Gentilium lustrationibus*.

(c) Confer Nat. Alexandrum Tom. I. *Hist. vet. Testam.* in IV. mundi ætate dissert. 3. art. 2., ubi ostendit, nonnisi ex divina revelatione didicisse veteres Patriarchas sacrificia Deo offerre.

lationem simulare. Id ab Egyptiis factum fuisse, narrat Plato ( *in Timæo* ), nec non Josephus Flavius ( L. I. *contra Apionem* ). Idem refert Dion. Halicarnasseus de Numa Pompilio ( Lib. XI. ). Minos Cretensis frequenter ascendebat in montem Dicten, fingens Jovis præcepta ibi audire. Ac demum Lycurgus Delphum perrexit, ut ab oraculo Apollinis sacras leges disceret, quas Lacædemoniis laturus erat. Hæc & similia Legumlatorum mendacia satis ostendunt, animis hominum semper insitum fuisse leges religiosi cultus non ab hominum ratione, sed a Dei ipsius voluntate proficisci debere.

117. Neque vero rudis duntaxat populi hæc opinio fuit; nam etiam sublimes Philosophi plane cognoverunt, non posse nos sine Deo Θεοπρέπειαν, seu cultum Divinæ Majestati convenientem certo determinare. Plato ( *in Epinomide* ) *neminem*, ait, *pietatem docere posse*, *nisi Deus quasi dux*, *& magister præcesserit*; & rursum ( *in Alcibiade II.* ) Socratem adducit, qui post multa hac in re sapienter dicta concludit, *nihil tutius*, *atque consultius esse*, *quam quiescere*, *& expectare*, *donec aliquis didicerit*, *quo animo & erga Deos*, *& erga proximos esse oporteat*; quod etiam reperit in *Phædone* (*a*).

118. Fidenter respondent Naturalistæ (*b*) Deum omni cultu contentum esse, qui principiis rectæ rationis non opponatur: optimum autem esse legibus vel moribus locorum, ac populorum, quibuscum vivimus, accommodare; neque enim alia de causa exteriorem Dei cultum institutum esse volunt, quam ut membra alicujus societatis in publica professione unius religionis simul uniantur; adeo ut si unus esset homo in aliquo loco, ille foret ab omni exterioris cultus debito immunis.

119. Verum quis unquam sibi persuadeat, Deum sapientissimum rerum omnium gubernatorem, qui cuncta vel minutissima ad gloriam suam ordinat, atque disponit, hominum arbitrio permittere voluisse ut quem quisque vellet, ipsi religiosum cultum adhiberet? Anne philosophi nostri Quackerorum deliramenta probabunt, qui a Deo interius movente, seu potius a cujuslibet enthusiasmo modum religiosi cultus determinandum esse censent? ( Vid. Catechismus Rob. Barclai inter Quackeros celeberrimi. )

120. Ulterius, si ita Deus est erga quemcumque ritum indifferens, credendum erit, illi etiam accepta esse potuisse ea sacrificiorum monstra, quibus antiqui Gentiles, etiam cultiores, supremo numini litare consueverunt; nec improbari amplius poterunt Bachantium deliria, mysteria Orphica ( quæ scilicet Libero Orpheus constituerat ), item Eleusinia, aliaque a Clemente Alexandrino ( in *Prophetico*, seu *Cohortatione ad gentes* ), & ab Arnobio ( in libris *contra Gentes* ) cum execratione commemorata. Improbari item non poterunt humanæ hostiæ, quales apud Scythas, Persas, Germanos, Gallos, Britannos, imo & Græcos & Romanos olim immolabantur (*c*): nec demum cultus omnium absurdissimi Fauno, & Capro dicati, aut Florales ludi, in quibus, ut Sanct. Augustinus loquitur ( epist. 91. alias 202. ), *non aves*, *non quadrupedes*, *non denique sanguis humanus*, *sed multo scelestius pudor humanus Diis* offerebatur (*d*).

121. Neque vero satis est respondere, abominabiles hosce ritus, & superstitiosa sacrificia cum ratione ipsa pugnare. Id equidem libenter concedo, & prævio revelationis lumine facile demonstratur. Sed si rationem solam, qualis in nobis est obtenebrata, & infirma, consulamus, non deerunt, qui hanc repugnantiam minime videant. Ut enim scite observavit Bossuetus ( *Discours sur l' historie universelle* P. II. cap. 16. ) mores hi, qui nobis revelationis lumine perfusis merito absurdissimi videntur, non apud barbaros tantum, sed apud Græcos, & omnium cultissimos Romanos obtinuerunt: non ergo iis cum recta ratione pugnantes visi sunt, quemadmodum nobis videntur.

122. Frustra autem nos hic interpellat Rousseavius, ( *Emile* Tom. III. p. 125. ) contendens, phantasticam revelationem fuisse absurdissimorum ho-

(*a*) Hæc plane desumpta videntur ex divino *Sapientiæ* lib. ubi cap. 9. 17. ita dicitur Deo *sensum tuum quis sciret*, *nisi tu dederis sapientiam*, *& miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis*, *& sic correctæ sint semitæ eorum*, *qui sunt in terris*, *& quæ tibi placent didicerint homines*.

(*b*) Ita auctor impii libri *Les Moeurs* P. I. cap. 2. art. 1. qui postea c. 3. art. 2. contra Sacerdotes invehitur, quod munus sibi usurpaverint sacrificia Deo offerendi, & quod variis exterioris cultus generibus religionem deputaverint. Hujus libri auctor fuisse dicitur D. Toussaint, sed postea errores in eo contentos ejurasse alio edito opusculo ann. 1764. Rousseavius etiam in suo *Emile* Tom. III. p. 124. non alium Dei cultum externum, quam qui in loco, ubi vivimus, obtinet, observandum esse contendit.

(*c*) De Scythis id testantur Strabo L. XII. & Lucianus *de sacrificiis*. De Persis Herodotus L. VII. De Germanis Tacitus *De moribus Germanorum*. De Gallis Cicero Orat. pro Fontejo, & Cæsar L. VI. *De Bello Gallico*. De Bretonibus Plinius L. XXX. *Hist. Naturalis*. De Græcis Eusebius Lib. VI. *Præpar. Evangel.* c. 16., & Virgilius Lib. 2. *Æneidis* v. 116. Romanos non fuisse hujus immanitatis expertes tradunt Lactantius Lib. I. *Divin. Institut.* c. 21. Minutius Felix in *Octavio* num. 25. Plura in hanc rem collegerunt Jacob Geusius in suo opere, *Victimæ humanæ*, & Petrus Petit Lib. XI. De ἀνθρωποθυσίαις caput 10. & 11.

(*d*) Obscœnos hos Gentilium ludos merito detestantur inter alios Sanct. Augustinus Lib. IV. *De Civit. Dei* cap. 8. & Lactantius Lib. I. *Divin. institut.* cap. 20. ex recentioribus autem videri possunt Alexander ab Alexandro Lib. XI. *Genial. dier.* cap. 8. & Sam. Bochart in *Hierozoico* P. I. Lib. II. cap. 53. Notum est quod Valerius Maximus in Lib. II. narrat, fuisse Catonem ab hujusmodi ludis abire coactum, ut eo absente posset populus impudicitiis effrenatius indulgere.

liorum cultuum quasi matrem; neque aliter potuisse inveli, quam per eos, qui a Diis se inspiratos mentiebantur; unde infert, solam esse audiendam rationem omni revelatione amota.

123. Frustra inquam, potuisset enim & debuisset vir minime obtusus videre, non qualemcumque imaginariam, & fictam, sed veram, ac divinam revelationem esse audiendam; quæ nihil nos docere potest, quod sit rectæ rationi contrarium. Profecto nemo colliget, incerto, atque imperito viatori nullum esse utilem, ac necessarium ducem, quia non semel contigit, ut ab ipsis ducibus miseri viatores deciperentur. Deus autem bonitate, & providentia sua nobis characteres suppeditavit, quibus veras revelationes a spuriis, imaginariis, & confictis secernere possemus, ut postea videbimus. Sed modo ad propositam redeamus difficultatem.

124. Nullo modo Naturalistis concedi posset, quod post Ciceronem, Epictetum, nonnullosque alios veteres contendunt, debere nos in externo religionis cultu legibus, & consuetudinibus populorum accommodare. Id enim si verum foret, deberet quilibet in Judæorum Synagogis, in Turcarum *Meschitis*, aut in idolorum delubris, si occasio tulerit, superstitiosos ritus simul cum aliis exercere. Id quidem a non paucis factum fuisse, & adhuc fieri non ignoramus (a). Sed bona fide dicant adversarii, an legibus religionis naturalis, quam se profiteri dicunt, permissa sit simulatio in re tanti momenti? Profecto an hæc simulatio sit honestati, veritati, ac rectæ rationi consentanea, adversariis ipsis judicandum relinquimus.

125. Nihilo magis concedi potest, non alia de causa fuisse externos religionis ritus invectos, quam ut membra alicujus societatis simul uniantur. Alia est sublimior causa nos adigens ad Deum Dominum, & patrem nostrum tam externe, quam interne colendum (Confer, quæ supra num. 12. de cultu dicta sunt); ut proinde si quis esset extra omnem societatem constitutus, imo solus in mundo, quemadmodum initio fuit Adam solus, adhuc tamen deberet Deo tam internum, quam externum cultum exhibere.

126. Dices. In ipsa Ecclesia Romana, ubi revelatio diligentius custoditur, mira est in cultibus religionis varietas; omnes tamen creduntur Deo grati. Unde S. Gregorius Papa (Lib. XII. Regist. epist. 31. ad interrogat. 3. apud S. Thomam 2. 2. quæst. 93. art. 1. in arg. 3.) S. Augustinus Anglorum Episcopo respondit: *Mihi placet, ut sive in Romanis, sive in Galliarum partibus, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas.* Si autem cultus Dei dependeret a divina revelatione, nonnisi unus ubique esse posset. Vid. S. August. epist. 54. ad Jan. cap. 2.

127. Resp. Cum dicitur, nonnisi divina revelatione nobis certo constare posse, quinam sit, & qualis religiosus cultus, Deo placens, id debere intelligi de ipsa divini cultus substantia, atque essentia, non autem de modo, tempore, & quibusdam cæremoniis, quæ ab Ecclesia institnta postea sunt, & gentium aliqua diversitas est, quamquam non multa. Hinc Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. XXII. postquam cap. 1. agnovisset, Sanctissimum Missæ Sacrificium fuisse a Deo, & Domino nostro Jesu Christo, institutum, cap. 4. & seq. fatetur sacrum Canonem Missæ, ac solemnes plures cæremonias fuisse postea ab Ecclesia adjectas, *quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Idem dicatur de Sacramentis, quorum institutio divina est; sed multa iis adjecta sunt Ecclesiæ auctoritate.

128. Neque vero nobis illorum objiciatur opinio, qui putant, multos sacros ritus in Ecclesiam a Gentilium superstitione sensim irrepsisse. Nam primo etiamsi id verum esset, parum nostræ causæ noceret; quia ut olim S. Augustinus simili difficultati respondebat (Ep. 102. olim 49. *de sex quæstionibus &c.* q. 3. n. 18. T. II.) non culpabatur in sacrilegis ritibus Paganorum, quod hæc facerent, sed quod hæc idolis & dæmoniis exhiberent: *cum enim hæc exhibentur Deo, secundum ejus inspirationem, atque doctrinam, vera religio est; cum autem dæmonibus, secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio.*

129. Deinde nimia confidentia asseritur, quosdam ritus ab idololatrica superstitione in Ecclesiam esse derivatos ex eo, quod iidem essent apud Gentiles in usu, antequam Christiana religio nasceretur. Nam potius hi ritus plerumque ab Hebræorum gente omnium antiquissima desumti sunt ab Ecclesia Christiana, non autem a Gentilibus, qui & ipsi eos erant ab Hebræis mutuati, vel a Noachica traditione receperant, & ad idolorum cultum impie converterant (b).

§.

(a) Theod. Lud. Lau in impiissimo opere, cui titulus *Meditationes philosophicæ de Deo, mundo, & homine* inter alia habet cap. 1. §. 21. *colo Deum talem, qualem Princeps, vel respublica me jubet. Si Turca, alcoranum: si Judæus, vetus testamentum: si Christianus, novum testamentum veneror pro lege, & religionis meæ norma. Papa si imperat, Deum credo transubstantiatum. Si Lutherus, Deus mihi particulis in, cum, & sub circumvallatur. Si Calvinus, signum pro Deo sumo.* Hoc idem, ni fallor, Naturalistæ nobis persuadere vellent.

(b) Hac in re legi meretur Diatriba *de falsa veterum Christianorum rituum a ritibus Ethnicorum origine*, quæ Romæ prodiit sub auspiciis Eminent. Card. Franc. Xaverii de Zelada an. 1777. in 8. in ea enim contra nonnullos Rom. Eccles. scriptores, & contra

§. IV. *Quartum argumentum pro necessitate supernaturalis revelationis depromtum ex ignorantia cultus interni Deo debiti.*

130. Internum Deo cultum deberi, nemo Naturalistarum negat. Jam vero ad illum certo determinandum non sufficere humanam rationem, facile quisque animadvertet, qui consideret, quam turpiter fuerit in hac parte a cæca Gentilitate peccatum (*a*). Primo enim ad internum Dei cultum pertinet, ut Deum tanquam primum nostrum principium agnoscamus, & veneremur, adeoque omnia ad ipsum, tamquam ad ultimum finem, referamus. Hinc debemus amare nosmetipsos, sed propter Deum: debemus diligere etiam alios, sed in Deo, quo fit, ut inimicos ipsos in Deo diligere teneamur. Hoc autem generale præceptum, quod totius cultus Dei interni, & externi fundamentum est, prorsus ignorarunt Philosophi ethnici. Hinc illud magnum discrimen sæpius a S. Augustino notatum inter virtutes Christianorum, & Paganorum; quamquam enim officiis eædem viderentur, finibus tamen admodum discrepabant. Vid. S. Doctor in L. IV. *contra Julianum* c. 3. T. X. & alibi sæpe.

131. Ulterius Deum maxime honoramus per orationem, qua eum agnoscimus omnium bonorum largitorem. At vero quanta erat apud Ethnicos ignorantia in precibus ad Deum fundendis! Fere enim illi nihil aliud petebant, quam bona temporalia, de spiritualibus nihil solliciti. Christus autem nos docuit, *ut primum quæramus regnum Dei, & justitiam ejus* (Matth. VI. 33.). Non deerant insuper, qui suis vitiis propitia Numina advocarent, quæ ratio ut ut absurdissima, valde tamen communis erat. Et quinam demum Philosophorum lumine naturæ orationem invenire potuit similem illi, quam Christus docuit Matth. VI. 9. *Pater noster &c.?* Unde apparet, quam merito dixerit Tertullianus (in lib. *De oratione* cap. 9.), *solum Deum docere potuisse, ut se vellet orari:* quamobrem etiam discipulus ille (Lucæ XI. 1.) Christum rogabat: *Domine, doce nos orare* (*b*).

132. Quæ autem de oratione dicta sunt, dici pariter debent de gratiarum actione, quæ cultus Dei religiosi non minima pars est. Quemadmodum enim Ethnici in suæ rationis tenebris rectum orandi modum non videbant, ita consequens erat, ut de acceptis beneficiis debitas Deo gratias reddere non valerent. Hinc Cotta (apud Ciceronem L. III. *de nat. Deor.* cap. 36.) *atque hoc quidem*, ajebat, *omnes mortales sic habent: externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ a diis se habere; virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit.*

133. Asserere etiam non immerito possumus, nos unius veri Dei cultum nonnisi ex supernaturali revelatione didicisse. Quamquam enim etiam humana ratio facile evincat, verum, & summum Deum nonnisi unicum esse posse, idque ipsum bene multi antiqui philosophi noverint, & docuerint; nescio tamen qua ratione polytheismus, & superstitio totum fere occupaverant orbem, atque ii ipsi, qui Deum unum esse cognoverunt, sive ex animo, sive simulate propter populum inanibus Diis palam sacrificia offerre non verebantur: & adhuc homines in tenebris idololatriæ jacerent, nisi Christus Dominus, ac Redemptor noster novis miraculis antiquum unius Dei cultum confirmasset, ac ubique terrarum per Apostolos suos propagasset. Divina igitur revelatio erat necessaria, ut homines discerent, nonnisi uni Deo tam ex-

plures Heterodoxos eruditus auctor evincere conatur, ne unum quidem religiosum ritum in Judæorum synagogam, aut in religionem catholicam ab ethnica superstitione fuisse derivatum. Nat. Alex. in *Hist. veter. Test. III.* mundi ætate diss. 6. Calmet *Diss. proœmiali in Gen.*; atque alii ex nostris eamdem sententiam strenue tutati sunt contra Jo. Marshamum in *Can. chronico Ægyptiaco, Hebraico Græco &c.* & Jo. Spencerum *De legalibus Hebræorum ritualibus*. Majores hac in parte contra Ecclesiam Catholicam conatus exeruit Mussardus Calvinista in suo libro inscripto *Conformité des cérémonies modernes avec les anciennes &c.* cui succenturiator non ita pridem accessit Conyers Midleton in longa epistola, & præfatione memorato Mussardi libro præmissis Amstelod. 1744. Sed Catholicæ Ecclesiæ ritus egregie vindicarunt inter alios Jo. Marangoni *delle cose gentilesche, e profane trasportate ad uso, e ad ornamento delle Chiese*. Romæ 1744. in 4. Div. Bruoys *Defense du culte extérieur de l'Eglise Catholique* edit. 2. Parisiis 1686. in 12. & P. Antonin. Valsecchi *Dei fondamenti della Religione*. Lib. III. P. II. c. 6.

(*a*) Cotta apud Ciceronem Lib. III. *de nat. Deorum* cap. 36. fidenter ajebat, *judicium hoc omnium mortalium esse, fortunam a Deo petendam, a seipso sumendam esse sapientiam*. Sed inter bona corporis etiam ea a Diis petebant, quæ sine magnis criminibus obtineri nequeunt. Specimen harum rerum nobis exhibet Horatius L. I. epist. XVI. 60. ita hominem precantem describens .... *pulcra Laverna,*

*Da mihi fallere, da justum, sanctumque videri,*
*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Hinc, ut ex Epiphanio notavit Lilius Greg. Gyraldus in sua Hist. *de diis Gentium* Syntagm. I. p. m. 11. quilibet pro suo genio suum sibi effingebat numen, sanguinarius Martem; adulter & adultera Pandemum, Venerem, idest communem & vulgarem; tyrannus Victoriam Deam; sordibus, & hujusmodi rebus inhians Saturnum; effeminati & molles Cybelem, & Rheam; gulosus, aut gulosa Dianam venatricem; bibax, & ebriosus Bacchum &c. Naturalista Rousseavius rem brevius finiebat contendens, Deum minime esse orandum Tom. III. *de l'Emile* p. 116. edit. Amstel. 1762.

(*b*) Digna est, quæ legatur hujus divinæ orationis expositio S. Thomæ opusc. VII. editionis Bergomensis 1741. in fol.

externum, quam internum cultum esse exhibendum.

134. Frustra vero Freretus (in suo *Examine critico Apologistarum religionis* cap. 9.) opera male sedula conatur ostendere, omnes veritates, quas nos Evangelicæ revelationi tribuimus, fuisse etiam veteribus philosophis notas, præcipue autem, quæ officia erga Deum, & homines spectant.

135. Nam primo, ut supra (num. 82.) dictum est, antiquæ revelationis Patriarchis factæ quædam vestigia etiam in Gentibus remanere potuerunt. Secundo istæ veritates plerumque non nisi paucissimis notæ fuerunt, maximæ autem hominum parti prorsus absconditæ, beneficio demum divinæ revelationis fuerunt omnibus, etiam rudibus patefactæ. Tertio inter ipsos philosophos omnia fere erant in controversiam adducta, ut nulla haberetur de dogmatibus, etiam præcipuis, certitudo, sed magna relinqueretur inquirentibus veritatem confusio; sola autem divina revelatione, omnia quæ Deo, nobis ipsis, ac aliis hominibus debentur officia, in aperto posita sunt, atque ea certitudine communita, ut nullus supersit prudentibus dubitandi locus.

## CAPUT VI.

### *Solvuntur quædam difficultates contra necessitatem revelationis veritatum supernaturalium.*

136. Objic. primo. Naturæ hominum magis convenire videtur, ut ad suum finem perducatur per religionem naturalem, quæ cum ejus ratione debitam habet proportionem.

137. Resp. cum S. Th. (a); *quia ad altius bonum, quam experiri in præsenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in præsenti possit pertingere; ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præsentis vitæ excedit.* Vid. etiam 2. 2. q. art. 3.

138. Dices (b). Religio naturalis non alia de causa insufficiens dici potest, nisi quia non satis perspicue nobis suas veritates tradit, unde majus lumen revelationis requiri dicitur, ad eas cum omni evidentia cognoscendas; at vero illæ veritates ordinis supernaturalis, quæ revelatio nos docet, sunt multo obscuriores, utpote quas nulla valemus ratione comprehendere: non ergo &c.

139. Resp. Falli Rousseavium, dum revelationem putat ea dumtaxat de causa esse necessariam, ut quæ naturali lumine obscurius cognoscuntur, ejus beneficio clarius, certiusque patefiant. Est enim revelatio etiam necessaria, ut alias veritates addiscamus ordinis superioris, quibus voluit Deus optimus, & sapientissimus, ut tamquam mediis ad finem supernaturalem nobis præstitutum perveniamus. Et has revelationis ope certissime cognoscimus, quamquam internum earum nexum, & modum cognoscere in hac vita nobis datum non sit; unde etiam mysteria nuncupantur.

140. Obj. 2. Si aliqua hominibus esset necessaria revelatio, hæc tota in initio fieri debuisset, non successive, quemadmodum facta dicitur usque ad Christum. Addit Genevensis Naturalista (loc. cit. p. 130.), debuisse Deum non paucis hominibus, sed omnibus omnino suam voluntatem revelatione palam facere; nam modo adstringimur non jam ipsi Deo credere, qui nec falli potest, nec fallere, sed hominibus, qui dicunt, se vocem Dei audivisse, & falli possunt, & fallere. Providentissime igitur Deus omnibus, & singulis hominibus rationem dedit, qua si recte utantur, sine seductionis periculo omnia, quæ ad bene, beateque vivendum spectant, cognoscere possunt.

141. Resp. Si hæc argumenta valerent, possent etiam evertere necessitatem religionis naturalis; neque enim principia, & præcepta semper omnibus, & singulis sine ulla controversia innotuerunt. Accedit, quod in ipsis hominibus non semper idem est, aut æquale rationis lumen; exoritur enim instar auroræ in pueris, crescit in adultis, viget in viris, & nonnunquam senescit in senibus. Præterea quanta in diversis hominibus acuminis varietas! & quanta in judiciis, & sententiis discrepantia! ut proinde colligere possimus, non satis nobis fuisse provisum, si soli rationis lumini fuissemus relicti.

142. Prima omnium religionis dogmatum revelatio integra, & absoluta Adamo facta est; ab eo deinde traditione in posteros propagata, post autem vitio, & negligentia hominum non parum obscurata, & corrupta. Placuit vero divinæ bonitati eam identidem per suos Prophetas suscitare, quamquam non semper omnino perspicue, & plene, donec veniret in mundum Dominus, ac Salvator noster Jesus Christus, qui omnia religionis nostræ arcana plenissime & apertissime reseravit. Sanct. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 7. observat, numerum articulorum fidei non crevisse quantum ad substantiam, sed solum quantum ad majorem eorum explicationem.

143. Necesse autem non erat, ut Deus singulis hominibus interno instinctu, vel alia ratione religionis veritates revelaret, sed satis erat, ut per paucos homines αὐτόπτας revelatio ad omnes alios propagaretur. Ipsis autem largitus est quædam suæ divinæ auctoritatis sigilla, effecitque ut ipsius testimonia credibilia omnibus fierent. Qua de re inferius agetur.

144.

(a) Lib. I. contra Gent. cap. 5., ubi ipsissimam difficultatem sibi objicit inquiens: *videtur quibusdam fortasse non debere homini ad credendum proponi illa, quæ ratione investigare non sufficit, cum divina sapientia unicuique secundum modum suæ naturæ provideat.*

(b) Cum Rousseavio Tom. III. *De l'Emile* p. 138.

144. Instat Rousseavius: Semel ac necessitas revelationis supernaturalis statuatur, poterit quilibet in sua secta, prætextu divinæ revelationis, qua eam a Deo probatam, imo & constitutam credit, tranquille vivere; aut si veram revelationem a supposita discernere velit, longum, ac prope infinitum examen instituere debebit; nimirum omnes, vel præcipuos saltem cujuscumque religionis codices evolvere, imo vel ipsas regiones, in quibus diversæ religiones vigent, penetrare, ut quænam jure, ac merito, quænam autem immerito divina revelatione glorientur, liquido compertum habeat. Neque enim debemus paradoxum illud Stoicorum præceptum amplecti, qui, ut Plutarchus narrat, nonnisi unam litigantium partem audiendam esse volebant: si enim hæc, inquiebant, quod dicit, evidenter demonstrat, jam confectum est negotium: si autem non probat, jam causa cecidit. Concludit porro Naturalista, cum istud examen institui nullatenus possit, satius esse naturali religioni acquiescere, quæ apud omnes una, eademque est.

145. Resp. primo, hoc argumentum facile posse contra Rousseavium retorqueri. Vult enim iste solam religionem naturalem sufficere; verum major, & melior hominum pars, non solum in nostra Europa, sed & in aliis semotioribus mundi partibus ei aperte contradicit. Vel itaque more Stoicorum ipse rem dijudicat, adversariis inauditis; vel si eos quoque audiendos esse constituit, debet innumera omnium religionum volumina pervolvere, & longissimis peregrinationibus totum orbem perlustrare, ut adversariis omnibus auditis possit tuto ex suo tripode pronunciare, solam religionem naturalem ad bene, beateque vivendum sufficere. Neque hoc satis erit: hac enim finita controversia, novæ exorientur non minoris momenti, in quonam sita sit religio ista naturalis? quænam ejus præcepta, & officia cum erga homines, tum maxime erga Deum? quinam hominum finis, & quænam eorum vera felicitas? Et cum de his omnibus tam veteres, quam novi philosophi tanta sint in dissensione constituti, ut ferme tot inveniantur sententiæ, quot philosophorum sectæ, nescio an satis otii, & temporis Naturalistis suppetat, ut possint omnia uniuscujusque partis momenta perpendere, antequam sententiam pronuncient.

146. Sed facile est hanc objectionem refellere. Quemadmodum enim ut veros nummos cognoscamus, necesse non est omnes adulterinos examinare, ita opus non habemus omnes falsas sectas ad examen vocare, ut veram inveniamus religionem; tot enim, tantaque sunt credibilitatis motiva, quibus nostra revelata religio fulcitur, ut quilibet etiam idiota, & rudis, modo serio, ut in re tanti momenti par est, attendere velit, divinam vocem agnoscere possit. Miracula enim clara, insignia, certissima in nostræ revelationis confirmationem facta homines etiam illiteratos commovere, & convincere debent, & solent.

147. Quod si quis velit, examine instituto alias profanas sectas cum nostra sancta religione comparare, non omnes illi adeundæ erunt bibliothecæ, non omnia volumina versanda, multoque minus per omnes mundi regiones divagandum; sed lectis libris symbolicis, expensisque singularum fundamentis, nullus dubito, quin magnum, & immane prorsus discrimen inter divinam revelationem, hominumque fraudes illico animadvertat. Neque vero eum laboris pigere debebit: nullum enim aliud in tota vita negotium est, in quo major industria, ac diligentia exerceri debeat (a).

148. Instat iterum Genevensis Philosophus. Hæc obligatio cognoscendi supernaturalem revelationem cum divina justitia, & bonitate pugnat; esset enim obstaculum ad obtinendam salutem plerisque insuperabile; quibus enim mediis possent homines inculti, ac sylvestres ad hujus supernaturalis religionis cognitionem pervenire?

149. Resp. Deum, qui hanc supernaturalem religionem nobis largiri dignatus est, etiam media suppeditare, quibus eam cognoscere, & observare valeamus. Quod si aliquibus hujusmodi media desunt, id eorum culpæ est adscribendum, qui divinæ luci, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, obstacula opponunt: & certissime tenendum est, hominibus etiam rudibus, & sylvestribus, si divina opitulante gratia facerent, quod in se est, sequentes ductum rationis in fuga mali, & appetitu boni, Deum vel solitis, vel etiam insolitis, & prodigiosis modis provisurum, ut de necessariis ad salutem instruerentur. Consulatur S. Thomas Lect. 3. in cap. X. epist. S. Pauli ad Rom. (b).

## CAPUT VII.

*Demonstratur, in religione supernaturali a Deo revelata contineri posse mysteria, quæ rationem nostram longe superant, non tamen ipsi opponuntur.*

150. Nihil magis nostris Naturalistis invisum, quam *mysterii* nomen, quod a religione omnino eliminatum vellent (c). Bælius, dum mysteria es-

(a) Quanta sit religionem bene addiscendi necessitas, & obligatio, & quam vana sint eorum effugia, qui hoc studium negligunt, luculenter ostenditur in brevi quodam sermone præmisso Tom. I. *l'Exposition de la doctrine Chrétienne*.

(b) Solita sua licentia, & scurrilitate Rousseavius p. 162. hanc doctrinam irridet. Sed Angelicus eam non solum ex communi hominum de bonitate Dei opinione derivavit, verum notissimis etiam exemplis confirmavit, nempe Petri, quem Deus misit ad Cornelium, & Pauli missi ad Macedones.

(c) In hoc omnes conatus suos, post Jo. Tolandum

esse contra rationem contendit, reipsa ea de medio tollere nititur; impossibile est enim, religione aliquid doceri, quod rectæ rationi repugnet. Sociniani demum, dum Sacrarum litterarum humanam rationem interpretem esse volunt, omnia a religione mysteria explodunt, quia ratio ea invenire non potest.

151. Contra hos religionis supernaturalis hostes, vel corruptores, ostendendum est primo, mysteria posse nobis a religione ad credendum proponi; deinde decuisse mysteria in religione contineri, quæ nostram rationem superant; ac demum ea rationi non esse contraria.

152. Prob. prima pars. Revelatio supernaturalis ea nobis credenda proponit, quæ Dei essentiam, attributa, voluntatem, decreta, atque operationes spectant; cum vero hæc omnia infinita sint, & infinite debile, atque exile nostræ rationis ingenium excedant, quid facilius contingere potest, quam ut quædam nobis revelentur, quæ nobis quasi ænigmata videantur; & quæ tamen, si prout in se sunt, nobis intueri liceret, nihil exhiberent, quod cum principiis per se notis non apprime congrueret? Hujusmodi autem sunt, quæ sanctæ nostræ religionis *mysteria* vocantur a nobis certissime credenda, atque humiliter adoranda, non autem curiosius investiganda.

153. Id confirmat S. Thomas ex difficultate, quam in ipsis naturæ operibus cognoscendis quotidie experimur; quanquam ista & sensibus subjecta sint, & nostram intelligendi vim minime superent. *Rerum enim sensibilium*, inquit Angelicus Lib. I. *Contra Gentil.* cap. 3., *plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus: multo igitur amplius illius excellentissimæ substantiæ transcendentis omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit.* Unde & testimonium affert Aristotelis dicentis (in Libro II. *Metaph.*): *intellectus noster sic se habet ad prima entium, quæ sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem* (a).

154. Prob. altera pars ex eodem Angelico, qui cap. 5. ostendit, decuisse omnino mysteria in religione contineri, quia iis ducimur ad veriorem, sublimioremque Dei cognitionem: *tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest.*

155. *Alia etiam utilitas*, pergit S. Doctor, *inde provenit, scilicet præsumptionis repressio, quæ est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio præsumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, æstimantes scilicet, totum esse verum, quod eis videtur, & falsum, quod eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quædam divinitus, quæ omnino intellectum ejus excederent.* Patet igitur, conveniens fuisse, ut nobis mysteria a Deo revelarentur, quæ nostram intelligendi facultatem superant.

156. Prob. demum tertia pars, nempe mysteria rectæ, sanæque rationi minime adversari; & prob. cum eodem S. Thoma, qui (Lib. I. *Cont. Gent.* c. 7.) hanc invictam affert rationem: *Ea, quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare, nec id, quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere, esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est, illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse.*

157. Confirmat idipsum S. Doctor, quia principiorum naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium: non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contra-

in impio libro, cui titulus: *Christianismus mysterii expers* Lond. 1702., aliosque Incredulos, impendit V. Toussaint auctor epistolarum *sur la religion essentielle de l'homme*, quas, statim ac prodiere, refutarunt inter alios D. De Roche duobus volum. in 8. inscriptis: *Defense du Christianisme* Genevæ 1740., D. Boullier *Lettres sur les vrais principes de la religion &c.* Vol. 2. Amstel. 1741., Zimmermannus *de causis magis, magisque invalescentis incredulitatis* in 4. Tiguri 1739., & Breitingarus in *Examine epistol. de religione essentiali*. Naturalistis postea subsidiarius venit non ita pridem J. J. Rousseavius in variis suis venenatis operibus. Hunc autem plurimi confutarunt, & præcipue D. Bergier multis contra Incredulos editis libris; & hac ætate clarissimus, & doctissimus P. Antonius Valsecchi in celebri opere *De fundamentis religionis*, jam sæpius recuso.

(a) Hinc apparet, quantum a vero aberraverit Pradesius, dum inter alias propositiones a Sacra Facultate Parisiensi anno 1751. merito proscriptas ajebat num. 3. *Ipsa vero religio revelata nec est, nec esse potest alia a lege naturali magis evoluta.* Conatus est ille quidem suam propositionem ad sanum sensum reducere in infelici *apologia*, quam Amstelod. edidit 1752. P. II. p. 47. dicens, se locutum fuisse solum de lege naturali, quam certum est fuisse revelationis ope ma-

*traria* (a). Alia affert S. Doctor ad idem probandum momenta, apud eum legenda.

158. Ulterius, ut aliquid rationi repugnare vere dicatur, necesse est duas concurrere claras, distinctasque ideas, quæ secum ipsis adversa fronte pugnent. Hoc autem impossibile est, ubi de mysteriis agitur, quorum claram, distinctamque notionem nemo habere potest. Ita ex gr. quis audeat dicere Trinitatem personarum in una divina natura rationi adversari, cum neque naturæ divinæ, neque personarum divinarum claram, distinctamque notionem habeat? Annon ineptire diceretur ille cæcus, qui impossibile esse contenderet, in parva tabella, & omnino plana, ac lævigata, flumina, maria, montes, domos, plantas, homines, animalia variorum generum ita pingi, ut inter se longissime distare videantur, alia superius, inferius alia; unum ante, aliud retro; hic montes eminentes, illic valles profundæ appareant? Quid, si cæcus tactus experimentum afferat, & dicat, se planum lævigatissimum manu sentire, ut nec prominentiæ, & cavitates, nec tanta objectorum varietas, & distantia in eo esse possit? Nonne in promptu esset, ipsi respondere, aliam esse tactus, aliam visus rationem? Ita potiori jure de mysteriis loquendum est, quorum essentia non minus nobis impervia est, quam pictura cæco.

159. Obj. 1. contra I. P. Religio *essentialis* omnibus communis esse debet; communis autem esse non potest, nisi sit ita evidens, ut a quolibet etiam rudi plane intelligi possit: neque enim homines ex imperio credunt, sed ex intima persuasione, cognita scilicet perspicua veritate. Cum igitur huic evidentiæ opponantur mysteria, sequitur ea esse a religione explodenda.

160. Respond. Religionem debere esse evidentem, non evidentia *directa*, qua interior mysteriorum essentia, seu ipsorum cum principiis connexio clare perspiciatur, quomodo evidentes dicuntur veritates geometricæ; sed evidentia *indirecta*, qua scilicet certis, evidentibusque argumentis constet, Deum, qui nec falli potest, nec fallere, mysteria revelasse; hac enim posita revelatione certi omnino sumus, ea esse vera, quanquam interiorem eorum connexionem perspicue non videamus.

161. Sane in ordine etiam naturali multa creduntur ob solam dicentis auctoritatem; ut cum alicui Matheseis ignaro veritates geometricæ proponuntur, eas ille credit, quamquam earumdem cum primis principiis connexionem nullo modo percipiat; nec tamen temere credit, cum videat, omnes Geometras illas propositiones pro demonstratis, & certissimis habere. Quanto magis Deo credere debemus, quando ea revelat, quæ propter infinitam distantiam a tenui nostræ rationis radio attingi nequeunt? Id multis exemplis illustrat S. Augustinus in Libro *De fide rerum*, *quæ non videntur* Tom. V. tum etiam Lib. XXI. *De Civit. Dei* cap. 5. Tomo VII.

162. Inst. Si mysteriorum essentia non intelligitur, nihil erunt aliud, quam simplices soni sine sensu, & verba, quorum significatio, nedum a rudi popello, sed etiam a doctioribus ignoratur.

163. Resp. Mysteria non esse sonos sine sensu, quia etsi a nobis non cognoscantur omnino perspicue, quantum ad ipsam eorum essentiam, seu interiorem eorumdem connexionem, ad quod ratio nostra suis viribus assurgere nullo modo potest, satis tamen cognoscuntur ex divina revelatione, qua certi de eorum veritate reddimur. *Ex parte cognoscimus*, *& ex parte prophetamus*, inquiebat Sanct. Paulus Epistol. 1. *ad Corinth.* XIII. 9., seu nunc videmus *per speculum in ænigmate*, speramus autem aliquando nos visuros *facie ad faciem*. Nempe tunc omnino perspicue videbimus, non solum essentiam mysteriorum, sed etiam modum.

164. Res clarior fiet exemplo. Mysterium est, Deum esse simul & unum in natura, & trinum in personis. Neminem fidelium latet, quid nomine naturæ, & quid nomine personæ generaliter, & absolute veniat; & ex hac parte omnes fideles etiam rudes mysterium Trinitatis cognoscunt. Sed ex alia parte idem mysterium obscurum est: primo quia nemo potest sibi claram, distinctamque divinæ naturæ, quæ infinita est, aut personarum notionem efformare: deinde quia Deo nobis revelare non placuit, quomodo in unica natura divina tres infinitæ subsistentiæ inveniantur, quibus

gis evolutam, & explicatam. Sed hujusmodi expositio visa est eruditis a sensu damnatæ thesis omnino aliena. Vid. *Court examen de la Thèse de M. de Prades* p. 17. & opus D. Gourlin, cui titulus *Observations importantes au sujet de la Thèse de M. de Prades* p. 50. & seq.

(a) *Duo lumina* (inquit non minus doctus, quam pius Lud. Granatensis Ord. Prædicat. *Introduct. in Symbolum* P. IV., cap. 1.) *omnibus Christianis Deus communicat, quibus eum cognoscant, rationis, & fidei, alterum naturale est, divinum alterum, ambo tamen filii Dei, quoniam ambo ab eodem principio* (*nempe ipso Deo*) *procedunt; alterum quidem per naturam, alterum per gratiam.*

Hac ipsa ratione usi sunt Patres Concilii V. Lateranen. sub Leone V. ad condemnandum errorem Petri Pomponatii dicentis, animas nostras juxta fidem esse immortales, mortales vero juxta Philosophiam. *Cum verum vero*, inquiunt Sess. VIII., *minime contradicat, omnem assertionem veritatis illuminatæ fidei contrariam omnino falsam definimus.* Lutherus etiam inter alia paradoxa docuit, *posse aliquid in Theologia esse verum, quod sit falsum in Philosophia*, quem propterea merito castigavit Gretserus in *Inaugurat. Doctor.* Tomo XII. P. I. Eumdem errorem propugnavit Dan. Hoffmannus, qui a Micrælio in *Syntagm. Histor. Eccles.* Lib. III. Sect. 2. p. 871. edit. 1679. dicitur auctor decimitertii schismatis in Luterana factione.

bus tres distinctæ personæ constituuntur (*a*).

165. Et adeo falsum est, nos solis vocibus occupatos nihil aliud de mysteriis, quam inanes sonos fundere, ut quotiescumque eruperunt hæretici, mysteria corrumpere conantes, Ecclesia illico eorum errores detexerit, atque proscripserit. Sic damnatus est Sabellius, qui personarum distinctionem, & trinitatem tollebat: & pariter damnatus est Arius, qui ut tres personas, ita tres naturas diversas esse, blasphemabat. Nec hoc solum, sed vanas utriusque cavillationes, subtilesque, atque acutas difficultates, Catholici feliciter dispunxerunt, atque enodarunt. Idem contigit in mysterio Incarnationis, ceterisque omnibus. Adeo falsum est, mysteria a nobis nullatenus intelligi, ac de iis solas inanes voces sine sensu effundi.

166. Hic obiter notare liceat, quantum a vero aberret auctor *epistolarum de religione essentiali*, dum ( Tom. III. pag. 76. ) mysteria nostræ religionis nihil aliud esse dicit, quam *illationes* ex quibusdam S. Scripturæ testimoniis, quorum sensus per se obscurus, & ambiguus fuit ab Ecclesia determinatus.

167. Hoc omnino falsum est; mysteria enim clare, nitideque a Christo Domino nostro oretenus Apostolis tradita, & explicata sunt; post autem a sacris scriptoribus litteris consignata. Sed quia labente tempore, aliqui maleferiati homines ea aut negare omnino, aut saltem corrumpere ausi sunt; Ecclesia auctoritate utens sibi a Deo concessa eadem confirmare debuit, & verum, ac genuinum Sacr. Litterarum sensum contra Novatorum depravationes determinare.

168. Inst. 2. Fides nostra debet esse *rationabile obsequium* ( Roman. XII. 1. ); atqui mysteria creduntur sine ratione, quia ratio ad illa se extollere nequit: ergo &c.

169. Resp. Mysteriorum fidem esse obsequium omnino *rationabile*, non quod ratio internam eorum veritatem attingat; sed quia ratio evidentibus *credibilitatis* motivis inducitur, ut credat, ea a Deo fallere, & falli nescio, esse revelata. *Ut aliquis*, inquit Contensonius ( Lib. VII. *Theolog. mentis*, & *cordis* Dissert. 2. cap. 1. specul. 2. *De quarta Fidei conditione* pag. 400. edit. Taurin. 1769. Tom. II. ) *prudenter iis, quæ fides proponit, credat, non sufficit motio, & pia affectio voluntatis objectum fidei gustans, & assensum intellectui præcipiens, sed requiritur insuper aliqua ex parte intellectus persuasio ex argumentorum credibilitatis efficacia orta; nam male credit, qui leviter credit; leviter autem credit, qui sine rationum momentis præbet assensum: qui autem bene credit, is debet esse rationum copiis instructus, ut de fidei credibilitate, non obstantibus Infidelium objectis, dubitare prudenter non possit; alias indiscrete casui, & fortunæ fidem committeret suam, nec rationabile, sed ex impetu foret ejus obsequium.*

170. Inst. 3. Deus noster non est Deus tenebrarum, sed lucis, nec nos intellectu instruxit, ut nihil intelligeremus; nobis etiam rationem non concessit, ut eidem repugnaremus, sed potius ut ipsa nos duci sineremus, neque igitur Deum nobis revelare, neque nos credere possumus, nisi quod nobis evidenter verum ratio proponit (*b*).

171. Resp. Deum, quem credimus, & adoramus, non esse quidem *Deum tenebrarum* in se, posse tamen sic dici respectu nostrum, quia lucem habitat inaccessibilem, cujus vim imbecilles oculi nostri ferre nequeunt. Hinc etiam vocari amat *Deus absconditus* Isaiæ XLV. 15. *& qui posuit tenebras latibulum suum*. Psalm. XVII. 12.

172. Nobis autem intellectum, rationisque usum donavit, non ut omnia intelligeremus, perfecteque cognosceremus ( quot enim, & quanta vel in ipso naturæ ordine nos fugiunt! ); sed ut iis uteremur, revelationi obsequentes, non eidem reluctantes. Quid enim magis rationi consonum, quam Deo summæ veritati indubiam fidem adhibere, etiam quando nos ea docet, ad quæ infirma nostra ratio pertingere nullatenus potest? Si enim contra rationem ageret cæcus, qui homini probo, & veraci mira de luce, & coloribus narranti credere nollet, quia ipse id videre non potest; quanto magis contra rationem erit, divinæ revelationi fidem denegare, cum ea nobis reserantur, quæ nostræ rationis decempedam longe superant?

173. Obj. 2. contra secundam partem. Finis religionis est homines bonos facere, qui nempe Deo imprimis, deinde toti societati debita officia reddant: ad id autem leges tantummodo spectant, mysteria nihil prorsus conferunt: non igitur Deum decuit nobis religionem tradere refertam mysteriis.

174. Respond. Talem per religionem a nobis bonitatem exigi, qua totos nos Deo devoveamus. Quæ autem in nobis sunt potentiæ, ad duo veluti su-

(*a*) Consuli possunt hac de re Pet. Dan. Huetius Lib. I. *Quæst. alnetanarum de concordia rationis*, & *fidei* cap. 8. num. 2. Dupinius in *Methodo Theologiæ addiscendæ* cap. 3. & qui fusius id pertractavit, Card. Petronius Lib. IV. *Respons.* ad Britanniæ Regem cap. 1.

(*b*) Ita Rousseavius Tom. II. *de l' Emile* pag. 139. atque ex isto falso principio facile hæc pestifera corollaria pro adolescentum educatione, seu potius depravatione deducit. Primo non esse instruendos pueros de existentia Dei, de vita futura, de regulis morum, & de tota religione, antequam tale rationis lumen acquisierint, ut ipsi de his omnibus suum judicium ferre queant: 2. dubitari impune posse de mundi creatione: 3. omnia mysteria esse a religione ableganda: 4. non rationem sacris litteris, sed has potius esse rationi subjiciendas: demum liberum unicuique esse de religione cogitare, loqui aut scribere, prout sibi visum fuerit. Hæc passim Naturalista iste sua ratione intemperanter utens pædagogis persuadere conatur.

suprema fastigia revocari possunt; alia est enim facultas intelligendi, & hæc Deo consecratur, dum intellectus noster in captivitatem redigitur in obsequium fidei, ut ea credat, quæ Deo revelare placuit. Aliæ sunt facultates operativæ, & practicæ, & istæ pariter Deo consecrantur accurata legum observatione. Duo igitur sunt religionis quasi cardines, credere, & operari, & non omnino bonus, qui alterum ex hujusmodi officiis servat, alterum contemnit.

175. Accedit, quod vel ipsa mysteria hominem fidelem ad veram pietatem maximopere promovent. Quis enim mysterium peccati originalis credens, atque inde causam internæ suæ corruptionis, propriamque infirmitatem cognoscens, ad Dei opem implorandam, sine qua nihil boni fit, vehementer non excitetur? Quis redemptionis mysterium considerans & innumera beneficia inde in nos derivata, Dei amore, qui tanta pro nobis fecit, & passus est, majorem in modum non accendatur? Idemque de ceteris dici potest; unde recte concludit S. Augustinus Lib. V. *de Civit. Dei* cap. 10. *male vivitur, si de Deo non bene creditur*.

176. Obj. tertio contra tertiam partem (*a*). Si conceditur, mysteria esse supra rationem humanam, etiam concedi debet, eadem cum humana ratione pugnare. Nam esse supra rationem idem est, ac non esse rationi consentaneum: sed quæ rationi consentanea non sunt, videntur esse contra rationem; quemadmodum quod veritati conforme non est, veritati contrarium, & oppositum dicitur: ergo &c. Bælius hoc suum ratiocinium confirmat exemplo turris, quæ a longe visa non solum non apparet quadrata, prout reipsa est, sed apparet rotunda, quæ figura quadratæ repugnat: & si quis nobis dicat, turrim esse quadratam, illud credamus oportet, quod non solum non videmus, sed quod iis, quæ videmus, omnino opponitur.

177. Resp. Hoc argumento ad summum probari, mysteria videri aliquando posse, non autem reipsa esse rationi contraria; quo in casu major utique divinæ revelationi, quæ infallibilis est, quam imbecilli nostræ rationi, vel ipso Bælio teste, fides adhibenda esset (*b*).

178. Verumtamen puto, neque id Bælio concedendum esse, totamque æquivocationem facile tolli posse, si illa propositio: *esse supra rationem idem est, ac non esse rationi consentaneum*, ita distinguatur; si per hoc *positiva* aliqua oppositio mysteriorum cum ratione intelligatur, *nego*: si solum significetur negatio conformitatis cum ratione in iis, quæ sunt ordinis superioris, *conc.* Oppositio, vel conformitas debet esse inter res ejusdem ordinis, seu generis; quæ autem diversi generis sunt, proprie dici non possunt opponi, vel congruere. Mysteria autem sunt ordinis multo excellentioris, quam nostra ratio possit imaginari; quare rationis ductum sequentes, non cognoscimus quidem modum, quo cum principiis nobis notis cohærent, unde dicere non possumus, ea rationi esse consentanea: neque tamen videmus, aut videre possumus omnimodam mysteriorum cum rationis principiis oppositionem. Quod adeo verum est, ut quæcumque ex rationis penu contra mysteria ab Hæreticis afferri solent, haud difficulter expliceutur.

179. Neque vero inter congruere, vel opponi rationi nullum est medium, ut Bælius putat, quemadmodum nullum est medium inter falsum, & verum. Intercedit enim hoc medium, quod diximus esse ordinis, & generis diversi, & superioris, quod proinde nec rationi congruere potest, nec repugnare: ut tria proinde distinguenda sint, scilicet primo congruere rationi, deinde eidem rationi opponi, tertio nec congruere, nec opponi, sed esse supra rationem (*c*).

180. Aptam huic rei explicandæ similitudinem affert Angelicus Lib. I. *Contra Gentiles* cap. 5. Si alicui rudi homini subliniores quædam Philosophiæ veritates proponantur, hæ certe hebeti, crassæque illius rationi consentaneæ non erunt, quia earum nexum cum primis, notisque principiis non videt; non tamen propterea dici poterit, easdem veritates cum ipsius ratione pugnare. Eodem prorsus modo, imo multo magis mysteria religionis rationem nostram longe superant, non tamen eidem proprie opponuntur. *Sicut igitur*, concludit Angelicus, *maximæ amentiæ esset idiota, qui ea, quæ a Philosophia proponuntur, falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita, & multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea quæ divinitus ... revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possent*.

181. Exemplum vero turris, & alia ejusdem generis valde multa, a re nostra admodum distant. Turris enim a longe spectata non solum non appa-

(*a*) Cum Bælio, qui quam sæpissime in spissis suis voluminibus rationem humanam divinæ revelationi opponit, ut dilectum sibi pyrrhonismum etiam in religionem inveheret; quemadmodum ipsius adversarius Isaac Jaquelotius pluribus ostendit in *Examine Theologiæ Bælii* Amstel. 1706. Noster Ferrariensis in cap. 2. Libro I. *Summæ* Sancti Thomæ *contra Gentil.* observavit, etiam Rob. Holkot non ignobilem Sæcul. XIV. Theologum non parum a vero exorbitasse, dum in suis comment. in Lib. I. *Sententiarum* putavit, ea, quæ sunt fidei, esse contra rationem naturalem.

(*b*) Ita Bælius in Tom. III. Operum *Response aux questions d'un Provincial* ch. 161., & alibi quam sæpissime, quamvis merito suspicentur eruditi, hæc ab eo minus sincere prolata, & ubicumque potuit, voluisse, eum rationem revelationi opponere non ut ei subjiceretur, sed ut pyrrhonismus inveheretur.

(*c*) Bælius ipse in Diction. artic. *Spinoza* rem. O. agnoscit magnum discrimen inter non cognoscere aliquod objectum esse possibile, & cognoscere.

paret nobis quadrata, ut reipsa est, sed contra ex legibus Opticæ nobis videtur rotunda, quæ figura cum quadrata pugnat. Mysteria autem, si accurate loqui volumus, nobis ex se ipsis nec vera, nec falsa apparent, quia interna eorum connexio nos latet. Attamen ut vera creduntur, quia Deus prima, & infallibilis veritas ea nobis revelare dignatus est.

182. Objic. ultim. Tertullianus oppositionem mysteriorum fidei cum ratione agnovit, & fassus est; nam libro *de Carne Christi* n. 5. ita inquit; *Crucifixus est Dei filius, non pudet, quia pudendum est. Est mortuus Dei filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est.*

183. Resp. Tertullianus ibi *ἐμπαικτῶς* loqui contra Marcionem negantem veram Christi carnem, quia stultum ipsi videbatur, Deum nasci, pati, ac mori potuisse. Ipsum autem revincebat Tertullianus, quia religio nos docet, ea credere, quæ falsis hujus mundi sapientibus pudenda, stulta, atque impossibilia videntur; quamquam in se nec pudenda, nec stulta, nec impossibilia sint. Quamobrem ibidem antea dixerat: *non eris sapiens, nisi stultus in sæculo fueris, Dei stulta credendo* (*a*).

## CAPUT VIII.

### *De notis veræ revelationis, & primo de miraculis.*

184. Potissimus Naturalistarum prætextus, ut divinam revelationem explodant, inde desumitur, quod nullum sit certum, ut ipsi dicunt, ad eam ab hominum illusionibus, & fraudibus internoscendam criterium, quamobrem nobis danda est opera, ut ipsi ostendamus notas, & characteres, quibus infinita Dei bonitas nobis providit, ut divinam ejus vocem ab hominum, vel etiam dæmonum fallaciis distinguamus.

185. Plures sunt hujusmodi notæ, & quædam internæ, externæ aliæ. Inter primas præcipue attenditur doctrinæ sanctitas, quæ nihil contineat honestati morum, ac rectæ, sanæque rationi contrarium: deinde ejusdem doctrinæ sublimitas, quæ veritates contineat, ad quas ratio humana suis viribus nunquam pervenire potuisset.

186. Sed cum has notas certo judicio discernere non omnium sit, providentia divina alias addidit exteriores, & ita perspicuas, ut quilibet suæ salutis sollicitus eas facile investigare, ac certo cognoscere queat. Inter has duæ potissimum occupant locum, miracula scilicet, & prophetiæ, de quibus nunc tractare aggredimur.

### §. I. *Ostenditur, vera miracula esse certas divinæ revelationis notas.*

187. Miraculum, definiente S. Thoma I. P. quæst. 110. art. 4. est opus, *quod sit præter ordinem totius naturæ creatæ*, & quod proinde a solo Deo auctore naturæ procedere potest (*b*). Porro, cum plusquam certum sit, Deum nec fallere posse (quod modo probandum non sumimus, cum a Naturalistis id non negetur), manifesto sequitur, eam doctrinam esse veram, atque divinam, pro qua confirmanda Deus certa miracula facit; ac proinde miraculis esse indubiam divinæ revelationis notam, quotiescumque ille, qui Dei nomine se loqui dicit, hoc divinæ veritatis sigillo sua dicta confirmat. Confer S. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 2.

188. Certe Christus Dominus incredulos Judæos ad miracula sæpe provocabat, tanquam ad ineluctabile divinæ suæ doctrinæ argumentum. Sic Joan. X. 38. inquiebat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis &c.* tum S. Joanni Baptistæ scire cupienti, an ipse esset Messias in Lege promissus, miraculis se reipsa esse Messiam confirmavit, Lucæ VII. 22. Ac demum S. Joannes ita Evangelium suum concludit cap. XX. 31. *Hæc autem* (signa) *scripta sunt, ut credatis* &c. ut propterea audiendus non sit Calvinus, qui cum non posset miraculis novam suam doctrinam confirmare, contendebat, non doctrinam ex miraculis, sed contra ex doctrina miracula examinari oportere (*c*).

189. Est autem breviter observandum, haud satis esse ad verum miraculum, quod opus illud

a

(*a*) Argumenta, quæ contra singula mysteria ex ratione opponi possunt, & solent, commodius solventur, ubi de iis data opera disputabitur.

(*b*) Probari minime possunt nonnullæ miraculi definitiones a recentioribus traditæ, ut illa Sam. Clarckii, quod sit *opus mirum aliquo ente intelligente, hominique superiore patratum contra ordinarium, constantem, uniformem causarum secundarum cursum.* Hac enim posita definitione miracula etiam ab Angelis, imo & a dæmonibus fieri possent: nec ullam amplius haberent veritatis certo confirmandæ vim. Idem judicium ferri debet de simili Joann. Lockii definitione, qui miraculum est *opus, quod a nobis spectatur, quasi divinum, nostrisque viribus superius.*

S. Thomas laudat. in loco ostendit, nonnisi a Deo vera miracula fieri posse, inquiens: *non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis, quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis: ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum quod sit præter ordinem totius naturæ creatæ: hoc autem non potest facere, nisi Deus.* Multo plura habet in hanc rem Lib. III. *contra Gentiles* cap. 102. & sequent. Quæ doctrina intelligi debet de *miraculis, signis,* vel *prodigiis,* prout hæ voces sumuntur *stricte,* & in sensu sacro; nam alii sensus, qui non raro apud profanos auctores inveniuntur, ad nos minime pertinent.

(*c*) Ita in eloquenti, sed falsitatum plena *præfatione Instit. Christian.* Ita etiam Lutherus, aliique pseu-

a solo Deo fieri possit, sed ulterius requiri, ut sit præter ordinem naturæ. Sic creatio animarum soli Deo competit, non tamen dicitur miraculum, quia non est *præter naturæ ordinem*.

190. Jam vero quid contra hanc tam patentem divinæ revelationis notam objiciant Increduli, nunc videamus. Ex quadruplici autem capite eam impugnare solent: primo quod miracula sunt impossibilia; deinde quod ab operibus naturæ secerni nequeant: tertio quod nec possint distingui a præstigiis dæmonum: demum quod etiam in confirmationem erroris edita aliquando sint, & adhuc edi possunt.

191. Objiciunt itaque primo (cum Spinoza in *Tract. theologico politico* cap. 6.). Naturæ leges nihil sunt aliud, quam decreta Dei; hæc autem tam immutabilia sunt, quam ipse Deus: tam ergo impossibile est miracula fieri, quam impossibile est, Deum mutari. Hinc concludebat Spinoza, quæ passim referuntur, & appellantur miracula, esse opera mira, *quorum causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus*.

192. Respond. Hanc difficultatem multo antea præoccupaverat Sanct. Thomas I. P. quæst. 105. art. 6. (a) acute simul, ac solide observans, leges naturæ dupliciter spectari posse: nempe vel prout in suprema Dei voluntate continentur, & sic certe nihil contra, vel præter eas fieri posse, quia nihil fieri potest contra, vel præter Dei voluntatem: vel in seipsis, prout constituunt totius universi systema, & consuetum rerum omnium cursum nobis exhibent. Sic autem nihil prohibet, leges naturæ suspendi, interrumpi, aut etiam mutari ab eo, qui eas libere condidit, & pro sua voluntate conservat.

193. Neque vero ita Deus facit contra sua decreta, aut ea mutat; ut enim iterum observat Angelicus quæst. VI. *De potentia* art. 1. ad 6. Deus ab æterno, quando has leges naturæ condere statuit, statuit etiam, ut in certis futurorum temporum punctis suspenderentur, vel mutarentur, ut miracula a se præordinata fierent. Hinc recte alicubi ajebat Sanct. Augustinus *Deum opera mutare, non consilia*. Et in Lib. VI. *de Genesi ad litter*. (Tom. III.) negabat, miracula *fieri contra naturam*, qua *Deo, hoc est natura, quod facit*; cum nempe Deus tam sit auctor consueti cursus naturæ, quam extraordinariæ ejusdem cursus suspensionis, vel mutationis (b).

194. Hic etiam breviter notandum est discrimen inter leges naturæ physicas, & morales. Primæ ab arbitrio divinæ voluntatis pendent, quia potuisset Deus alias condere, si voluisset; unde & absolute mutabiles sunt. Aliæ vero sunt omnino necessariæ, & constituunt legem naturalem, quæ prorsus necessaria est, & immutabilis. Vid. S. Thom. I. P. quæst. 105. art. 6. ad 2.

195. Dices. Sanct. Augustinus laudat. Libro VI. *De Gen. ad litter.* cap. 13. loquens de miraculis Moysis, *nec ista*, inquit, *cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit*.

196. Respond. Miracula a Sanct. Augustino dici *non esse contra naturam*, sumendo naturam, non tamen pro legibus illis generalibus a Deo institutis, quas noscimus; sed etiam pro legibus quibusdam particularibus, quibus Deus ab æterno voluit, leges illas communes nonnunquam suspendi, aut immutari. Id clarum fit primo ex eodem loco cap. 14., ubi miracula appellat ea, *quæ contra naturæ usitatum cursum fiunt*. Deinde in Lib. XXI. *De Civitat. Dei* cap. 8. cum iterum dixisset, portenta non esse contra naturam, hanc reddit rationem: *Quomodo est enim contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti conditoris conditæ rei cujusque natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura*. Et postea concludit: *sicut ergo non fuit impossibile Deo, quas voluit, instituere, sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas*. Quibus in locis manifeste indicat Sanct. Pater, se naturam sumere duplici sensu; scilicet *in seipsa*, qua ratione libere fuit a Deo instituta, & mutari posset, & prout est *ipsa voluntas Dei* omnino immutabilis, qua leges naturæ a se condi-

do-reformatores. Neque vero negamus, quando doctrina aliqua est manifestissime prava, & absurda, ut est polytheismus, frustra miracula ad eam confirmandam advocari: quo sensu etiam Paschalis dicebat, *judicandum esse de doctrina ex miraculis, & judicandum de miraculis ex doctrina* (*Pensées sur la religion* obs. 27.) Sed quando de doctrina non omnino liquet, vera ne, an falsa sit, nulla certior ad judicandum nota haberi potest, quam miracula.

(a) Ita sibi objicit Angelicus: *Ordinem naturæ Deus instituit, si igitur præter ordinem naturæ Deus aliquid faciat, videtur, quod ipse sit mutabilis*. Respondet autem breviter: *Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum præter hunc ordinem agit, non mutatur*. Sed in corp. art. hanc doctrinam uberius exposuerat. Vid. etiam quæst. VI. *de potentia* art. 1. ad 6.

(b) Jure reprehenditur Houttevillius, quod in opere: *La religion Chrétienne prouvée par les faits*, Libro I. cap. 6. ut hoc Spinozæ sophisma refutaret, novam, falsamque miraculi notionem exhibuerit, contendens, miracula involvi, tanquam effectus in systemate legum universalium. Houttevillium hac in parte bene confutavit auctor (D. Boulliet Minister Calvinista) *du Court examen de la thèse de M. de Prades* pag. 128. seq. Si tamen nomine legum universalium etiam divina voluntas intelligatur, tunc certum est, miracula in tali systemate tanquam illius effectus contineri; quo sensu S. Augustinus, ut supra explicatum est, negabat, *miracula fieri contra naturam*.

ditas immutat. Ceterum S. Augustinus non solum fieri posse, sed sæpissime facta fuisse, etiam sua ætate, & a seipso visa miracula, & in ipsis locis laudatis, & alibi luculenter testatur, ut supervacaneum plane sit de ejus mente disputare.

197. Objiciunt secundo, non posse vera miracula a naturæ operibus accurate distingui; quia nobis notæ non sunt omnes naturæ vires, & nemo determinare valet quousque illæ se extendant. Deinde ignoramus, an aliqua alia causa sit superior nobis, inferior autem Deo, a qua repeti debeant miri illi effectus, quos miracula appellamus; ut necesse non sit ad Deum confugere.

198. Resp. ad primum, ex quo miracula aliqua sint contra leges naturæ nobis notas, recte colligi, illa non posse oriri ex aliis legibus naturæ nobis ignotis; nisi fingere velimus, leges naturæ ignotas cum aliis, quæ notæ sunt, mutuo pugnare. Sic observante S. Thoma I. P. quæst. 105. art. 8. nobis naturæ legibus repugnat corporum compenetratio, qualis in corpore Christi non semel facta est, quando scilicet ex utero Virginis matris prodivit, & quando in cœnaculum clausis foribus intravit.

199. Sic etiam quamvis accurate definiri nequeat, quousque vires naturæ nobis notæ se extendant, certum tamen omnibus est, iis non posse mortuos suscitari, aquas maris dividi, corpora cœlestia repente sisti, aliaque id genus fieri, quæ olim divina virtute facta fuisse legimus. Sic quamvis definiri certo nequeat, quantum omnino ponderis vir robustus attollere possit, nemo tamen credat, posse eum turrim, aut montem tollere. Fingant igitur Increduli in natura vires ignotas, quotquot volunt, fingant combinationes varias, & multiplices, nunquam prudenti viro persuadere poterunt, hæc sufficere iis stupendis prodigiis explicandis, quibus Deus aliquas veritates a se revelatas confirmare voluit.

200. Frustra etiam confugiunt ad causas nobis superiores, cujusmodi esse possunt Angeli, vel dæmones: neque enim credibile est, eorum potentiam tantam esse, ut possint stabilitum a Deo rerum ordinem invertere, & cæcis exempl. grat. visum restituere, aut mortuis vitam, vel cœlestium corporum cursum immutare (a).

201. Sed pro majore hujus rei evidentia non erit inutile doctrinam Sanct. Thomæ propriis ipsius verbis exponere, ubi miraculum tripliciter fieri posse docet (I. P. quæst. 105. art. 8.) *uno modo, quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest: & ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, & potest præstare visum, sed non cæco: & hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi; sicuti cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus; & cum statim aer divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis, & Eliæ (1. Regum XII. & 3. Regum XVII.) & hujusmodi tenent infimum locum in miraculis*. Vid. etiam in Lib. III. *Contr. Gent.* cap. 101. Hæc tamen distinctio miraculorum intelligi debet relate ad nos, quibus unum miraculum videtur majus altero; respectu enim Dei omnia miracula æqualia sunt, cum non major in uno, quam in alio divina virtus requiratur.

202. Ad tertiam hanc classem ea miracula revocari possunt, quæ quamvis vires naturæ, nec quantum ad substantiam, nec quantum ad subjectum, aut modum excedant, ex circumstantiis tamen apparet, ea nonnisi divina virtute contigisse. Sic sine miraculo absolute fieri potest, ut hominis loquentis dextera repente arescat; ut pueri ab urso devorentur; ut copiosi capiantur pisces, & stater in ventre unius inveniatur. Sed cum legimus (3. *Regum* XIII.) manum Jeroboam, cum Prophetam apprehendi juberet, illico fuisse arefactam; aut (4. *Regum* II.) Elisæo maledicente, pueros ab ursis devoratos, vel denique ad Christi imperium (Matt. XVII.) copiosos captos fuisse pisces, & in ventre unius staterem inventum; cum inquam hæc legimus, ex circumstantiis noscimus, hæc vera fuisse miracula. Quæ tamen a *gratiis* (quæ ita appellari solent, quando pie creditur, ope Sanctorum fuisse remediis efficaciam impetratam ad sanitatis restitutionem, vel pericula remota &c.) accurate distingui debent.

203. Hac posita doctrina facile diluuntur omnia Incredulorum dubia de viribus naturæ, de combi-

(a) Haud puto, Incredulos objecturos illud Didonis apud Virgilium *Æneidos* IV., ubi magicas fœminæ custodis templi Hesperidum artes describens, dicebat, posse illam *sistere aquam fluviis, & vertere sydera retro*. Nam fabulæ istæ erant iis similes, quibus Poetæ finxerunt, gigantes olim *congestos struxisse ad sydera montes*. Imo nec fidem meretur Lactantius, dum in *Epitome divin. Instit.* cap. 71. fidenter scribit, Anti-Christum accepturum potestatem faciendi *ut sol desistat a cursu suo*. Scimus quidem, magnam futuram Anti-Christi potestatem *in signis, & prodigiis mendacibus*: sed hoc peculiare, & tam grande prodigium sistendi cursum solis, neque in sacris literis, neque in Sanct. Patrum traditione fundamentum habet. Guill. Estius in tradit. *Senten*. Distinct. VII. §. 10. censet, neque omnes Angelos simul posse ordinem universi a Deo constitutum immutare.

binationibus fortuitis, de causis superioribus &c.; sæpe enim sæpius luculenter apparet, etiamsi causæ hæ omnes existerent, prodigium tamen nonnisi a Deo, *qui facit mirabilia magna solus* (Psalmo CXXXV. 4.), procedere potuisse.

204. Objiciunt tertio, vera miracula non posse a præstigiis dæmonum accurate, & tuto discerni. Id constare dicunt primo ex iis prodigiis, quæ Magi Pharaonis in Ægypto ediderunt; secundo ex Pythonissa Endorea, quæ animam Samuelis suscitavit (1. *Regum* XVIII.); tertio ex his verbis *Deuteron.* XIII. 2. *Si surrexerit in medio tui Prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus, & sequamur Deos alienos, & serviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester* (*a*): quarto quia sæpius prædictum est, Antichristum *suis miraculis seducturum gentes* Matth. XXIV. 24., & 2. Thessalonic. II., ubi S. Paulus loquens de fidelibus in fine mundi, inquit: *mittet illis Deus operationem erroris*) *græce* ἐνέργειαν πλάνης *efficaciam deceptionis, ut credant mendacio*. Quod S. Gregorius Papa considerans inquiebat (Lib. XXXIV. *Moralium* cap. 3.) *quamvis in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius* (Antichristi) *ut nostrorum aut pauca, aut nulla videantur*.

205. Resp. Ea omnia, quæ ope dæmonis dicuntur facta, aut fieri possunt, non esse vera miracula, sed solum *mirabilia*; vel etiam miracula *large* sumpta, ut loquitur S. Thomas I. P. quæst. 114. art. 4., quia *excedunt humanam facultatem, & considerationem*; non autem omnes naturæ vires. Hujusmodi plura a dæmonibus, Deo permittente, facta in sacris litteris leguntur, ut calamitates Sancto Jobe illatæ, Christi tentatio, & translatio supra verticem montis, & pinnaculum templi, atque id genus alia.

206. Sunt, qui contendunt, nullam prorsus a Deo malis spiritibus edendi prodigia virtutem esse concessam (*b*), vel saltem non posse eos hominibus benefacere, sed tantum nocere. Nobis de hac perdifficili quæstione modo disputare non vacat. Solum notamus, cum his argumentis nonnisi ii uti possint, qui sacras Scripturas admittunt, atque ipsam divinam revelationem, sine qua certo probari nequit, dæmones existere, non posse nos reprehendi, si in viis expediendis easdem sacras litteras in adjutorium vocemus. Ex iis autem haud difficile erit, falsa prodigia a veris miraculis secernere.

207. Resp. itaque ad primum, signa, quæ Magi coram Pharaone ediderunt, infinito plane intervallo a veris Moysis miraculis distare; adeo ut vel ipsi Magi & propriam infirmitatem, & Dei omnipotentiam in Moyse operantem agnoscere tandem coacti fuerint, dicentes: *digitus Dei est hic*, Exodi VIII. 19. Multi opinati sunt, ea Magorum signa non fuisse nisi meras præstigias, & illusiones sensuum: verum Sanct. Thomas I. P. qu. 114. art. 4. post S. Augustinum (Lib. XX. *de Civit. Dei* cap. 19.), censet fuisse veras res virtute dæmonis peractas (*c*).

208. Ad secundum. De anima Samuelis a Pythonissa Endorea suscitata, non una est tam veterum, quam recentiorum opinio. Sunt, qui putant, id merum fuisse dæmonis spectrum: qua posita sententia objectio seipsa corruit. Plerique vero alii Samuelem ipsum ab inferis revocatum statuunt, quod aperte insinuari videtur Ecclesiastic. XLVI. ult., simul tamen docent, id non pythonissæ incantationibus, sed Dei virtuti tribuendum, qui ea occasione edocere voluit Saulem, quanta illi ob inobedientiam mala imminerent (*d*).

209. Difficilior est explicatio loci objecti ex Deuteronomio. Aliqui putant, id dictum esse in hypothesi impossibili, quemadmodum S. Paulus ad Galat. I. 8. dicebat: *sed licet nos, aut Angelus* de

(*a*) Triumphat ex hoc loco Rousseavius T. III. *de l'Emile*, & eo usque procedit, ut Paganos excusandos esse velit, qui Apostolos novam doctrinam miraculis, & prophetiis confirmatam prædicantes occidebant; quia Moyses subdit: *Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur*. Sed frustra triumphat; quasi vero Apostoli falsis, aut dubiis miraculis populos a vero Dei cultu avertere conati fuerint.

(*b*) Id probare nisus est Alph. Turrettinus in Dissert. *de veritate Jud., & Christ. religionis* P. IV. Idemque postea majore conatu tentavit ejus discipulus Jac. Serces in libro, cui titulus *Traité des miracles &c.* Amstel. 1729. in 8., in cujus tamen libri præfatione se bellum venerandæ antiquitati, illustrioribus Theologis, ac Philosophis maximi nominis, imo omnibus plane Ecclesiæ Patribus indicere, *incredibili audacia* declarat. Utrumque præcesserant Verensfeldius Tom. I. *Operum*, & Nolstenius in dissert. impressa ann. 1718. Francofurti ad Oderam.

Verum contra hos omnes audiatur S. Augustinus III. *de Trinitate* c. 9. n. 18. Tom. VIII. ubi de dæmonibus loquens, *quid autem*, inquit, *possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinatur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens: alii dijudicatio spirituum*. Et antea cap. 7. n. 12. agens de potestate data dæmonibus, *datur*, inquit, *ad fallendos fallaces; sicut in Ægyptios, & in ipsos etiam Magos data est; ut in eorum spirituum seductionem viderentur admirandi, an quibus fiebant, a Dei virtute damnandi*.

(*c*) Vid. P. Calmet Dissert. *de veris, fictisque prodigiis*. Eadem dissertatio quodammodo refusa, & aucta extat gallice in Tom. II. *De la sainte Bible &c.* à Paris 1768. in 4.

(*d*) Sanct. Augustinus Lib. II. *ad Simplicianum* qu. 3. Tom. VI. *Ex dispensatione*, inquit, *permissum est, ut non invitus, nec dominante magica arte, sed volens, & obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ Pythonissam, & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ, se ostendi aspectibus Regis divina eum sen-*

*de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Neque enim contingere poterat, ut vel Apostolus ipse, vel Angelus de cœlo aliter evangelizaret.

210. Quidam censent, id de iis dictum fuisse, qui olim veri Dei prophetæ erant, post autem ab ipso Deo recedentes miraculis a se antea factis ad alios seducendos abutebantur.

211. Alii communius, & verius Deuteronomii locum intelligunt de hypothesi omnino possibili falsorum Prophetarum, quos & aliquando fuisse, & iterum futuros, Scriptura ipsa testante, cognovimus; qui tamen non vera, sed falsa miracula edunt, non virtute divina, sed dæmonis ope. Neque refert, eorum prædictiones eventu esse comprobatas; id enim vel naturali prævisioni, vel casui adscribendum est, non veræ prophetiæ divinitus inspiratæ, cum hæc doctrinæ cœlesti de cultu unius veri Dei contraria esse non possit.

212. Ad ult. de Antichristo resp. Antichristum, ut nos monet Apostolus loc. cit. epist. 2. ad Thessalonic. II. 9., venturum *secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*: hoc est, ut ex Sancto Augustino Estius explicat, vel quia fallaciter, & illusorie ea prodigia fient, non autem vere; vel quia ad mendacium, idest errorem, homines inducent, etiamsi quædam eorum veraciter fiant; non enim excedit virtutem Satanæ, qua operabitur Antichristus, ventos, & tempestates excitare, ignem de cœlo deducere, quosdam infirmos subito sanare, aliaque id genus, quæ etiam a causis naturalibus præstantur.

213. Inst. Illa verba Deuteronomii intelligi non possunt de falsis miraculis; obstat enim auctoritas Sanct. Joann. Chrysostomi, qui hunc locum ita explicat: *Horum verborum hæc est sententia: si propheta quisquam, inquit, surrexerit, & signum ediderit, vel mortuum excitarit, vel leprosum mundaverit, vel debilem sanarit, signoque edito ad impietatem te invitaverit, ne propter signi eventum obedias. Quare? tentat enim te Dominus Deus tuus &c.* (Tomo I. *Operum* edit. Paris. 1718. *Orat.* I. *adv. Judæos* pag. 598. Eademque repetit in Orat. VI.)

214. Resp. Verba Sanct. Joann. Chrysostomi posse de falsis prodigiis, & apparentibus intelligi, quæ virtute dæmonis, Deo permittente, edi queunt. Vel, ut explicat Benedict. XIV. (in Lib. IV. *de canonizat. Sanct.* P. I. cap. 4.) S. Chrysostomus locutus est in hypothesi impossibili (Vid. supra num. 209.)

215. Objic. 4. vera miracula fieri possunt etiam ad confirmandos errores. Nam primo a peccatoribus, imo & a falsis Prophetis & fieri posse, liquet ex illis Christi verbis Matt. VII. 22.: *multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quæ verba ita Sanctus Hieronymus declarat: *Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetaverunt* (a).

216. Reipsa ab Hæreticis nonnunquam facta fuisse miracula, quibus falsa eorum doctrina confirmaretur, ex historia edocemur. Duo sufficiant Pauli Novatianorum Episcopi a Socrate relata Lib. VII. *Histor. Eccles.* cap. 17. & 39. Primo, cum incendio voracissimo urbs Constantinopolitana conflagraret, Novatianorum Ecclesia integra, & illæsa ejus precibus servata fuit; quamquam enim per januas, ac fenestras omnes ignis in Ecclesiam irrumperet, nihil damni illatum est, imo ne fumi quidem vestigium in tignis ejus, aut parietibus apparuit. Addit Socrates, hujus insignis miraculi memoriam quotannis a Novatianis celebrari consuevisse. Deinde cum Judæus quidam ficto animo ad memoratum Paulum accessisset, baptismum petens, dicit Socrates (Lib. laud. cap. 17.), aquam e lavacro positam semel, ac iterum mirabiliter effluxisse, sicque Judæi dolum detectum fuisse.

217. Resp. Miracula utique ab impiis, imo & fortasse ab Hæreticis (b), fieri aliquando posse, non tamen ad confirmandam falsitatem. *Potest contingere*, inquit Sanct. Thomas (*Quodlibeto* II. quæst. 4. artic. 6.) *quod aliquis gratiam gratum facientem non habens miracula faciat. Sed hoc contingere non potest, quod aliquis falsam doctri-*

*tentia percussurus.* De hac quæstione præter auctores memoratos a Leone Allatio in *Syntagmate de Engastrimytholo* 22. legi possunt Nat. Alexander *in Histor. Eccles. veter. Testam.* Dissert. XXIII., P. Calmet in Dissert. *De Samuele per visum Sauli objecto.* Ægidius Stranchius in *Samuele personato*, Lenglet *Traité des visions, & des apparitions* Tom. II. p. 178. P. Le Brun *Histor. des superstitions* Tom. IV. & Jo. Christoph. Harenbergius *de Pythonissa Endorea*: qui etiam alios laudat scriptores de Protestantium secta idem argumentum tractantes.

(a) Maldonatus in hunc locum, *facile*, inquit, *colligitur, falsos istos Prophetas, de quibus loquitur Christus, vera miracula facturos, vere prophetasse, vere demonia ejecisse.* Quod confirmat etiam ratione: *non enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos, quamvis ista fecerint, non nosse: & ulterius, mirum non esset*, inquit, *si illis, qui non vera, sed falsa miracula fecissent, responderet, se non nosse eos; valde autem mirum, ut iis, qui vera fecerunt miracula, ita respondeat.* Concludit postea, ex veris miraculis duci posse pro veritate fidei argumentum *probabile*, non autem *omni ex parte necessarium*. Quæ Maldonati doctrina a communi Theologorum sententia valde abhorret.

(b) Negant aliqui, ab Hæreticis vera fieri posse miracula, quia fide *theologali* carent, sine qua nec fidem miraculorum habere eos posse, contendunt. Ita auctor *des lettres à l'Auteur du traité des miracles* en France 1767. P. II. Let. 2.

*ctrinam annuncians vera miracula faciat, quæ nisi virtute divina fieri non possunt; sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile.*

218. Hinc idem Angelicus distinguendum putavit inter homines malos, & dæmones; & ab illis quidem posse vera miracula a Deo impetrari, non autem ab illis; quia homines etiam mali possunt quandoque esse veritatis nuntii, non autem dæmones, natura sua mendaces. *Cum operatio miraculosa*, inquit Quæst. VI. *de miraculis* artic. 5., *sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis, & veritatis, si dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret.*

219. Ex hac doctrina patet, quid allatis exemplis respondendum sit, nempe miracula illa edita a peccatoribus, falsis Prophetis, & etiam ab Hæreticis, non fuisse directa ad confirmandam falsitatem, sed ad alios fines (*a*).

220. Quanquam quæ Socrates, & Sozomenus de Novatianis narrant, Criticis merito suspecta sunt, ob apertam istorum scriptorum in hæresim Novatianam propensionem (*b*). Si tamen sunt vera, nihil prohibet voluisse Deum hæc miracula operari ad testandam sanctitatem Sacramenti, & templi ejus honori dicati: licet his miraculis Novatiani abuterentur, ut in suis erroribus magis obcæcarentur. Nicephorus autem (Lib. XV. *Hist.* cap. 17.) Socrati fidem habens, censet, *gratiam divinam persæpe etiam se apud indignos exhiberi, nullo inde contracto detrimento.*

221. Inst. primo. Tertullianus pro certo habuit, etiam ad falsas doctrinas confirmandas posse ab hæreticis edi miracula; ita enim scribit *de præscriptionibus hæreticorum* cap. 44. *adjicient præterea multa de auctoritate cujusque doctoris hæretici, illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, ut merito Apostoli crederentur.*

222. Resp. Tertullianum loqui de miraculis apparentibus, quæ a falsis Prophetis facienda esse, prædixit Christus: quamobrem *ibidem* ostendit, nullam habituros excusationem, qui illis se decipi permittent. Hinc statim subdit: *quasi non hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.*

223. Inst. 2. Parum interest, sive vera, sive apparentia tantum, & similia veris ad confirmandos errores edantur miracula. Cum enim difficile admodum sit, præsertim rudibus, vera miracula a fictis prodigiis secernere, illud consequitur, aut nulla miraculis alicujus veritatis confirmandæ vim inesse, aut teneri nos etiam erroribus fidem præstare (*c*).

224. Resp. Plurimas esse notas, quibus vera a falsis miraculis discernantur, ut Origenes bene exponit Lib. II. *Contra Celsum* n. 50. & seq. videlicet primo præ oculis habendus est *fructus*, seu effectus; præstigiarum enim fructus est deceptio, verorum autem miraculorum fructus est morum emendatio, & animarum salus. Deinde attendi etiam merentur operantis nota probitas, & pietas, finis rectus, & sanctus, aliaque id genus non pauca, quæ si omnia concurrant, de miraculi veritate certi erimus, incerti autem, si aliquid deficiat (*d*).

225. Sed quoniam nec semper, nec omnibus da-

(*a*) Nuperus scriptor libri anonymi, cui titulus *Traité des Miracles* &c. vol. 2. in 12. à Paris 1765. omnibus nervis contendit, vera miracula posse fieri, etiam ad falsitatem confirmandam; non quod Deus falsitatem confirmare velit; id enim ipsius veracitati repugnat: sed quod permittere possit, pseudo-prophetam, aut falsum doctorem vera miracula facere, a Deo quidem ad rectum finem ordinata, ab eo autem ad falsum confirmandum detorta. Vid. P. II. cap. 11. & sequ. Hæc doctrina rejicienda est, utpote allatis superius verbis S. Thomæ, cujus discipulus ille videri vult, omnino contraria. Consuli possunt Card. Gotti Tom. X. *Theol.* Qu. I. Dub. 6. §. 6. Estius in II. *Sent.* Dist. VII. §. 19. P. Richard in *Dictionn. Des sciences Ecclesiastiques* Tom. VI. p. 708. & seq. & plures epistolæ in nota supermemoratæ, in quibus multi illius *Tractatus* doctrinæ capita acriter refutantur.

(*b*) Vid. Fleury Lib. XXVI. *Hist. Eccles.* n. 49. Remigius Ceillier Tom. XIII. *Des Auteurs Eccles.* p. 685., & P. Maran in libello: *La doctrine de l'Écriture, & des Pères sur les guerisons miraculeuses* P. II. ch. 80. Ceterum plura suppetunt exempla hæreticorum, qui frustra conati sunt falsas suas doctrinas miraculis comprobare. Gregorius Turonensis L. II. *Hist. Franc.* cap. 3. narrat, Cirolam Episcopum Arianum cum simulare vellet, se cæco visum restituere, eum reipsa excæcasse. Idem narrant Victor Vitensis Lib. II. & III. *De persecut. Wandal.*, & alii apud Baronium ad ann. 484. Celebris est etiam historia Polychronii in Synodo VI. qui mortuum quemdam se resuscitaturum promiserat; sed non minus, quam olim Simon Magus, se omnibus deridendum præbuit, quamobrem Patres Act. XV. conclamarunt: *novo Simoni anathema*. Id ipsum Luthero, Calvino, aliisque pseudo-reformatoribus accidisse fertur. Confer Bellarminum Lib. IV. *De notis Eccles. cap.* 14.

(*c*) Ita Rousseavius in tertio tomo *de l' Emile*, & in *troisieme lettre de la Montagne*, qui etiam non dedignatur nos instruere de multis mirabilibus effectibus vis electricæ, aut magneticæ, tum artis medicæ, ac denique de variis circulatorum artibus ad fallendos incautos, quasi hæc non sint lippis, & tonsoribus nota, vel possint cum miraculis nostræ religionis aliquo modo conferri.

(*d*) Sanct. Thomas in II. *Sentent.* Distinct. VII. quæst. 3. artic. 1. ad 2. *Signa*, inquit, *facta per bonos, possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis, quia signa facta per bonos virtute divina fiunt etiam in illis, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicuti suscitare mortuos, & hujusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt. Secundo ex utilitate signorum, quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum,*

datum est, hos veri miraculi characteres sine ulla dubitatione cognoscere, firmissime credere debemus, Deum nunquam permissurum in confirmationem erroris aliqua mirabilia, vel etiam prodigia fieri, quin multo plura, majora, & clariora miracula ad confirmandam veram, sanctamque doctrinam ipse faciat, quo possint fideles declinato errore rectum cursum tenere.

226. Id præterquam quod est divinæ sapientiæ, bonitati, ac providentiæ omnino conforme, ne scilicet vi pene ineluctabili nos in errorem trahi permittat, potest etiam pluribus exemplis mirifice confirmari. Permisit Deus Magis Pharaonis, ut thaumaturgam Moysis virtutem æmularentur, sed ita solum, ut tandem & ipsi cognoscerent, se infinito intervallo a Moyse superatos fuisse ( Ex. VII. ) (a). Toleravit Deus aliquandiu 450. pseudo-prophetas, Sacerdotes Baal, qui nonnulla edebant prodigia; ne tamen populus diutius seduceretur, eosdem ab Elia in miraculis palam superari, confundi, ac trucidari voluit ( 3. Regum XVIII. ). Pseudo-propheta Bar-Jesu, Elymas dictus, fuit a Sancto Petro devictus, & excæcatus ( Act. XIII. ), & Simon Magus a Sancto Petro ad terram prostratus. Atque ut reliqua taceam, quando Antichristi temporibus *multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*, non deerunt Enoch, & Elias, qui & prædicatione, & miraculis potentioribus errori resistant. Neque id solum; sed quia tribulatio, & deceptio illa erit omnium maxima, Deus fideles suos præmunire voluit etiam alia via, scilicet prænunciata multo antea illorum prodigiorum fallacia. Quamobrem si fideles illis turbulentissimis temporibus miracula Antichristi cum miraculis Henoch, & Eliæ, & cum prædictionibus, & miraculis Christi Servatoris nostri conferre voluerint, haud difficile eis erit, vanas, fallacesque præstigias a veris miraculis discernere; satisque erit eis provisum, ne a recto veritatis tramite aberrent. Hoc Christus dedit signum Marci XIII. 33. inquiens: *vos ergo videte; ecce prædixi vobis omnia* (b).

227. Inst. tertio. Hoc ipsum est multis, præcipue autem rudibus, admodum difficile, comparatione inter miracula instituta, quodnam sit majus, aliisque præferendum, certo dijudicare; notum est enim, nunquam facilius controversias, & dissensiones excitari, quam ubi de comparationibus agitur, raroque concordes esse solere, quibus rerum ponderanda est præstantia (c).

228. Resp. Hanc difficultatem tunc solum occurrere posse, quando de uno, vel paucis miraculis inter se comparandis ageretur, iisque non admodum inter se dissimilibus. Sed res hic longe aliter se habet. Paucis, iisque non admodum illustribus sive apparentibus, sive etiam veris dæmonum prodigiis miracula divina, & numero plura & multo illustriora opponimus. Quis signa vel a magis Ægyptiacis, vel ab aliis impostoribus facta cum certissimis Moysis, aut aliorum Prophetarum miraculis, vel cum illis, quæ Christus Jesus, ejusque Apostoli ediderunt, audeat comparare? Facta igitur collatione non multo opus est ingenio, neque magno labore, ut veram a falsa doctrina miraculorum ope secernamus.

229. Inst. quarto. Sed cur Deus ( molestius sciscitantur ) permittit, aut vera, aut verisimilia in confirmationem erroris fieri, quibus sin minus omnino præcluditur, præpeditur saltem veræ, & revelatæ doctrinæ dignoscendæ via? Si miracula essent divinum quoddam veritatis sigillum, annon divinæ providentiæ convenientius foret, nullius omnino generis miracula in confirmationem erroris permittere?

230. Respond. Nostrum non esse profunditatem divinorum consiliorum perscrutari. Providentissimus, ac benignissimus Deus veræ, supernaturalisque doctrinæ revelationem adeo certis, & claris divinæ veritatis sigillis communivit, ut qui ea diligenter considerat, de illa dubitare prudenter

*& hujusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis, vel vanis.... Tertia differentia est quantum ad finem, quia signa bonorum morum; sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei, & honestatis. Et quantum ad modum differunt, quia boni operantur miracula, per invocationem divini nominis pie, & reverenter, sed mali quibusdam deliramentis &c.* Vid. etiam Benedictus XIV. *de Beat. Can. &c.* Lib. IV. P. I. cap. 4.

(a) Ineptit Rousseavius, dum fingit, potuisse Pharaonem suspicari, Moysen, & Aaronem esse in magicis artibus excellentiores suis Magis ( *Lettre troisième écrite de la Montagne* ). Ineptit, inquam: quomodo enim potuisset Pharao id merito suspicari, postquam audierat suos Magos exclamantes, *digitus Dei est hic!*

(b) Sanctus Augustinus Lib. X. *de Civit. Dei* capit. 16. Tom. VII. postquam ostenderat, non esse sacrificia offerenda dæmonibus, etiamsi mirabilibus factis humanas permoverent mentes, & illi, qui uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur, ita pergit: *Cum vero Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, ut .... faceret majora, certiora, clariora miracula ... quem tandem ita desipere libeat, ut non vera eligat, quæ sectetur, ubi & ampliora inveniat, quæ miretur?* Pro certo itaque habet Sanct. Pater, Deum semper majora, & certiora miracula opponere fallacibus dæmonum prodigiis.

(c) Laur. Moshemius in notis ad *Systema intellectuale hujus universi* Rad. Cudworthi cap. v. Sect. I. §. 87., ne definitionem miraculi a Sam. Clarckio traditam ( supra in not. ad num. 187. ) confutet, Jac. Serces opinionem probat, nulla scilicet posse a malis geniis miracula, etiam minus proprie talia, edi; utitur autem inter alia etiam hoc argumento, quod variis exemplis illustrare conatur. Sed in hoc peccat, quod miracula fere similia simul conferat, ut inde concludat, generatim difficile esse inter vera, ac falsa miracula judicium.

ter non possit: interea tamen ex inscrutabili judiciorum suorum abysso aliquam ex alia parte superesse voluit obscuritatem, unde occasionem errandi non pauci sua culpa desumunt. *Satis est luminis*, inquit Paschalis (*Pensées sur la religion* ch. 18. num. 2.) *pro iis, qui videre cupiunt, & satis tenebrarum pro iis, qui aliter dispositi sunt. Satis claritatis, ut illuminentur electi, & satis obscuritatis, ut humiles fiant. Satis obscuritatis, ut reprobi excæcentur, & satis luminis, ut inexcusabiles sint, & condemnentur.* Marci IV. 12. *Ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant.*

231. Ceterum etiam in rebus ordinis naturalis fere semper duplex observatur facies, altera ita lucida & clara, ut veritatem ipsis quasi manibus contrectare videamur; altera vero ita obscura, ut omnes, quæ nascuntur difficultates, nullus valeat expedire. Ita placuit Deo, & immerito prorsus quis conquereretur, quod majorem intelligendi vim nobis non contulerit; imo talem, ut instar Angelorum omnia prorsus perspicue intueremur, nullique essemus errandi periculo obnoxii. Quemadmodum ergo in naturæ, ita etiam in gratiæ operibus voluit Deus, quasi inter lucem, & tenebras ambulare; ita tamen, ut quilibet possit divini luminis ope scopulis vitatis rectum vitæ cursum tenere; unde S. Paulus ajebat 2. *Corinth.* IV. 3. *quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.*

### §. II. *De confictis Gentilium Miraculis.*

232. Ex hactenus dictis patet, quid respondendum iis sit, qui falsarum religionum miracula objicere solent, non quod illa credant, sed ut nostris fidem adimant, aut saltem ut probent, miracula non esse certam veræ religionis notam. Et quidem, si otium foret, haud difficile esset, in iis aut fraudes impostorum, aut dæmonis præstigias detegere; quare a cordatioribus inter ipsos Paganos partim causis naturalibus tribui, partim vero aut omnino ut commentitia explodi, aut saltem ut dubia reputari solebant (*a*).

233. Sed generatim respondere possumus ex doctrina superius tradita (num. 266.), Deum Opt. Max. satis providisse, cum pluribus aliis mediis, tum potissimum longe majoribus, & certissimis editis signis ad veram religionem, quæ procul dubio nonnisi una esse potest, confirmandam, & stabiliendam. Porro si vel omnia, quæ magno numero ab Ethnicis afferuntur, miracula vera esse daretur, quisnam sanæ mentis homo ea comparare cum Moysis, Prophetarum, aut Christi miraculis auderet? Quisnam eorum mare divisit, & undas hinc inde quasi muros consolidavit, ut maxima hominum multitudo cum pecoribus & impedimentis sicco pede una nocte pertransiret? Quis iterum aquas fluere fecit, ut integrum hostium persequentium exercitum obruerent, atque sepelirent? Quis manna de cælo quadraginta annis advocavit, ut populus innumerabilis eo satiaretur? Quis solem immobilem reddit, ut Josue? Quis mortuos suscitavit, ut Elias, Elisæus, aliique viri sancti? Quis demum post innumera alia miracula palam in tota Judæa edita a mortuis redivivus, ut prædixerat, apparuit, & propria virtute in cœlum ascendit, ut Christus Dominus? Miracula ab Ethnicis venditata, aut talia sunt, quæ a dæmone præstari facile potuerunt (*b*); aut si nonnulla alia narrantur paulo excellentiora, non palam, sed clam, & in angulo facta dicuntur, non ab auctoribus synchronis, nec a testibus fide dignis referuntur: talia demum sunt, ut nulla fraudis suspicione laborent; & insuper tot plerumque ineptiis circumvestiuntur, ut merito inter aniles fabulas a doctis rejiciantur.

234. Sed ut os Incredulis obstruatur, qui non ces-

(*a*) Titus Livius Lib. XXIV. cap. 10. *Prodigia*, inquit, *eo anno multa nunciata sunt, quæ quo magis credebant simplices, & religiosi homines, eo plura nunciabantur.* Similia sæpius repetit, haud obscure innuens, nullam iis prodigiis a cordatioribus adhibitam fidem. Valerius Maximus Lib. I. cap. 8. post multa miracula relata, *nec me præterit*, inquit, *de motu, & voce Deorum immortalium, humanis oculis, auribusque percepta, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent; nostrum sit, inclytis litterarum monumentis consecrata, perinde ac vana, non refugisse.* Conf. Frereiri Dissert. *De veterum prodigiis* Tom. VI. *Des memoires de l' accademie des Inscriptions, & des belles lettres; &* Abb. Anselmi dissert. *sur ce que le Paganisme a publié de merveilleux* Ibid.

(*b*) Lactantius Lib. II. *Divin. Instit.* cap. 17. non dubitabat, omnia fere decantata apud Ethnicos miracula dæmonibus tribuere. *Edant*, inquit, *sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines fidem commodent simulacris divinitatis, ac numinis. Inde est, quod ab Augure lapis novacula incisus est; quod una Vejensis migrare se Romam velle respondit: quod Fortuna muliebris periculum denunciavit, quod Claudiæ manum navis secuta est; quod in sacrilegos & Juno nudata, & Locrensis Proserpina, & Ceres Milesia vindicavit; & Hercules de Appio, & Jupiter de Atinio, & Minerva de Cæsare. Hinc, quod serpens urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro accersitus. Nam illuc δαίμονάρχας ipse in figura sua sine ulla dissimulatione perlatus est; siquidem legati ad eam rem missi draconem secum miræ magnitudinis advexerunt.* Hanc sententiam adoptavit etiam S. Augustinus Lib. X. *De Civit. Dei* cap. 16. Tom. VII. Hinc est, quod non semel hæc miracula, orantibus Christianis, evanuerunt. Tale quid refert Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 17.

cessant hæc prodigia objicere, non erit inutile præcipua saltem breviter discutere. Primo referuntur plura Vestalium miracula, ut cum Tuccia, Valerio Maximo teste (L. VIII. cap. 1.) aquam ex Tiberi cribro hausit, totoque spectante populo ad forum usque portavit (*a*); altera vero, nomine Claudia, onerosissimam navim Tiberi hærentem, & hominum, boumque conatibus resistentem cingulo suo facillime traxit. Hæc tamen; si vera sunt miracula, potuerunt a Deo fieri, non ad probandos superstitiosos Vestalium ritus, sed ad contestandam veritatem pudicitiæ illarum Vestalium calumniis obtrectatorum impetitæ. Ita censet Sanct. Thomas *Quæst.* VI. *de patientia* art. 5. ad 5. Potest juxta S. Augustinum (Lib. X. *de Civit. Dei* c. 16.) id totum dæmonum potentiæ adscribi, ut proinde hæc vera miracula non sint.

235. Asseruntur insuper, & valde magnificari solent curationes infirmorum ab Iside, & Æsculapio factæ. Ac de Iside quidem legi meretur Diodorus Siculus Libro primo; de Æsculapio autem multo plura narrantur, & extat etiam inscriptio apud Gruterum Tom. I. p. 71. (de qua agit Dan. Clericus in *Histor. Medicinæ* P. I. lib. 1. c. 20.). Valerius Maximus Lib. I. c. 8. refert, Romanos, cum sævissima peste laborarent, Æsculapium prægrandis serpentis specie Epidauro Romam transvehi curasse, ejusque adventu pestem fuisse depulsam. Alii addunt, ab eodem Æsculapio Androgeonem Minois filium, & Hippolytum filium Thesei fuisse ad vitam revocatos.

236. Illa tamen, quæ de Iside referuntur, non possunt in veris miraculis numerari; illæ enim curationes nihil erant aliud, quam operationes sacerdotum, qui medendi arte periti ægros de opportunis remediis edocebant. Vel etiam dici potest cum S. Joann. Chrysostomo (*Orat.* 1. *adv. Judæos* Tom. I.), *dæmonum arte morbos sæpe fuisse curatos, & ægrotos sanitati restitutos*. Sane Lactantius (*in Epitome divin. instit.* cap. 28.) de dæmonibus ita asserere non dubitavit: *irrepunt etiam corporibus, ut spiritus tenues, vitiatisque membris morbos conciunt, quos sacrificiis, votisque placati postmodum relaxant*.

237. Æsculapius item medicus fuit insignis, & propter eximiam in arte salutari peritiam ut Deus habitus. *Æsculapius*, inquit Lucianus (in *Philopseude*), *ejusque posteri salutaria pharmaca admoventes ægrotos curabant*. Quod vero additur de Androgeonis suscitatione, Propertium habet auctorem, qui id factum dicit Cretensibus herbis Lib. II.

*Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis*
*Restituit patriis Androgeona focis.*

At vero quis non statim Poetarum figmentum olfaciat, qui ut Aristoteles ait (Lib. I. *Metaph.* cap. 2.), multa mentiri solent πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. Ad Poetarum item fabulas occisio, & suscitatio Hippolyti amandanda est (*b*).

238. Idem judicium ferri debet de ficta resurrectione Romuli, quem Plutarchus in ejus vita, & T. Livius Lib. I. cap. I. cap. 16. redivivum fuisse in cœlum assumptum narrant. Sufficit enim Plutarchi narrationem vel leviter expendere, ut mendacium ex ipsa appareat. Cum enim propter Romuli occisionem populus Rom. tumultuaretur, Proculus, unus ex senatorum principibus, sancto, & maximo jurejurando testatus est, se Romulum vidisse redivivum, multaque gloria coruscantem in cœlum ascendere: cui quidem juramento rudis plebs acquiescere potuit, prudentum autem nemo. Quamobrem Plutarchus ipse subdit: *hæc igitur similia visa sunt iis, quæ de Aristæo Proconesio, & de Cleomede Astypalensi Græci fabulabantur* (*c*).

239. His postremis verbis Plutarchus indicat, quid sapientes Ethnici judicaverint de fide habenda Herodoto, cum Lib. IV. *Histor.* narrat, Aristæum a morte ad vitam fuisse revocatum, quam fabulam explodit etiam Origenes Lib. III. *contra Celsum* n. 26. Nec melioris est notæ, quod de Cleomedis resurrectione venditatur, quanquam Celsus, qui hoc miraculum Christianis objiciebat, nonnisi incertam ejus famam allegabat. *Ajunt*, in-

(*a*) Ita a Valerio Maximo orasse dicitur. *Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hoc* (cribro) *hauriam ex Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audacter*, subdit Valerius, *& temere jactis votis Sacerdotis rerum ipsa natura cessit*. S. Augustinus *de unit. Ecclesiæ* cap. 19. T. IX. Donatistis sua miracula jactantibus ita respondebat: *Exaudiuntur multi, & Pagani, & Judæi & Hæretici, variis erroribus, & superstitionibus delati. Exaudiuntur autem vel a spiritibus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, Deo sublimiter, atque ineffabiliter judicante, quid cuique tribuendum sit; sive ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad admonitionem quærendæ salutis æternæ*. Vide infra num. 251. ubi S. Augustini doctrina de miraculis uberius explicatur.

(*b*) Videri possunt de Hippolyti fabula Virgilius *Æneid.* VII., & Servius in Comment. ad eum locum. Eusebius in Lib. III. *De Vita Constantini* c. 56. inter alia profana Deorum delubra a Constantino diruta peculiariter memorat templum Æsculapii in Cilicia, ubi dæmon dormientibus apparere, & morbos ægrotantium curare solebat: post autem addit cap. 57. *itaque quotquot antea superstitioso cultui addicti fuerant, cum errorem suum confutatum oculis suis viderent, & omnium ubique templorum, ac simulacrorum vastitatem intuerentur, alii ad salutarem Christi doctrinam se conferebant; alii licet idem facere nollent, majorum tamen ceremonias, utpote vanas, atque inanes contemnebant, & quos antea pro Diis habuissent, deridebant*.

(*c*) Lactantius Libr. 2. *Divin. Instit.* cap. 15. de Julio Proculo ita scribit: *qui subornatus a Patribus est, ut nuntiaret plebi, vidisse se Regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse ad populum, ut sibi delubrum fieret, se Deum esse, & Quirinum vocari. Quo facto ei ipsi populo persuasit, Romulum ad Deos abiisse, & Senatum suspicione cædis regiæ liberavit*.

inquiebat apud Origenem Lib. cit. n. 33. *ipsius animam sæpius relicto corpore circumvagatam fuisse*. Alii non dicunt, eum resurrexisse a mortuis, sed solummodo in arca, in quam ingressus antea fuerat, minime inventum: qua in re fraudi locum esse potuisse, cæcus est, qui non videat. Idemque dicendum de similibus resurrectionibus plane commentitiis; & quas nemo, nisi omnino amens, cum resurrectione Christi Servatoris nostri comparaverit, cujus testes oculati fuerunt homines integerrimi, quique eam proprio sanguine confirmare minime dubitarent (*a*).

240. Plura Pythagoræ tribuuntur miracula, de quibus agit Thomas Stanlejus ( in *Histor. Philos.* T. II. P. VIII. cap. 18. ). Imo Jamblicus ( in ejus vita cap. 18. ) narrat, eum ( perinde ac nos dicimus de Christo ) potestatem edendi miracula dedisse suis discipulis Empedocli Agrigentino, Epimenidi Cretensi, & Abari Hyperboreo. Sed hæc ab auctoribus referuntur multo posterioribus, ut sunt Jamblicus, & Porphyrius; eaque plena esse fraudibus, & mendaciis, multi eruditi jam demonstrarunt, ut videre est apud Jac. Bruckerum in *Histor. Critica Philosophiæ* T. I. P. II. lib. 2. cap. 10. sect. 1. qui etiam omnes auctores recenset, qui de romanensibus Pythagoræ fabulis egerunt: ut mirum proinde sit, hæc a nostris Incredulis, Voltairio imprimis, adhuc in scenam revocari.

241. Neque pluris facienda sunt miracula Apuleii celebris sæculo secundo Philosophi. Ipse enim in prologo *Asini Aurei* se fabulas scribere fatetur: *Sermone*, inquit, *isto Milesio* ( idest romanensi ) *varias fabulas conferam*. Unde S. Augustinus respondens Marcellino, qui eum hac de re consuluerat ( epist. CXXXVIII. cap. 4. T. II. ) allegat ejusdem Apuleji elegantissimam apologiam adversus quosdam, qui eidem magicæ artis crimen appinxerant, & ita concludit: *miror*, *laudatores ejus*, *qui cum nescio quæ fecisse miracula illis artibus prædicant*, *contra ejus defensionem testes esse conari* (*b*).

242. Dicitur quidem Accius Nævius apud T. Livium Lib. I. cap. 56. coram Tarquinio Prisco durissimam cotem novacula secasse, ut veritatem augurîorum a Rege contemptam vindicaret. Sed Cicero ( Lib. II. *de divinat.* cap. 38. ) ita hoc, & similia portenta paucis explodebat: *Omitte lituum Romuli*, *quem in maximo incendio neges potuisse comburi: contemne cotem Acii Nævii: nihil debet esse in philosophia comentitiis fabellis loci* (*c*).

243. Insigne narratur miraculum contigisse Simonidi Chio nobili Poetæ; videlicet cum pugili coronato carmen mercede pacta scripsisset, abnegatam ei pecuniæ pactæ partem fuisse, quia digressus in laudes Castoris, & Pollucis exierat; quapropter partem ab iis capere, quorum facta celebrasset, jubebatur. Cum vero esset grande convivium in honorem ejusdem victoriæ, Simonides, qui eidem convivio intererat, foris vocatus repente fuit a duobus juvenibus equis albis insidentibus; eo autem vix egresso triclinium totum corruit, convivasque oppressit: quo cognitum est, fuisse eos juvenes Castorem, & Pollucem, qui mercedem Simonidi reddiderint. Ita fere rem narraut Cicero Lib. II. *de Oratore*, & Valerius Maximus Lib. I. cap. 8. Sed Quinctilianus id totum ut commentitium rejiciendum putavit, inquiens ( Lib. XI. *Instit. Orat.* cap. 2. ) *mihi totum de Tyndaridis fabulosum videtur; neque omnino hujus rei meminit usquam poeta ipse*, *profecto non taciturus de tanta sua gloria*. Nonnulla alia huic Poetæ contigisse mirabilia narratur, quorum tamen aut fama incerta est, aut talis eventus, ut minime inter vera miracula referri debeat.

244. Aliquanto majus, & certius videri potest illud prodigium, quod Justinus narrat Libro XXIV. cap. 6. videlicet florentissimum Gallorum exercitum duce Brenno, cum devastatis Macedoniæ agris ad expilandum Delphicum Apollinis templum accederet, exorto terræmotu; insecuta deinde horribili tempestate, ac grandine de cœlo delapsa, totum ita profligatum fuisse, ut ne vel unus quidem superfuerit, qui tantæ cladis nuncium in patriam reportaret.

245. Verumtamen primo observamus, de totius historiæ hujus veritate non immerito dubitari posse; sunt enim, qui Brennum spoliis Delphicis onustum in patriam remeasse colligunt ex Strabone Lib. IV. *Geographiæ*, & Athenæo Lib. VI. cap. 5. Deinde etiam posita historiæ veritate, illa Gallorum clades sine miraculo naturalibus causis adscribi potest. Neque enim aut novum, aut rarum est, multa hominum millia a paucis quandoque vinci, & cædi; præsertim si illi pauci improviso adoriantur hostes locorum imperitia, aut aliis de causis perturbatos, ut tunc contigisse refert Pausanias ( in *Phocicis* cap. 20. ) dicens: *Phocenses locorum notitia sueti per medias nives ex arduis*, *&* *præruptis Parnassi anfractibus descendentes*, *ac de improviso Gallos adorti*, *missilibus illos*, *ac sagittis impune fixerunt*: additque, Gallos, non tam vulneribus, quam frigore fuisse confectos, ac vulnerato Brenno, Græcisque undequaque irruentibus fugam arripuisse. Mirabile post-

ea

(*a*) S. Augustinus Lib. XXII. *de civit. Dei*, c. 28. refert, a Cicerone in lib. *de repub.* fuisse tamquam lusum explosum, quod Pilato narrat, aliquem hominem revixisse. Neque vero idem S. Pater tanquam vera admittit, quæ quidam Genethliaci de hominum κα-θοσειά docuerunt. Sed has quorundam sententia tantummodo utitur contra eos, qui carnis resurrectionem impossibilem esse contendebant.

(*b*) Confer Dissert. Jo. Woverii *de vita*, *&* *scriptis Apuleii* præmissam editioni Operum ejusdem Apuleii.

(*c*) Vid. etiam Lib. III. *de natura Deorum*, & T. Livius loco sup. laud.

ea non est, Gallos ita profligatos in hostili, infestaque regione fuisse laboribus, fame ac ferro omnes consumptos (a).

246. Restat, ut de Vespasiani, atque Hadriani Imp. miraculis aliqua dicamus, & primus quidem, referentibus Tacito Lib. IV. *Hist.* & Svetonio in ejus vita, cæco visum restituit, alteri vero manum sanavit, vel pedem (b). Hadrianus autem a Spartiano idem præstitisse dicitur cuidam feminæ, & alicui viro Pannonio.

247. Hæc tamen, si vera sunt, naturales dæmonis vires non superant, nec cum certissimis, maximisque iis miraculis, quæ pro nostra religione edita fuisse, infra ostendemus, comparari ulla ratione possunt. Sed præterea re diligenter inspecta, multa falsitatis suspicione laborant. Ut enim Tacitus refert: *Vespasianus ipse sui conscius, statim ac res proposita fuit, primo irridere, aspernari, atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci; postremo æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disseruere: huic non exesam vim luminis, & rediturám, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum partus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari.* Svetonius autem adhuc majorem præbet fraudis suspicionem dicens, Vespasiano novo Imperatori defuisse auctoritatem, & quasi majestatem; hanc vero accessisse, dum e plebe quidam luminibus orbatus visum recepit, item alius debili crure sanatus fuit. En igitur causa utrumque miraculum confingendi.

248. Neque refert, quod Tacitus horum miraculorum testes adhuc sua ætate superstites alleget; hi enim rei ipsius, prout exterius peracta fuerat, testes esse poterant, non autem poterant judicare, aut testificari, an id miraculo, vel fraude gestum fuerit.

249. Multo autem apertius fraus se prodit in Hadriano. Ut enim narrat Spartianus, cum Imperator vitæ pertæsus de morte sibi consciscenda cogitaret, Antoninus ejus filius feminam submisisse creditur, quæ diceret, se fuisse in somno admonitam, ut Imperatorem ab hac cogitatione everteret: hoc autem cum facere neglexisset, pœnam dedisse visu orbatam: atque iterum admonitam in somno, se visum recuperaturam, statim ac genua Imperatoris amplexata ipsi rem totam renunciasset. Nec dissimilis est Pannonii historia; unde facile est colligere, nonnisi simulate, dolo, ac fraude hæc facta fuisse. Sane Spartianus non reticet, *Marcium Maximum hæc per simulationem facta esse commemorasse.*

250. Si tamen quis acrius contenderet, has Vespasiani, & Hadriani curationes, utpote a probatis Historicis relatas, in dubium revocari non posse, tunc dicendum erit cum Tillemontio (*Hist. des Empereus* Tomo II. in *Vespasiano* art. 8.), eas ope dæmonis fuisse factas, ad obscuranda, si fieri posset, recentia Jesu Christi miracula. Dæmones enim, ut Tertullianus ait in *Apologetico* cap. 22. *lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ... post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.* (Vide supra num. 256.)

§. III. *Solvuntur quædam alia argumenta contra notam divinæ revelationis ex miraculis depromptam.*

251. Obj. ult. Miracula etiam vera non posse esse divinæ revelationis notas. Nam S. Augustinus criterium, quo vera cœlestis doctrina discernatur a falsa, non in miraculis, sed in charitate reponit. Tract. XIII. *in Joannem* n. 17. (T. III. P. II.) *nemo*, inquit, *vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum, & Donatus oravit, & respondit ei Deus de cælo. Primo aut falluntur, aut fallunt. Postremo fac illum montes transferre..... Videamus, utrum habuerit charitatem. Crederem, si non divisisset unitatem. Nam & contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens: in novissimis temporibus exurgent pseudoprophetæ, facientes signa, & prodigia, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.... Teneamus ergo unitatem, fratres mei: præter unitatem & qui facit miracula, nihil est.*

252. Resp. S. Augustinum primo veritatem miraculorum, quæ Donatistæ jactabant, aperte inficiari, cum dicit: *nemo vobis fabulas vendat.... aut falluntur, aut fallunt.* Et sane illa Donatistarum miracula nonnisi visiones erant, & somnia, in quibus posse homines facile decipi, aliosque fallere, aperte liquet. Deinde, ne contentionis funis longius traheretur, etiam dato, & non concesso, vera esse, quæ Donatistæ jactabant, negat saltem ea esse *vera miracula*; sed contendit, meras esse dæmonis fallacias, cujusmodi erunt Antichristi prodigia, a Christo prædicata.

253. Nec refert, S. Doctorem ibi constituere criterium discernendi inter veram, falsamque doctrinam potius in charitate, & unitate, quam in miraculis. Nam primo alibi sæpe miracula proponit, tanquam veræ religionis certissimam notam. Sic, ut alia loca præteream, in libro *de uti-*

(a) Rollinus nullatenus de rei veritate dubitans censet, hoc miraculum fieri a Deo potuisse, non ad idololatricum cultum comprobandum, qui in templo Delphico dæmoni offerebatur, sed potius ad puniendum Brenni facinus, religionem contemnentis.

(b) Tacitus inquit: *alius manu æger;* Svetonius autem: *alius debili crure.*

*utilitate credendi* ( Tom. VIII. ) postquam c. 16. præcipua Christi miracula enumerasset, ea dicit *facta opportunissime, ut his multitudine credentium congregata, atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas*. Cap. autem 17. omnes hortatur, ut se Ecclesiæ catholicæ gremio condant, quæ *frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit*. Imo in eodem opere super Joannem Tract. XXIV. *interrogari* vult *miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim, si intelligantur, linguam suam*.

254. Ulterius quanquam in loco nobis objecto miraculorum auctoritatem seponere videatur, *implicite* tamen, & saltem *mediate* ad eam confugit, quando Donatistas reprehendit, quod se ab Ecclesia catholica separaverint, quæ longe majoribus, certissimisque miraculis a Christo fundata, & jugiter confirmata fuit. Negat autem solum, necesse esse, ut quilibet in hac Ecclesia miracula edat, dummodo teneat integritatem fidei, & charitatis unitatem.

255. Dices. Idem S. Doctor in libro *de unitate Ecclesiæ* cap. 19. ( Tom. IX. ) ut ostenderet, nullam esse vim in miraculis, quæ Donatistæ jactabant, ipsis quidem opponere videtur miracula multo plura, quæ facta erant in Ecclesia Catholica; sed postquam ea breviter commemorasset, ita concludit n. 50. *quæcumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt*. Non igitur censet Sanctus Pater, miracula esse notas veræ, & cælestis doctrinæ; sed potius ex vera Christi Ecclesia veritatem miraculorum probandam esse. Imo, ut idipsum adhuc magis ostendat, ita prosequitur: *Dominus Jesus, cum resurrexisset a mortuis, & discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis, & Prophetarum, & Psalmorum confirmandos esse judicavit &c.*

256. Resp. Hoc loco iterum rejici a S. Augustino miracula Donatistarum, ut falsa; proponi autem miracula Ecclesiæ Catholicæ, ut omnino certa. De primis enim inquit: *removeantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum*. Inter alia vero miracula Ecclesiæ catholicæ illud memorat, cujus ipse Mediolani testis fuerat, quando inventis Sanctorum Martyrum Gervasii, & Protasii reliquiis cæcus tota urbe notissimus oculos, lumenque recepit. Nihilo tamen minus Sanctus Pater nolebat ex miraculis cum Donatistis contendere, quia poterat brevius, & pressius rem suam conficere ex sacris litteris, quas illi admittebant.

257. Ceterum minime dubitandum est, S. Doctorem aliam viam initurum, si controversia illi fuisset cum infidelibus, aut nostris Naturalistis, qui divinam revelationem in sacris litteris contentam non agnoscunt. Tunc enim miracula certissimum illis præbuissent veritatis discernendæ criterium. Sic in Sermone LXXXVIII. n. 1. ( T. V. ) loquens de miraculis Christi, *quia*, inquit, *illa, quæ non videbantur, non credebantur, per ista temporalia quæ videbantur* ( scilicet infirmorum curationes, & mortuorum suscitationes ) *ædificabat fidem ad illa, quæ non videbantur*. Libro autem XXII. *de civ. Dei* cap. 5. dicit, mundum credidisse Apostolis prædicantibus Christum in carne resurrexisse, & cum illa in cælum ascendisse, quia non loquebantur tantum, sed etiam mirifica faciebant signa, quæ ibidem summatim S. Pater enumerat: & cap. 8. Paganis sciscitantibus, cur nunc illa miracula non fiant, quæ initio facta fuisse narratur, ita respondet: *possem quidem dicere, necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus*. Postea pergit describere, quomodo Apostoli resurrectionem Christi, ejusque ascensionem in cælum, quæ duo omnino incredibilia videbantur, nonnisi miraculis a se factis credibilem reddidissent. Pergit insuper S. Pater, & multa narrat miracula posterioribus temporibus in Ecclesia facta; & postea cap. 9. inquit: *cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne?* Et infinitus plane essem, si omnia huc spectantia S. Augustini testimonia describere vellem (a).

## CAPUT IX.

*Ostenditur, prophetias esse divinæ revelationis notas.*

258. Prophetia vox græca est ἀπὸ τοῦ προφαίνειν, ut vult Eusebius Lib. V. *Demonstr. evangel.* in proœmio: a latinis autem proprie dicitur *vaticinatio*. Est autem prophetia, definiente Cassiodoro ( in *Prol. super Psalmos* c. 1. apud S. Thomam 2. 2. qu. 171. art. 6. ) *inspiratio, vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuntians*.

259. Maxime autem divina inspiratio, vel revelatio apparet, quando Prophetæ ea prædicunt, quæ naturali intelligentiæ vi nullo modo prævide-

(a) De miraculis post S. Thomam locis supra laud. dignus est, qui legatur sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. Lib. IV. *De servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione* cap. 1. & sequ. Georgius Campbell in sua Dissert. *De miraculis* Amstel. 1767. falsa David Humii principia refutavit, qui vanis subtilitatibus evincere conatus est, non posse miracula esse divinæ revelationis notas, nisi respectu eorum, qui illa vident.

deri possunt, ut sunt ea, quæ nonnisi a Deo fieri queunt, atque a libera ejus voluntate pendent. Sic nonnisi per divinam revelationem Noe prævidere potuit, & prædicere diluvium, & Angelus conflagrationem Sodomæ, & Gomorrhæ, igne de cælo pluente. Ejusdem generis sunt etiam prædictiones rerum, quæ ab hominum quidem arbitrio suspenduntur, earum tamen nulla est, aut esse potest conjectura; ut cum Isaias cap. XLIV. 28. ante 200. & amplius annos prædixit & personam, & nomen Cyri Regis, & beneficia ab eo Israelitis conferenda (a).

260. Hinc patet, prophetias ita acceptas proprie inter miracula esse recensendas, quia omnem vim intelligentiæ creatæ longe superant, & solus Deus futura contingentia, & libera certo prænoscere potest. A miraculis tamen ea tenus distinguuntur, quatenus miraculorum eventus illico apparet; eventus autem prophetiarum post aliquod temporis, nonnunquam etiam longissimi, intervallum expectandus est. Sed in hoc apparet sapientissimi Dei providentia, dum non solum miracula, verum etiam prophetias voluit esse cælestis suæ revelationis notas; ut nempe eam & præsentes in miraculis agnoscerent, & posteri in prophetarum veritate confirmatam viderent (b).

261. Patet etiam, maximam, & ineluctabilem esse debere prophetiarum vim ad aliquam veritatem confirmandam, cum non minus quam miracula sint quædam divinæ veracitatis sigilla; unde illud apud Isaiam XLI. 23. *annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos*. Item XLVI. 9. *Ego sum Deus . . . annuncians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ nedum facta sunt*. Ac demum Nabuchodonosor dicit Danieli, postquam propheticum somnium ei explicasset: *vere Deus vester Deus Deorum est, Dominus Regum, & revelans mysteria*. Dan. II. 47. Vide, quæ supra diximus de Miraculis num. 187.

262. Etiam Christus Dominus nobis declaravit, quanta sit prophetiarum vis ad veritatem nostræ religionis comprobandam, & quando Judæos ad veteres prophetias in seipso adimpletas sæpissime provocabat, & quando ipse multa discipulis suis prædixit. Unde Jo. XIV. 29. inquiebat: *& nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*.

263. Divini Magistri exemplum secuti sunt Apostoli; & quidem eo successu, ut semel Petro exponente prophetias vet. test. tria circiter hominum millia Christ. relig. nomen dederint Act. II. Iterum vero quinque millia, & tandem idem Sanct. Petrus in 2. epist. I. 19. postquam nonnulla miracula Christi memorasset, ut adhuc firmiora ipsius divinitatis argumenta proferret, subdit: *& habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Hæc verba commentans S. Augustinus Serm. XLIII. n. 5. observat, propheticum sermonem appellari *firmiorem*, vel *certiorem*, quia cum infideles potuissent magicis artibus miracula Christi adscribere, non poterant tamen reluctari prophetiis, quæ editæ fuerant, antequam Christus veniret in mundum.

264. Neque quisquam illud objiciat S. Pauli 1. *Corinth*. XIV. 22. *linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus*. Non inquam, manifestum est enim, ibi nomen *prophetiæ* non sunt pro vaticinio, sed pro explicatione verbi Dei, & doctrina, cujus infideles nondum erant capaces. Hinc supra vers. 3. dixerat: *qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem* (c).

265. Prima contra nos eorum objectio est, qui

(a) De variis *prophetiæ*, & *prophetæ* significationibus videri possunt Dupinius in *Discours préliminaire à la Sainte Bible* Lib. I. cap. 2. §. 3. & *la Préface générale sur les prophètes* Tom. IX. *de la Sainte Bible* &c. secundæ edit. 1771. de M. Rondet. Quantum ad præsens institutum pertinet, nomine *prophetiæ* intelligitur tantummodo revelatio eventuum futurorum: unde S. Gregorius P. Hom. I. super *Ezechielem* dicebat: *cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito, vel præsenti loquitur, rationem sui nominis omittit*.

Propheta hebraice vocabatur ראה *Roeh videns*, postea autem dictus est נביא *Nabi Propheta* 1. *Regum* IX. 9. Hæc vox multiplici sensu invenitur, proprie tamen eum designat, *qui per Spiritus sancti revelationem, quod futurum est, prænuntiat*. Ita S. Basilius in capit. III. Isaiæ n. 192. Tom. I. inquiens: *Propheta est, qui juxta Spiritus Sancti revelationem futurum prænuntiat*. Latius hanc vocem accepit S. Augustinus, quando prophetam definivit *enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire*. Quæst. XVII. *in Exodum* Tomo III.

(b) Non solum increduli hanc divinæ revelationis notam explodere nituntur, quia veras prophetias non admittunt; sed vel inter ipsos Christianos inventi sunt, qui docerent, aut nullam, aut admodum exiguam prophetiis vim inesse ad probandam veritatem religionis Christianæ. Ita olim Theodorus Mopsuestenus hac etiam de causa in Synodo V. proscriptus. Pejus delirarunt Sociniani, certam futurorum contingentium præscientiam Deo denegantes. Sed maxime mirandum, atque dolendum, iis pollicem pressisse Hugonem Grotium, imo & Richardum Simonium, quos post magnum Bossuetum (*Instruct. Pastorale sur la Version du N. T. imprimée à Trevoux, & dissert. sur Grotius*) refutavit P. Baltus in opere: *Defense des prophéties de la religion chretienne* vol. 3. in 12. Vid. etiam Pet. Dan. Huetius in *Demonst. evang.* Proposit. VII.

(c) Quia non solum Naturalistæ, sed quidam etiam ex iis, qui revelationem admittere se profitentur, prophetias esse ejusdem divinæ revelationis notas inficiantur, ideo solent aliqui non inepte ad eos revincendos etiam plura sanctor. Patrum testimonia afferre, qui maximam in prophetiis vim esse agnoverunt ad religionem nostram comprobandam. Allegantur autem præcipue S. Justinus in *Apologia* I. num. 30. Lactantius

(*a*) prophetias nihil aliud esse blaterant, quam fanaticorum hominum deliria ex vivida imaginatione, ac fervida phantasia orta; aut circulatorum fraudes, qui cum multa prædicere soleant, casu nonnunquam in veritatem collimant.

266. Resp. Ad hanc objectionem diluendam sufficit vel leviter percurrere, quæ Isaias, Jeremias, Daniel, de Cyro, Alexandro, Antiocho, aliisque Regibus, tum de variis magnisque regnorum revolutionibus multo antea prædixerunt, & quidem tam accurate, ut Porphyrius, Julianus, aliique Ethnici obcæcati putaverint, hujusmodi vaticinia fuisse post rerum eventum conficta. Quæ eorum opinio, quanquam omnino falsa, & quæ facile refelli potest, probat invicte contra nostræ ætatis Incredulos, ea vaticinia ineptissime fallacibus circulatorum fraudibus, aut fanaticorum deliriis comparari. Sed adhuc magis divina veterum Prophetarum inspiratio in iis apparet, quæ de futuro Messia, de ejus nativitate, doctrina, prædicatione, miraculis, passione, morte, resurrectione, ac gloria cum omnibus plane circumstantiis prænunciarunt; ut omnino desipiant, qui hæc vaticinia aut ex æstu phantasiæ orta, aut casu tantum fortuito vera fuisse comminiscuntur (*b*).

267. Sunt quidem nonnulla Sanct. Patrum testimonia, quæ prophetiam naturalibus causis adscribere videntur. Sic Sanctus Gregorius Papa Lib. IV. *Dialog.* cap. 26. *ipsa*, inquit, *aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid prævidet*; quod postea quibusdam exemplis confirmat. Ex S. Augustino Lib. XIII. de Genesi ad litteram cap. 13. Tom. III. afferuntur hæc verba: *animæ humanæ, secundum quod a sensibus corporis abstrahitur, competit futura prævidere.*

268. Sed hæc, & si quæ sunt alia hujus generis, intelligi debent de prophetia minus proprie sumpta, qua scilicet cognoscuntur eventus futuri in propriis causis, sicut medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento præcognovit. Differt autem hæc prophetia ab alia vera, & propria, quia non se extendit ad omnes eventus, sed ad quosdam dumtaxat, qui naturaliter prævideri possunt: deinde etiam, quia non est omnino certa, & infallibilis. Vid. S. Thomas 2. 2. qu. 172. articul. 1.

269. Hanc esse S. Gregorii mentem, liquet ex eo, quod hanc prævisionem naturalem ibi distinguit a *revelatione*, qua nonnunquam animæ ventura cognoscunt.

270. Verba autem, quæ ex S. Augustino objecta sunt, non inveniuntur in loco laud. ubi potius examinat opinionem eorum, qui volebant, *animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa*; & postquam varios modos discussit, quibus id fieri posse dicunt, concludit, *nihil temere affirmari oportere* (*c*).

271. Instat vero recutitus Spinoza. Si prophetiæ non oriuntur ex causis naturalibus, sed ex revelatione divina, unde fit, ut tam varius sit, & diversus earumdem stylus, prout diversus est Pro-

Lib. V. *Divin. institut.* c. 3. S. Augustinus Lib. XIII. *contra Faustum* cap. 2. Tom. VIII. Origenes Lib. VI. *contra Celsum* n. 10. Lib. VIII. n. 48. & Tertullianus in *Apologet.* capit. 20. Et multo plura affert Pet. Dan. Huetius in *Demonstr. Evang.* Prop. VIII. n. 5. Nos tamen hæc omnia omittimus brevitatis caussa, præcipue cum hic contra Naturalistas disputemus.

(*a*) Cum impio Spinoza in *Tractatu theologico-politico* cap. 1. quem tamen veteres aliqui Philosophi in hac prava opinione præcessserunt, ut videre est apud Plutarchum *De oraculorum defectu*.

(*b*) Operæ dispendium facerem, si multis refellendum susciperem improbum, ac petulantem scurram Voltairium, qui in *Philos. de l' histoire*, *in Diction. philosoph.* aliisque impiis suis operibus sanctos Prophetas risui exponere conatus est. Sic Isaiam deridet, quod nudus per civitatem ambulaverit cap. XX. multoque magis Ezechielem, quod cap. IV. jussus sit comedere panem opertum stercore humano, pro magno beneficio obtinuerit, loco stercoris humani adhibere stercus bovis. Et ita pergit suo modo, aliquid omnibus exprobrans.

Sed primo ignorare non debuisset Voltairius morem Orientalium utendi allegoriis, non solum in verbis, sed etiam in factis. 2. Prophetas hæc egisse, ut res significatæ animos hominum acrius percellerent. 3. Multa in visione tantum contigisse, quanquam ita describantur, perinde ac si dicta, vel facta reipsa fuissent. Ut autem veniamus ad duo exempla proposita, nuditas Isaiæ non ita presse accipienda est, quasi omni prorsus veste expoliatus per civitatem deambulasset, sed quod saccum suum, seu pallium propheticum deposuerit una cum calceamentis, sola retenta interiore tunica. Simile exemplum suppeditat Scriptura sacra 2. *Regum* VI. 20. ubi David dicitur *nudatus* fuisse ante arcam Dei, cum tamen ibidem v. 14. dicatur *accinctus ephod lineo*. Etiam exempla similia occurrunt apud profanos scriptores. Virgilius enim *Georgicorum* L. I. inquiebat: *nudus ara, sere nudus, hyems ignava colono*. Et Seneca Lib. V. *de beneficiis* cap. 13. ut probet, quædam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehendi, *sic*, inquit, *qui male vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit*. Ezechiel autem jussus est comedere panem, non proprie *coopertum stercore*, ut nostra Biblia Vulgata habet, sed ut hebraica vox חעונבת significat, *coctum* sub stercore exsiccato, & combusto, ad indicandam extremam lignorum penuriam, quæ futura erat. Contra has, aliasque Voltairii malignas ineptias videri possunt François *Observations sur la Phylosophie de l'histoire &c. & les Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire* T. I. Lettre IX.

(*c*) Observat S. Thomas ib. ad 1. *quod anima, quando abstrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum, & etiam ad percipiendos subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur, a quibus percipiendis anima impeditur, cum fuerit circa sensibilia occupata. Et ideo Gregorius dicit* Lib. IV. *Dialog.* cap. 26. *quod anima, quando appropinquat ad mortem, præcognoscit quædam futura subtilitate suæ naturæ*.

Prophetarum genius, & diversa educatio? Isaias ex. gr. liberaliter educatus nobiles habet, & sublimes imagines; Amos contra *armentarius* humiles, & vitæ suæ accommodatas, ut etiam observat Glossa in ejusdem Amos cap. I. Hinc quoque scimus, fuisse apud Hebræos scholas, in quibus ars prophetandi edocebatur; *& grex Prophetarum* occurrit Sauli 1. Regum X.

272. Respondet S. Thomas 2. 2. qu. 172. art. 3. ad 1. *indifferens esse ad prophetiam quibuscumque similitudinibus res prophetica exprimatur; & ideo homo ex operatione divina non immutatur circa prophetiam: removetur autem divina virtute, si quid prophetiæ repugnat.*

273. Ceterum S. Augustinus Lib. IV. *de Doctr. Christ.* cap. 7. Tom. III. ut ostenderet, sacris scriptoribus non deesse simul cum sapientia eloquentiam, exemplum sumpsit ab ipso Amos, qui cap. VI. opulentos, & optimates non minus diserte, quam graviter objurgat, & ita concludit S. Pater n. 21. *neque enim hæc humana industria composita, sed divina mente sunt fusa, & sapienter, & eloquenter, non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia.* Videri etiam potest ejusdem Amos caput ultimum, ubi sublimibus imaginibus primo justitiam Dei ultricem exponit, quam nullus impiorum effugere potest; deinde ejusdem Dei misericordiam, qua eum suscitaturum prædicit tabernaculum David, & reædificaturum illud sicut in diebus antiquis.

274. Falsum autem omnino est, prophetandi artem fuisse apud Judæos in scholis edoctam; sed adolescentes tradebantur Prophetis in pietate instruendi; ex quorum numero nonnunquam Deus aliquos eligebat, quibus futura revelaret; atque istorum cœtus erat verosimiliter ille Prophetarum grex, qui obviam factus est Saul (1. *Regum* X.) inter quos quidam erant spiritu prophetiæ a Deo donati; alii vero psalmos & hymnos in Dei honorem canebant. Nec insolens est in sacris litteris, ut nomen prophetæ iis tribuatur, qui hymnis, & canticis quasi enthusiasmo quodam abrepti Deum magnificabant; ut illi Prophetæ erant quorum mentio fit *Num.* XI. & de quibus dicebat Moyses vers. 29. Quis *tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Vid. Estius in hunc locum.

275. Inst. 2. Si prophetia a causis naturalibus non pendet, eccur Eliseus prophetare volens petiit, sibi adduci psaltem, & nonnisi eo canente sua oracula fudit? Lib. 4. *Regum* III. 15.

276. Resp. primo mirum esse, adversarios huic singulari Elisei exemplo inniti, cum in omnibus aliis tam multis prophetiis nullus omnino appareat naturalium causarum concursus. Deinde, quantum attinet ad aliarum exemplum, communis fere Interpretum opinio est, id fecisse Eliseum, cum pacandi animi sui causa, qui fuerat contra Regem Israel aliquanto commotior; tum etiam ut cantu illo sacro, cui Eliseus suas preces jungebat, a Deo spiritum propheticum impetraret. Neque enim putandum est, prophetiæ donum fuisse *habituale*, & permanens; sed ut loquitur S. Hieronymus (Lib. XI. in Ezechielem cap. 35. Tom. V.) *ob humanam fragilitatem, & vitæ hujus necessitates interdum recedebat ab eis* (a).

277. Frustra etiam laborant Increduli, dum aliqua Prophetarum oracula naturali perspicaciæ, aut humanis conjecturis tribuere conantur. Ut enim omnis cavillandi locus præripiatur, nos eas tantum prophetias, tanquam divinæ revelationis notas, statuimus, quæ futura contingentia respiciunt a sola divina voluntate, vel etiam a libero hominum arbitrio, quod nullatenus prævideri potuit, suspensa: quales ex. gr. sunt illæ, quæ ad venturum Messiam spectant, quæque ejusdem nativitatis tempus, & locum, actiones præterea, doctrinam, miracula, passionem, mortem, ac resurrectionem multis antea sæculis prænunciarunt, atque ita graphice descripserunt, ut nonnulli religionis Christianæ hostes eas post rerum eventum confictas fuisse dixerint. Quorum tamen commentum tota Judaica natio explodit; hæc enim illa oracula longe ante Christum natum edita fuisse testatur, & solum pervicaciter negat, eadem fuisse in Jesu Nazareno adimpleta.

278. Hinc patet etiam, ineptire Helvetium, dum (in libro, cui titulus *l' Esprit* disc. 5.) prophetias solis conjecturis inniti asserit; quemadmodum Themistocles prælium Salaminæ, & Scipio, quæ Carthagine eversa futura erant, longe ante præviderunt. Ineptit, inquam, Helvetius; quis enim non statim videat latissimum discrimen, quod inter hujusmodi prædictiones soli humanæ perspicacitati, & veri nominis prophetias intercedit?

279. Obj. 2. Non omnia Prophetarum vaticinia fuerunt adimpleta, quod luculenter demonstrat, ea non fuisse ex divina inspiratione, sed ex humanis conjecturis profecta. Sic Isaias falso prædixit Regi Ezechiæ proximam mortem (Isaiæ XXXVIII.) Jonas quoque deceptus est, dum urbis Ninive subversionem prædixit (Jonæ III.)

280. Ad hæc, prophetiæ sunt plerumque ita obscuræ, ænigmaticæ, ut ante eventum a nemine intelligantur. Sunt præterea sæpius æquivocæ, ut possint cuicumque eventui facile accommodari; cujusmodi erat illa Elisei 4. *Regum* VIII. 10. *vade, dic ei* (Benadab Regi Syriæ) *sanaberis; porro ostendit mihi Dominus, quia morte morieris.* Demum si in sensu literali adimpletæ non fue-

(a) Hujus rei plura suppetunt exempla. Sic Daniel (cap. II. 17. & seq.) ut obtineret donum explicandi somnium Nabuchodonosor, hortatus est Ananiam, Misaelem, & Azariam, *ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli ... Tunc Danieli mysterium per visionem revelatum est.* Jeremiæ etiam Deus ita jubet: *clama ad me, & exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia, & firma, quæ nescis.* Cap. XXXIII. 3.

fuerint, præsto semper est sensus typicus & mysticus, qui illis possit accommodari (*a*).

281. Resp. primæ objectionis parti, Isaiam prædixisse mortem Ezechiæ regis, prout reipsa futura erat ex causarum naturalium dispositione; sed Deus fletu, & precibus Ezechiæ ad misericordiam conversus miraculo ei sanitatem restituit, & quindecim vitæ annos adjecit. Hoc revelatum fuit eidem Isaiæ, qui hanc sibi factam revelationem notissimo prodigio confirmavit, quando scilicet Regi optionem dedit, an vellet, umbram in horologio Achaz decem lineis ascendere, an vero totidem reverti gradibus? Cumque hoc secundum Rex elegisset, reipsa umbra solis reversa est decem gradibus, prout Isaias jusserat ( 4. *Regum XX.* ) Non ergo latuit Prophetam totius rei eventus, & prout erat in dispositione causarum secundarum, & prout erat in æterno Dei decreto.

282. Subversio Ninive reipsa futura erat, nisi Ninivitæ Dei iram pœnitentia placassent; ut proinde, illa prophetia non *absoluta* fuerit, sed *conditionata*; ita enim intelligendas esse hujusmodi prophetias, Deus ipse nos docet ore Jeremiæ inquiens cap. XVIII. 8. *si pœnitentiam egerit gens illa... agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Sed hoc fusius explicat S. Thom. 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2.

283. Alteri difficultati resp. nonnullas prophetias esse obscuras, sive propter rerum in iis contentarum sublimitatem, utpote quæ naturæ vires omnino superant, sive propter aliquas circumstantias, quas Deo revelare non placuit, sive aliis de causis. Multæ tamen sunt omnino apertæ, & perspicuæ, ut eæ, quibus infra demonstrabimus divinam revelationem in sacris literis utriusque testamenti nobis factam, & istæ sunt ad nostrum propositum plusquam satis.

284. Verum autem non est, eas prophetias fuisse æquivocas, & flexiles ad omnem eventum, cujusmodi erant vana idolorum vaticinia. Quod de Elisei prædictione objectum fuit, hunc habet sensum: *ægritudo Regis Benadab non est mortalis; ipse tamen morietur alia de causa*. Quod reipsa evenit, Rege ab Hazael suffocato; cui Hazaeli Eliseus & regnum prædixit, & atrocia mala, quæ illaturus erat populo Israel. Eventus autem prædictioni omnino respondit.

285. Concedimus, aliquas prophetias esse typicas, & mysticas, ut erant sacrificia, & cæremoniæ veteris Legis. Multæ tamen sunt literales, & apertæ, ut quicumque non fuerit suis præjudiciis omnino excæcatus, earum sensum cognoscere possit, etiam antequam impleantur. Sic erant illæ, quæ Messiam respiciebant. Sic etiam κατὰ τὸ ῥητὸν *litteraliter* pronunciatam sæpius habemus præsentem, quam quisque videt, populi Israelitici dispersionem, & obcæcationem. Sic denique, ut plura alia omittam, tam in veteri, quam in novo fœdere apertissime promissa fuit vocatio Gentium, ut locum reprobatæ Synagogæ occuparet. Quænam in his omnibus obscuritas, aut ambiguitas est? Augetur etiam claritas prophetiarum, quando omnes simul conferuntur, ut una lucem mutuetur ab altera (*b*).

286. Instab. Si Prophetiæ de Messia venturo erant, ut nos dicimus, ita perspicuæ, unde factum est, ut integra Judæorum natio earumdem sensum assecuta non fuerit?

287. Resp. Judæos carnales Messiam expectasse, qui temporale regnum Israel restitueret, quod non fecit Jesus Christus. Hæc tamen Judæorum excæcatio, & reprobatio fuit sæpius a veteribus Prophetis, & ab ipso Servatore nostro prædicta, ut proinde prophetiarum veritatem & ipse commendet. Conf. *Isaiæ* VI. 9. Matt. VIII. 11. XXI. 43. &c.

288.

(*a*) Ita auctor impii libri, qui anno 1724. prodiit inscriptus *Discours sur les fondemens, & les raisons de la religion chretienne &c.* quique Ant. Collinsio non sine causa tributus fuit. Contendit autem, omnes V. T. prophetias, quibus religio Christiana superstructa est, esse *typicas*, *allegoricas* atque *ænigmaticas*, ut proinde earum sensus nec naturalis sit, nec certis regulis possit determinari. Id evincere conatus est, plures afferens prophetias obscuriores, sed mala fide eas omittit, quæ præcipuæ sunt, & quas claras esse, atque ad litterarum apicem impletas nullis cavillationibus inficiari poterat.

(*b*) Hoc loco minime prætereunda est insana temeritas auctoris libelli *de l'examen de la religion*, qui cap. 7. ut probet, in prophetis meras contineri allegorias, speciminis loco adducit ea verba Psalmi XCII. *Dominus regnavit, decorem indutus est*, quæ ab Ecclesia explicari dicit *mystice* de gloria, quam Christus dum in cruce penderet, sibi acquisivit; ita enim canit: *impleta sunt, quæ concinit David fideli carmine, dicendo nationibus: regnavit a ligno Deus*. Sed turpiter hic religionis examinator fallitur, primo in eo, quod putet in hoc hymno allegari verba Psalmi XCII. cum potius citentur alia Psalmi XCV. 9. *dicite in nationibus, quia Dominus regnavit*. Ulterius quanquam illud *a ligno* non inveniatur in nostris Bibliis, certum est tamen, ita lectum olim fuisse a S. Justino in *Dial. contra Trifonem*, & in II. *Apologia*, a Tertulliano *contra Judæos* cap. 2. a S. Augustino in hunc Psalmum, a S. Leone M. Serm. IV. *in Passione Domini*, a Sanct. Gregorio M. Lib. I. in Ezechielem, aliisque veteribus Patribus. Extant ea verba in antiquis Psalteriis Cophtorum, Gothorum, Veronensi græco-latino, & Vaticano, ut testatur Jos. Blanchinius in epistol. ad Ant. Franc. Gorium in *Evangeliario* pag. CXXIII. Imo Cassiodorum in *Comment.* ad hunc Psalmum *in auctoritate LXX. Interpr. firmatum esse*, asserit. Denique in *Vetere Italica* a Card. Thomasio an. 168. & a Petro Sabbathier ann. 1740. edita hæc verba a *ligno* adhuc leguntur in laud. Psalmo XCV. Addo, non omnia, quæ in hymnis, aut aliis Breviarii precibus leguntur, tanquam totidem Ecclesiæ definitiones accipienda esse. Hymnus *Vexilla Regis prodeunt*, ubi allata verba continentur, auctorem habet Venantium Fortunatum, qui Sec. VI. illum pro S. Radegunde Galliæ Regina concinnavit.

288. Dices. Nonne contingere potest, quemadmodum temporibus Achab, & Josaphat (3. Regum XXII.), ut omnes prophetæ a malo spiritu decepti mentiantur?

289. Resp. Id contingere posse pseudoprophetis, quos Deus permittit a spiritu mendacii decipi; non autem veris Prophetis, quorum mentes Deus ipse lumine prophetico illustrat, & linguam movet, ut vera prædicant. Sic in allato exemplo contra omnes Prophetas mendaces stetit Michæas Propheta Domini, qui vera prædixit; quanquam permittente Deo Prophetæ mendaces auditi sunt, Michæas vero, quia prædicebat malum, fuit in carcerem conjectus.

290. Obj. 3. Voltairius (in *Philosophia historiæ* cap. 31.). Quod nondum est, nihil est; sed nihil nec prævideri, nec prædici potest: nulla ergo sunt futurorum vaticinia.

291. Resp. Primo, mirum esse, non vidisse Voltairium, hoc sophismate etiam evinci, non posse cognosci præterita, quia non amplius sunt. Deinde quæ prævidentur a Deo & nobis revelantur futura, sunt suo modo, scilicet in suis causis, potissimum autem in æternis Divinæ voluntatis decretis, quæ sunt prima, & efficacissima causa futuritionis omnium rerum. Sed otio, & litteris abutuntur minuti isti Philosophi, dum vaticinia ἀδύνατα impossibilia esse probare nituntur, quæ tamen olim extitisse, atque adimpleta postea fuisse, nonnisi sublata omni fide historica, inficiari non possunt.

292. Obj. 4. cum Rousseavio (Tom. III. *de l'Emilie*). Ut ex prophetiis certum aliquod eliciatur argumentum, tria concurrere oportet; scilicet primo nos ipsos testes esse debere prophetiæ, quando editur, ne aliorum fide decipiamur; multa enim vana fingi post rerum eventum vaticinia, experientia nos docet: secundo nos pariter testes esse debere eventus, quando prophetia adimpletur: tertio demum certo nobis constare, eventum non potuisse naturali via prævideri, aut casu fortuito cum prophetia conjungi. Atqui hæc tria simul concurrere aut vix, aut nullatenus possunt; ergo &c.

293. Resp. primo hæc tria concurrere aliquando posse, ut vult Genevensis Philosophus. Sic filii Noe audiverunt prædici diluvium, atque ipsum propriis oculis conspexerunt, & certi erant de supernaturali causa, ut proinde nec prævideri naturaliter, nec casu evenire potuerit. Ac prætermissis aliis exemplis, Apostoli a Christo sibi prædici audiverunt ejus resurrectionem, eamque postea prædictionem completam viderunt, non utique fortuito, aut naturali virtute, ut res per se loquitur.

294. Præterea necesse minime est, ut qui prophetias adimpletas vident; eas etiam propriis auribus a Prophetis audiverint; sed sufficit, ut eas olim fuisse editas, certissime norint. Quam certissimam cognitionem nos habemus de prophetiis tam in veteri, quam in novo Testamento contentis, ut nulla alia res historica certioribus nitatur argumentis.

295. Obj. 5. Innumera fere, quæ Ethnici jactare solebant, deorum vaticinia, aruspicum auguria, & fatidica vatum oracula, quorum veritatem comprobavit eventus. Hinc colligi videtur, prophetias non esse certas divinæ revelationis notas, cum sint etiam superstitiosis deorum cultibus communes. Pauca breviter commemorare, non erit inutile.

296. Primo celebre illud fuit Vetii augurium, quando (referente Varrone Lib. XVIII. *Antiquit.*) ex duodecim vulturibus a Romulo visis Romanum imperium duodecim sæculis permansurum prædixit. Id innuit etiam Livius Lib. I. cap. 7. Reipsa autem duodecim fluxere sæcula usque ad Valentinianum III. sub quo Roma a Genserico Vandalorum Rege capta est.

297. Aliud narrat Flavius Josephus L. XVIII. *Antiq. Judaicarum* cap. 6. majori etiam consideratione dignum: scilicet cum Agrippa vinculis tentus præ languore reclinatus esset ad arborem, quidam natione Germanus bubonem in arbore conspicatus Agrippæ futuram prosperitatem prædixit, eumque monuit, ut cum eamdem volucrem denuo vidisset, sciret, se quinque post dies moriturum. Hæc omnia, ut prædicta erant, reipsa, evenerunt; teste enim eodem Josepho, Agrippa a Cajo Tiberii successore vinculis solutis regium diadema obtinuit, ac feliciter postea regnavit, donec in urbe Cæsarea cum spectacula ederet, oculis in altum sublatis bubonem supra caput funiculo insidentem conspexit, eoque viso se post quinque dies moriturum intellexit, quod reipsa etiam contigit.

298. Demum Plutarchus narrat (Tomo I. *de oraculorum defectu*), Thamum quemdam, cum prope insulas Echinadas navigaret, fuisse ab ignota voce jussum, ut cum ad portum Palades appulisset, magnum Pana esse mortuum nunciaret. Thamo autem id nunciante, fuisse confusum multorum gemituum auditum.

299. Resp. primo, quo plura apud Ethnicos hujusmodi vaticinia spargebantur, eo minorem apud viros emunctæ naris fidem invenisse; qua de re sufficit legere Ciceronis librum II. *de Divinatione*, ubi augures, aruspices, & vates salse, & erudite deridet. Observat item, plerumque oracula hujusmodi fuisse ita ambigua, & obscura, ut *interpres egeret interprete, & sors ipsa ad sortem referenda esset*. Nonnunquam etiam ita fuisse flexiloqua, & æquivoca, ut cuicumque eventui adaptari possent. Porphyrius item, qui *de Philosophia ex oraculis petita* librum conscripsit vanitatem oraculorum negare non potuit, ut Eusebius refert lib. VI. *Præparat. Evangel.* cap. 5.

300. Præterea multa dæmonum ope vaticinia edi poterant; isti enim acutissimi, & sagacissimi spiritus possunt plurima ex causarum concursu præ-

prævidere, & Deo permittente prædicere (a). Reipsa fuisse multa ope dæmonum prædicta, vel ex eo liquet, quod post Christi adventum, sin minus omnia, saltem pleraque, & celebriora apud Ethnicos oracula repente siluerunt; prout Tertullianus in *Apologetico* cap. 22. Minutius Felix in *Octavio*, & Eusebius Lib. V. *Præparat. Evangel.* cap. 1. testatur.

301. Demum aliquæ prædictiones naturali hominum prævisioni tribui possunt, aut fortuito adimpletæ sunt. Ceterum adversarios fidenter provocamus, ut vaticinia adferant iis similia, quibus divina nostræ sanctæ religionis revelatio comprobatur.

302. Quantum vero attinet ad primum vaticinium de Imperii Rom. duratione per duodecim sæcula, primo Livius loco cit. nil tale habet, solum Remo sex vultures augurio venisse, duodecim autem Romulo. Quid porro hoc augurium portenderet, plane silet. Deinde, etiamsi de duodecim sæculis durationis imperii Romani augurium fuisset explicatum, illius exitus potius casui, quam veræ, & supernaturali prævisioni esset adscribendus. Ceterum finis imperii Romani male ponitur sub Valentiniano III. Illi enim successerunt Maximus, Avitus, Julius Majoranus, Severus III. Procopius Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, ac tandem Augustulus, qui ultimus fuit Occidentis Imperator, ac sub eo extinctum vere fuit imperium Romanum anno Christi 476. a Roma autem condita 1229.; unde patet, imperium Romanum durasse supra duodecim sæcula.

303. Majus videretur negotium facere prophetia illius *Germani* a Flavio relata, si firmis inniteretur monumentis. Certe operæ pretium erat, ut Flavius aliquod saltem innueret grave testimonium, quo hanc prædictionem factam fuisse, credere tuto possemus. Sed ille nullum testem adhibet, & quod plus est, rei tam singularis nulla invenitur apud alios auctores mentio. S. Lucas in *Actis Apost.* XII. Agrippæ mortem describit, de bubone autem supra caput ejus insidente ne verbum quidem facit. De illo etiam silet Eusebius Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 10. Imo hic auctor locum Josephi exscribens, Agrippam vidisse dicit *Angelum* capiti suo superstantem. Nescio autem, an in suo codice ita legerit, an vero Flavii testimonium mutuare ausus fuerit. Ceterum augurem Germanum in eo saltem falsum fuisse comperimus, quod Agrippæ prædixerit, liberis suis relicturum opes; cum tamen eodem Josepho referente Lib. XIX. cap. 8. sciamus, Agrippam ære alieno gravatum interiisse.

304. Postremum, quod Plutarchus refert de Thamo, contigit in morte Christi, & si Huetium audiamus (*Demonstrat. Evang.* Prop. IX. c. 156.) voluit Deus eum Gentibus hoc miraculo palam facere (a). Solertissimus tamen Tillemontius (Tom. I. *Des memoires &c.* art. 21. sur J. C.) parum verisimile judicans, Deum voluisse, sub nomine falsi numinis Pan Jesum Christum significari, potius credit simul cum Eusebio, fuisse dæmones a Deo adactos, ut hoc modo prædicarent horribilem cladem, idololatriæ per Christi mortem illatam (vid. Lib. V. *Præpar. Evang.* cap. 17. ubi *Thamnum*, loco *Thami scribit*). Demum non desunt, qui cum Ant. Van-Dale nullam Plutarcho fidem hac in re adhibendam esse censeant. Huic sententiæ subscribit etiam Hyacinthus Serry *Exercit.* LVIII. *de Christo &c.* n. 8. Tom. III. *Operum* edit. in fol. Lugduni, seu Venetiis 1770.

305. Dices. Plutarchus laud. opusc. *de Oraculorum defectu* narrat, quemdam Ciliciæ præfectum misisse libertum ad tentandum Mopsi oraculum, quod tunc celebre erat, cum obsignata tabella, in qua sciscitabatur, candidumne, an nigrum taurum immolaret? Mopsum autem tabella minime reserata, aut inspecta respondisse, *nigrum*; ostendens, se nemine indicante jam præcognovisse, quid in tabella contineretur.

306. Resp. Hæc, & similia responsa callidæ sacrificulorum fraudi esse adscribenda; cogebant enim percunctatores obsignatas tabellas in ara deponere, mirabili autem arte sigillo ablato, iterumque reposito, interrogationes facile cognoscere poterant, illisque apposite respondere (b). Notæ sunt etiam æquivocationes, & ambiguitates, sub quibus plerumque edebantur oracula, ut omnibus eventibus possent facile adaptari; ut illud, *ajo, te Æacida Romanos vincere posse*; vel illud, *Crœsus Halim penetrans magnam pervertet opum vim*, & hujus generis permulta.

307. Nec demum illud prætermittendum, quamplurima falsorum Numinum vaticinia prænunciato eventu omnino caruisse. Unum affero ex S. Augustino (Lib. XVIII. *de Civ. Dei* cap. 53. Tom. VII.). Gentiles ex dæmonum responsis quosdam versus græcos divulgaverant, quibus prædicebatur, Christi nomen post 365. annos esse oblivio-

(a) Hæc communis fere omnium fuit opinio, cui tamen Ant. Van-Dale in dissert. *De Oraculis*, ann. 1683. ejusque epitomator Fontenellus *dans l' hist. des oracles*, & nonnulli alii refragati sunt, contendentes, decantata Gentilium oracula non ope dæmonis, sed sacrificulorum fraudibus edita fuisse. Consuli possunt Cælius Calcagninus in lib. *de Oraculis*, Honoratus a S. Maria, P. Baltus, aliique, qui novam hanc opinionem erudite, ac solide impugnarunt.

(a) Hanc sententiam tenet etiam Ger. Jo. Vossius *de Theologia Gentili*, & *Physiologia Christiana* Lib. VII. cap. 3.

(b) Lucianus in *Pseudomat.* hujusmodi artem nobis descriptam reliquit: *Acu ignita*, inquit de Alexandro famoso impostore, *partem ceræ, quæ intra signum est, ubi liquefecit, signum ipsum detraxit, lectoque libello, acus ope liquefactam iterum ceram, tum quæ infra sublimo est, eam, quæ sigillum ipsum continet, facile conglutinavit.* Pergit Lucianus alios modos describens, quibus libelli intacto sigillo recludi possunt.

vione delendum. Hoc vaticinium memorant etiam Baronius ad an. 313. num. 17. & Bossuetus in explicat. cap. XVII. *Apocalypsis*; cujus tamen falsitas satis ex seipsa apparet.

308. Obj. ult. Difficile, imo impossibile videtur, modum determinare, quo Prophetæ de divina inspiratione sibi facta certi esse possint, quin timere debeant, sibi a falso aliquo spiritu illudi. Nec minus difficile nobis est, inter veras prophetias, & fallaces quorumdam frandes, aut etiam aliorum illusiones certo distinguere.

309. Resp. primæ objectionis parti, haud difficile fuisse Prophetis divinam inspirationem, ac futurorum revelationem ab illusionibus dæmonum discernere. Et primo quidem ex miraculis, quibus Deus eos certos de voce sua reddere aliquando dignatus est, ut Moysem *Exodi* IV. & Gedeonem *Judicum* VI. Deinde cum ab alio Propheta jam probato ad munus prophetandi assumebantur, ut contigit Josue, quem Moyses jussu Dei plenum spiritu sapientiæ declaravit *Num.* XXVII. & Eliseo, cui Elias munus prophetandi detulit, suo pallio super illum immisso 3. *Regum* XIX. 19. Tertio cum videbant suas prophetias ab aliis veri Dei prophetis probatas & commendatas. Denique, ut Sanctus Gregorius Magnus Lib. IV. *Dialog.* cap. 48. recte observat, *Sancti viri inter illusiones, atque revelationes, ipsas visionum voces, aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiantur* (Tom. VI. edit. Ven. in 4. 1679.) (a).

310. Varii etiam sunt characteres, quibus possimus nos veros Prophetas a falsis distinguere. Primus est doctrinæ illius, in cujus confirmatione eduntur prophetiæ sanctitas, & puritas; ut nihil contineat rectæ rationi, ac divinæ revelationi contrarium. Hinc Moyses *Deuter.* XIII. Prophetas, qui vaticiniis suis ab unius Dei cultu abducere volebant, audiendos non esse jubebat. Et Christus Dominus *Matth.* VII. 15. monebat, attendendum esse a falsis Prophetis, qui cognoscuntur ex fructibus. Demum S. Paulus *ad Gal.* I. 8. anathema dicit etiam Angelo, si aliud evangelizaverit.

311. Sed quia permultis nonnunquam difficile est, ex doctrinæ puritate, & sanctitate veritatem prophetiæ agnoscere, ideo Deus alios etiam, ne erremus, dedit veræ prophetiæ characteres. Nempe attendendus est aliquando rei prædictæ eventus; unde Dominus dixit Moysi *Deut.* XVIII. 22. *hoc habebis signum; quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui Propheta confixit.* Sic contra, quando aliqui Prophetæ, ut Joseph, Daniel, vera jam prædixisse inveniuntur, etiam in reliquis vaticiniis fidem merentur. Tertio multo magis fidem merentur, qui stupendis miraculis sua vaticinia confirmant, ut fecerunt inter alios & præ aliis Moyses, & Christus. Quarto etiam mores Prophetarum attendi debent; ut nulla nempe in iis sit avaritiæ, superbiæ, adulationis, aut alterius vitii suspicio; sed contra vita proba, & sancta; præcipue autem si mala quæque hujus vitæ perpeti sint parati propter gloriam Dei. Sic S. Paulus in *epist. ad Hebræos* XI. 35. veteres Prophetas commendat; & sic ipse Sanctus Paulus, cæterique Apostoli, & Prophetæ novi Testamenti se commendandos, & fide dignos reddiderunt (b).

## DISSERTATIO III.

*Qua ostenditur, divinam revelationem, tam in veteri, quam in novo testamento factam esse.*

1. *Multifariam*, inquiebat Apostolus initio suæ Epistolæ ad Hebræos, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, quibus verbis omnes revelationes a Deo factas ad duo tempora refert, scilicet ad vetus testamentum, in quo Deus loquebatur in *Prophetis*, & ad novum, in quo locutus nobis est in unigenito Filio suo.

2. In veteri testamento possumus omnes revelatio-

(a) Variis modis consuevit Deus suos Prophetas alloqui, iisque nonnulla revelare. *Primo* in somniis, ut Abraham, & Jacob *Gen.* XV. 12. & XXVIII. 12. *secundo* in visione, ut Isaiæ VI. 1. *tertio* in extasi, ut S. Petro *Actor.* X. 10. *quarto* in caligine nubis, ut Moysi *Exodi* XIX. 9. vel in turbine, Job XL. 1. *quinto* in voce, ut Moysi *Exodi* XXXIII. 11. & alias sæpe, ac Samueli 1. *Regum* III. 4. demum absque ullo signo exteriore, per solam internam inspirationem, quæ in mentis illustratione, ad res futuras cognoscendas, atque in voluntatis motione ad eas manifestandas sita erat. Hinc Jeremias cap. XX. 9. cum non amplius loqui vellet in nomine Domini, seu prophetare, resistere tamen non potuit divinæ motioni: *& factus est*, inquiebat, *in corde meo, quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Legantur S. Thomas 2. 2. quæst. 173. & S. Augustinus initio Lib. II. ad Simplicianum. Tomo VI.

(b) Præclare Lactantius Lib. I. *Div. instit.* c. 4. *Voluntas fingendi, ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, qui lucra desiderant: quæ res procul ab illis sanctis viris abfuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessariis, non modo in futurum, sed ne in diem quidem laborarent, contenti de temporali cibo, quem Deus subministrasset: & hi non modo quæstum nullum habuerunt, sed etiam cruciatus, atque mortem &c.*

De Prophetia fuse agit S. Thom. 2. 2. qu. 171. 172. 173. & 174. in quibus omnia exponit, quæ ad essentiam, causam, modum, & divisionem prophetiæ pertinent, ut nihil desiderandum relinquat. Legi etiam meretur P. Thomas Maria Cerboni T. I. *Theol. revelatæ* Lib. I. qu. 2. artic. 3.

tiones ad quatuor quasi epochas reducere; quarum prima complectitur tempus a creatione hominis usque ad Abraham; altera ab Abraham usque ad Moysem; tertia respicit Moysem solum, cui Deus legem scriptam dedit; postrema omnes Prophetas, qui a Moyse usque ad Christum floruerunt.

3. In novo autem testamento hæc distinctio temporum locum non habet, quia tota quanta est revelatio, facta fuit ab Apostolis, aut per Jesum Christum Salvatorem, ac Magistrum nostrum, aut per Spiritum Sanctum ab eo missum. Apostoli autem eamdem reliquerunt Ecclesiæ partim in sacris literis Nov. Test. & partim etiam orali traditione, ut ulla proinde in Ecclesia admittenda sit nova revelatio, saltem quæ ad omnes fideles pertineat.

4. Primo igitur dicemus de revelatione a Deo facta in antiquo fœdere, post autem de alia. Et quoniam singulos V. T. libros expendere nimis longum esset; & ad rem nostram contra Naturalistas parum necessarium, ad solum Moysis Pentateuchum nos restringemus, in quo antiqua lex totaque Judæorum religio a Deo revelata continetur.

5. Cum autem hæc disputatio sit *de facto*, scilicet an divina revelatio Moysi facta sit, existatque in ejus *Pentateucho*, non alia exigenda est certitudo, quam moralis; quæ tamen tanta aliquando est, ut omnem prorsus excludat formidinem, atque illi, quæ in geometricis demonstrationibus habetur, æquiparari possit. Quæ enim propositio geometrica certior erit hoc facto, fuisse olim urbem Jerusalem a Romanis captam, direptam, atque incensam? (a) Hoc breviter prænotato sit.

## CAPUT I.

*Divinam revelationem factam fuisse Moysi, atque in Pentateucho existere, tum ex miraculis, tum ex prophetiis in eo contentis luculenter evincitur (b).*

6. Prob. prima pars ex maximis iis, & celebratissimis prodigiis, quibus Deus in Ægypto, in mari, & in deserto Moysis missionem, ac legationem confirmavit. Eorum enim veritas tot, tantisque certitudinis characteribus fulcitur, ut nihil firmius possit in historia desiderari. Ea enim non clam, & in angulo, aut coram paucis, vel in dissitis locis facta sunt, ut possit aliqua fraudis, vel mendacii suspicio esse; sed palam, totoque inspectante numerosissimo populo, eorumque memoria, ne ulla unquam posset oblivione deleri, ab ipso Moysis tempore annuis celebritatibus consecrata fuit.

7. Quis vero in animum sibi inducat, tantæ, tamque projectæ audaciæ fuisse Moysem, ut vellet populosissimæ Israeliticæ genti tam solemniter imponere, & palam dicere, atque scribere, se eam ab Ægyptiorum tyrannide in brachio forti subtractam, per medium mare siccis pedibus traduxisse, undis hinc inde instar solidi muri elevatis, totum inimicorum exercitum ab iisdem undis refluentibus oppressum, & submersum, aquas ad virgæ percussionem copiose e saxo erupisse, mannaque e cælo quadraginta annorum spatio pluisse (c), si horum omnium nec vestigium unquam, nec vola fuisset?

8. Quod si Moyses ita frontem impudenter exuisset, ut hæc omnia confingeret, anne adeo stolidi, omnisque sensus experies erant omnes Hebræi, ut sibi tam enormiter fucum fieri permitterent? Plane non homines, sed caules, & stipites eos fingere oportet, si ea miracula literis consignari permisissent, imo annuis solemnitatibus ipsi celebrassent, quæ ab impostore omnium maximo conficta esse noverant.

9. Sed fortasse verebitur aliquis, ne totus populus simul cum Moyse impie conspiraverit ad miracula illa ex integro fingenda, ut ita nomen Israelis coram Gentibus magnificaretur.

10. Veruntamen quis sibi persuadet, omnes in manifestissima hæc mendacia ita conspirasse, ut in multitudine prope infinita hominum, omnis sexus, ætatis, ac conditionis, nemo unus inventus fuerit, qui ea palam faciens maximam toti nationi infamiæ notam inureret? Anne illi, qui non pauci fuerunt, inquieti, obtrectatores, inobedientes, contumaces, rebelles occasionem hanc prætermisissent, qua se a Moysis jugo subtraherent, eumque æterna ignominia notarent?

11.

(a) Vid. brevis quædam dissertatio ad calcem libri *Des pensées sur la religion* de M. Paschal, cui titulus, *Qu'il y a des demonstrations d'une autre espéce, & aussi certaines, que celles de la géométrie*; tum P. Th. M. Cerboni *Theol. revel.* Tom. I. L. II. & Boullier *Traité de la certitude morale*.

(b) Has duas notas peculiariter selegimus, brevitatis gratia, alia, quæ afferri possunt, & solent, minime contemnentes; atque eam præcipue, quæ ex sanctitate, & sublimitate doctrinæ Mosaicæ deducitur, de qua videri possunt inter alios plures P. Antonius Valsecchius *De fundamentis religionis* Lib. III. & Jac. Leland *Nouvelle demonstration evangelique*, præcipue Tom. III. ubi ethnicam theologiam cum revelata comparat, & quantum ista illi superior sit, fuse, atque erudite ostendit.

(c) Aliud miraculum a plerisque celebratur, scilicet Israelitarum vestes toto eo tempore, quo in deserto morati sunt, nunquam fuisse vetustate detritas: idque aperte colligi volunt ex iis verbis *Deuter.* VIII. 4. *vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Imo S. Justinus in *Dial. cum Triphone* n. 131. addit, vestimenta cum adolescentibus simul crevisse, non minus quam cum cochleis crescant earum domus. Sed hæc, & id genus alia consulto omisimus, utpote non apud omnes certa; non desunt enim, qui laudata Deuteronomii verba intelligenda pu-

11. Ulterius quomodo suspicari possumus, hæc omnia fuisse litteris consignata ad Israelis gloriam mendaciorum ope amplificandam, cum in iisdem ipsissimis libris plurima, & nefandissima ejusdem populi scelera, ut rebelliones, blasphemiæ, fornicationes cum filiabus Moab, turpissimaque vituli aurei adoratio, sine ullo fuco palam manifestentur? Nonne id primum esse debuisset incredibilis illius conspirationis fundamentum, caute, quod turpe erat, occultari, ne si palam fieret, inanibus gloriosis figmentis fides detraheretur? Nullus itaque est suspicandi locus, decantata illa Moysis miracula fuisse dolo malo confícta.

12. Jam vero hæc omnia miracula fuisse a Deo facta ad confirmandam Moysis legationem, satis luculenter apparet ex cap. IV. *Exodi*, ubi Moysi dicenti: *non credent mihi*, *neque audient vocem meam*, Deus promisit, se ejus missionem miraculis comprobaturum. *Et si non crediderint tibi*, inquit vers. 8. *neque audierint sermonem signi prioris*, *credent verbo signi sequentis &c.* Quæ promissio omnino adimpleta fuit (a).

13. Prob. altera pars de prophetiis, quas plurimas a Moyse editas fuisse, atque eventu comprobatas, indubiis constat monumentis. Paucas seligam. Primo cum filii Israel territi ab iis, qui ad explorandam terram Chanaam missi fuerant, contra Moysem, & Aaron murmurassent; Moyses spiritu Dei plenus prædixit, neminem eorum, qui vigesimum annum jam expleverint, terram illam visurum, Caleb, & Josue duntaxat exceptis *Numer.* XIV. 23. *Deuteron.* I. 35.

14. Altera Moysis prophetia continetur *Lev.* XXV. 21. ubi jubet populo, ut postquam terram promissionis occupaverit, & septimo quolibet anno quiescat, neque agros serat, aut vineam putet, promittit autem, daturum Deum benedictionem anno sexto, ut faciat fructum trium annorum.

15. Tertio similem prophetiam continet aliud Moysis præceptum *Exodi* XXXIV. 23. ut tribus temporibus anni omnis masculus, deserta propria regione, appareret in conspectu Domini, in loco scilicet electo a Domino, addita promissione, quod nemo interea insidiabitur terræ eorum.

16. Quarto sæpissime Moyses prædixit populo omnes a Deo benedictiones, si in mandatis ejus permanserit; contra vero bella, clades, famem, exilia, omnisque generis calamitates, si ea violaverit *Deuter.* XXVIII. & XXIX. Ulterius vero addidit, hujusmodi comminationes minime effectu carituras, quia noverat, post mortem suam populum inique acturum *Deuter.* XXXI. 29.

17. Sane hæc vaticinia ejusmodi sunt, ut illorum exitus nulla ingenii perspicacia prænosci queat; fuisse autem opere completa, evidentissime constat. Nam quantum ad primum, lustrato toto populo in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho, nullus inventus fuit eorum, qui antea numerati fuerant a Moyse, & Aaron in deserto Sinai præter Caleb, Josue, prout refertur *Num.* XXVI. 64. & 65.

18. Secundum autem vaticinium, sicuti & tertium impletum fuisse, inde colligi debet, quod duæ illæ leges longo saltem tempore (b) servatæ fuerunt; servatæ autem certe non fuissent, si divinis promissionibus deficientibus, vel annonæ caritatem, vel hostium incursiones Israelitæ aliquando experti fuissent.

19. De quarta autem prophetia nimis longum esset dicere, & aliunde neminem latent populi Israelitici vicissitudines bonæ, & malæ, prout ipse Deo fidelis erat, aut rebellis.

20. Non erit tamen abs re terribilem illam comminationem commemorare, quæ legitur *Deuteronom.* XXVIII. 49. & seq. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu.... quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli.... donec te disperdat, & conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.... & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum....* *in*

rent de novarum vestium copia, quas divina providentia Israelitis in deserto suppeditavit. Ita inter alios censet Jo. Franc. Buddeus Lutheranus in *Histor. Eccl. V. T.* Periodo II. Sect. I. §. 30. Hos tamen falli puto; nimis clara sunt alia verba Mosis Deut. XXIX. 5. *Adduxit vos 40. annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt.*

(a) Præclare S. Thomas III. P. quæst. 43. art. 1. docet, divinitus concedi hominibus miraculorum potestatem, primo, & principaliter ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet. *Quia*, inquit, *ea, quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet, quod probentur per argumentum divinæ virtutis; ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur, esse a Deo: sicut cum aliquis defert litteras annulo Regis signatas, creditur, ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur.*

(b) Dixi *longo saltem tempore*, quia certum videtur fuisse postea legem anni sabbatici, sicut plerasque alias, neglectam. Imo id prævisum & prædictum a Moyse fuit; ita enim Israelitas allocutus est in eodem *Lev.* XXVI. 34. & seq. *tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, quomodo fueritis in terra hostili, sabbatizavit, & requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris, quando habitabis in ea.* Quibus verbis prædixit Moyses violationem præcepti de anno sabbatico, & hujus violationis pœnam, scilicet captivitatem, in qua terra sabbatizare, & requiescere debebat, idest inculta manere. Et quia captivitas, ut notum est, 70. annis duravit, hinc colligunt interpretes, 70. annos sabbaticos fuisse neglectos: quod etiam insinuatum videtur 2. *Paralipomen.* XXXVI. 21. Ceterum fuisse postea observata sabbata terræ, colligitur ex Libro Primo *Machabæorum* c. VI. 49. & 53.

*in angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus*. Hæc autem κατὰ τὸ ῥητὸν fuisse completa, omnes norunt; præcipue autem in obsidione Samariæ facta a Benadad Rege Syriæ 4. *Regum* VI. in obsidione Jerusalem a Nabuchodonosor *Baruch*. II. 3. & in postremo ejusdem urbis excidio sub Tito, de quo legendus Josephus Lib. VII. *de bello Judaico* cap. 7. Quis igitur Moysi insigni Prophetæ laudem denegabit? (*a*).

21. Ex his paucis colligi potest, quænam fides habenda sit Corn. Tacito, quando in lib. V. *Histor.* gentis Judaicæ originem, exitum ab Ægypto, Moysis miracula, & leges, ac populi Israelitici mores mendacissime describit. Imo mirabile plane est, hunc scriptorem, alioquin accuratum, maledicendi æstu abreptum nec sibi ipse constare. Narrat enim, Judæos in deserto siti fatigatos largas aquarum venas, asinis agrestibus monstrantibus invenisse, atque in hujus rei memoriam asini effigiem in templi penetralibus sacravisse. Post autem sui immemor addit, apud Judæos simulacra neque in urbibus, neque in templis ulla fuisse. Putidam illam de asinis agrestibus fabulam Tacitus fortasse ab Apione didicerat, quam tamen invictis argumentis Josephus jam exploserat in Libr. II. *Contra Apionem*.

22. Idem dicendum de aliis ejusdem Apionis, Manethonis, Chæremonis, ac Lysimachi calumniis, quas ab eodem Josepho in laud. opere refutatas habemus.

23. Idemque pariter reponendum est Plutarchi mendaciis (in *Symposio*) contra Judaicam gentem, quæ refutavit Origenes in Lib. I. *contra Celsum*, cum hic religionis nostræ osor acerrimus ea refricare ausus fuisset (*b*).

24. Obj. primo contra primam partem Ben. Spinosa (in *Tract. theol. polit.* cap. 6.) contendens quæ a Moyse edita dicuntur miracula, si bene perpendantur, naturæ vires minime excedere. Certe miraculum trajectionis maris, quod omnium maximum sine dubio videtur, a Flavio Josepho auctore minime suspecto, Lib. II. *Antiquit. Judaic.* cap. 16. comparatur cum transitu maris Pamphiliæ ab exercitu Macedonum, duce Alexandro; atqui hic transitus certe vires naturæ non superabat: ergo &c.

25. Præterea idem Josephus in dubio relinquit, an Judæorum transitus per mare rubrum Dei virtuti, an vero casui, & Moysis ingenio sit scribendus; totam enim hujus rei historiam sic concludit: *at enim de his quisque, ut libuerit, sentiat*, satis indicans, rem non esse undequaque certam. Quod iterum significat, dicens ab Hebræis in maris scissura viam ad salutem inventam, *sive Dei voluntate, sive sponte naturæ*.

26. Addit Voltairius (in *Philos. Hist.* c. 19.) hujus miraculi fidem suspectam esse, cum illius nulla habeatur apud Herodotum, Manethonem, Eratosthenem, aliosque profanos scriptores mentio.

27. Resp. Infinitum pene discrimen esse inter transitum Hebræorum per mare rubrum, duce Moyse, & transitum Macedonum per mare Pamphyliæ duce Alexandro. Hic enim Phaselis cum esset, ut narrat Arianus (Lib. I. *De expeditionibus Alexandri*), & Pergen cogitaret, videns mare flantibus aquilonibus tantisper a littore recessisse, occasione celeriter capta, littus legens cum expeditis copiis pertransivit. Idem etiam refert Strabo Lib. XIV. *Geographiæ*, addens, milites umbilico tenus fuisse aqua demersos (*c*). Nihil autem simile in transitu Hebræorum per mare rubrum. *Divisa est enim aqua*, ut dicitur *Exodi* XIV. 21. & seq. *& ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris; erat enim aqua, quasi murus a dextra eorum, & læva*.

28. Crucem certe figit Josephi testimonium, qui tamen non solum sacro textui, sed etiam sibimetipsi intra paucas lineas repugnare videtur. Ita enim divinam virtutem eodem loco aperte commendat, inquiens: Moyses *Deum precatus mare virga percutit; istud vero ictu retunditur, & seipsum in se recipiens nudam reliquit terram, qua fugam capesserent Hebræi. Moyses autem Dei præsentiam perspiciens, & mare illis de solo suo cessisse, primus vada ingreditur, jus-*

*sit-*

(*a*) De his, aliisque Moysis prophetiis Vid. Huetius in *Demonstr. Evang.* Proposit. V. VI. & VII. Duguet *Principes sur la foi* Tom. I. P. II. ch. 3. & seq. ac ceteri religionis revelatæ apologistæ. Plures etiam prophetiæ de venturo Messia habentur in Pentateucho; sed eas, quamquam totius religionis revelatæ scopum, & centrum spectant, prætermittere tamen cogimur, ne in difficiliores controversias dilabamur; & aliunde in Tract. *De incarnatione* opportuniorem habent locum.

(*b*) Confer Nat. Alexandrum in *Hist. Eccles. V. T.* in quarta mundi ætate cap. 6. art. 1. ubi hæc omnia veterum deliria a modernis magno studio renovata erudite pro more suo dispungit. Corn. autem Taciti commenta etiam data opera confutarunt Christ. Wormius *De corruptis antiquit. Hebræorum apud Tacitum, & Martialem vestigiis*, Georg. Gasp. Kirchmajerus in *Exercit. C. C. Taciti Hist. Lib. V. de rebus, moribusque Judæorum* (utrumque hoc opus prostat apud Blas. Ugolinum *Thes. antiqu. sacrar. T. II.*) Jo. Franc. Buddeus in *Programm. de origine gentis Hebrææ*, quod extat in *Syntagm. dissert. Theologic.* Jac. Fayus in *Defens. religionis, necnon Moysis, & gentis Judaicæ* P. II. c. 6. & Elias Benoist in *Observ. Miscellan. &c. contra Jo. Tolandum*.

(*c*) Simile quid narrat T. Livius Lib. XXVI. n. 45. de Scipione Carthaginem obsidente, scilicet eum a piscatoribus edoctum, tempus observasse, quo maris aqua mœniis recedebat, ac jussisse militibus, ut ex ea parte urbem aggrederentur, quod postea subdit Livius, *in prodigium, ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagno auferrent, viasque ante nunquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum jubet ducem sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia*.

sitque Hebræos sequi, *semita a Deo patefacta &c.* Hæc sane non fortuitum indicant maris recessum, sed magnum dexteræ Dei excelsi prodigium, quo saluti Hebræorum consulere voluit.

29. Ut itaque Josephus, nedum cum sacra historia, sed etiam cum seipso concilietur, dicendum erit, eum voluisse gentibus, quibus scribebat, sese accommodare, eisque quocumque tandem modo suam historiam credibilem reddere. Adhibet itaque exemplum Alexandri, quanquam infinito plane intervallo distans; & cum postea *disjunctive* dicit, Hebræos in maris scissura viam invenisse, *sive Dei voluntate*, *sive sponte naturæ*, ita explicandus est, ut primum ex sua sententia, alterum ex sententia ethnicorum proferat: *sive Dei voluntate, ut ego quidem credo; sive sponte naturæ, ut aliquis vestrum putare fortasse poterit*. Hinc tandem concludit: *at de his quisque, ut libuerit, sentiat*, nolens profanos ab sui operis lectione absterrere (*a*).

30. Quod si hæc minime sufficiant, nodus facile secari poterit, dicendo, Josephi testimonium auctoritati Moysis ex omnibus Critices regulis postponendum esse. Moyses enim auctor coævus fuit, & ea narrat, quæ tota spectante Hebraica gente palam gesta fuerant, quæque omnibus attentis circumstantiis ne levissima quidem falsi suspicione laborant. Josephus contra auctor est longe posterior, quique merito reprehenditur, quod non semel in sua historia a sacris, & antiquis monumentis sine causa recessit. Vid. Sacy in Cap. XIV. *Exodi*.

31. Parum etiam nocet aliorum silentium a Voltairio objectum, qui serius viventes, & a Judæorum sacris alieni, hoc insigne prodigium aut ignorare, aut falsum credere potuerunt. Ceterum aliqua ipsius mentio habetur apud Diodorum Siculum Lib. III. *Biblioth. Histor.* cap. 3. tum apud Justinum Trogum Lib. XXXVI. & apud Artapanum, ut testatur Eusebius Lib. IX. *Præparat. Evang.* cap. 27. (*b*). Magorum etiam Pharaonis Jannis, & Mambris, quos Moyses in signis, & prodigiis longe superavit, meminit Numenius philosophus Pythagoricus Libro III. *De Bono*. Plinius item Lib. XXX. *Hist. natur.* & Apulejus in *Apol.* II. thaumaturgam Moysis virtutem Gentibus notam fuisse, haud obscure insinuant.

32. Inst. 1. Etiam attenta Moysis narratione Israelitarum transitus per mare rubrum non minus naturalibus causis tribuendus videtur, quam transitus Alexandri per mare Pamphiliæ. Nam *Exodi* XIV. 21. dicitur: *cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus stante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua &c.* Vento itaque divisio illa aquarum tribuenda est, non minus ac recessus maris Pamphiliæ a littore sub Alexandro.

33. Aliqui etiam suspicantur, Moysen peritum naturæ indagatorem maris fluxum, quem in sinu Arabico fieri solitum itineratores testantur, caute attendisse, ut celerrime cum suo exercitu pertransiret; incautos autem Ægyptios in refluxum incidisse, quo submersi sunt (*c*).

34. Resp. Sed ludunt, illuduntque nugaces, qui portentum omnium maximum a naturæ legibus repetere conantur. Venti ministerio usus est Deus, non ad dividendas aquas, sed ad exsiccandum solum. Præterea, etiamsi a vento divisæ fuissent aquæ, annon prodigium esset, omnes naturæ vires superans, quod per ventum recedentibus hinc, & inde fluctibus, & instar muri consolidatis aquis, latissima via, qua multitudo hominum pene infinita simul cum impedimentis, & animalibus, unius tantum noctis spatio incolumis pertransiret? Quid hic cum recessu maris Pamphiliæ a littore, vel cum fluxu, aut refluxu commune? Anne in his casibus aquæ hinc inde recedunt, ut tunc factum est?

35. Ulterius qui ab æquoris fluxu apertam fuisse Hebræis viam comminiscuntur, non advertunt, ita spatio duodecim horarum fluxum, & refluxum peragi, ut sensim ac sensim recedentibus undis nonnisi una, aut duabus horis tota terra sicca appareat, iterum iisdem aquis sensim refluentibus. Quis autem fingat, tam breve temporis intervallum suffecisse ad tantam hominum, jumentorum, impedimentorumque multitudinem transvehendam?

36. Instab. 2. Si tanta erat hominum, jumento-

(*a*) Simili fere modo Clemens Alex. Libr. 1. *Stromatum* num. 24. ut Græcis credibile redderet miraculum columnæ igneæ, narrat, *Thrasibulo, tum exules ex Phyla reducens, latere cupiebat, ducem fuisse columnam per loca non trita ingredienti; & nocte, ait, cum nec luceret luna, hybernumque cælum esset, & caliginosum, apparebat ignis præcedens, qui cum eos tutos deduxisset, prope Munichiam defecit, ubi nunc est ara Luciferæ.* Unde postea ita concludit: *vel ex hoc ergo fiant Græcis nostra credibilia; nempe quod facere potest Deus omnipotens, ut columna ignis Hebræos noctu præcedat, quæ etiam dux sit eorum itineris.* Ubi nemo certe suspicabitur, Clementem æque probasse utrumque miraculum, sed argumento ad hominem Græcos adigere volebat, ut quemadmodum Thrasibuli miraculum ipsi credebant, ita Hebræor. histor. fidem non negarent. Quanquam non constat, undenam illa de Thrasibulo narratio tracta sit, quæ proinde inter fabulas recenseri debet.

(*b*) Artabanus loco laud. apud Eusebium antiquam Heliopolitanam traditionem memorat, *Moysem, uti mare virga percuteret, divinitus admodum aquam virga tetigisse, & deficientibus illico fluctibus copias sicco tramite deduxisse.* Vel hoc solum sufficeret, si cetera deessent, ad Voltairii, ejusque Symmistarum os obstruendum.

(*c*) Ita inter alios Jo. Le Clerc. in Dissert. *de trajectione maris Idumæi* in fine suorum *Comment. in Pentateuchum*; & ita olim Memphitæ apud Eusebium loco cit. num. 31.

torum, impedimentorumque copia, intelligi non potest quomodo brevi unius noctis spatio potuerit tota ex uno ad aliud littus transvehi.

37. Resp. Prætermissis bene multis, & diversis interpretum opinionibus, tum de modo, quo filii Israel mare rubrum transierunt, tum de sinus Arabici latitudine, tum denique de loco, ubi prodigiosa trajectio facta est, breviter dico, tantum divina virtute factum esse maris hiatum, quo possent Israelitæ lætissima fronte ingredi, & ita celerius ad oppositam ripam pervenire. Sed quidquid id est, Moyses rem narrat, non alienigenis, aut dissitis populis, sed iis ipsis, qui transierunt: in hujus rei commemorationem Canticum componit, annuasque festivitates instituit. Annon sannis, & sibilis fuisset explosus, si ausus esset tam impudenter, & stulte mentiri (*a*)?

38. Inst. 5. Moyses hoc prodigium narraturus sibi ipsi contradicit aperte, ut proinde nullam mereatur fidem. Nam *Exodi* XIII. 20. dicuntur Israelitæ, antequam mare pertransirent, castra metati in deserto *Etham*; deinde *Num.* XXXIII. 8. postquam jam per medium mare pertransierunt, iterum dicuntur tribus diebus ambulasse per desertum *Etham*.

39. Resp. Nonnulli hac difficultate pressi putarunt, Israelitas non pertransisse totum sinum Arabicum ex una ad alteram ripam oppositam, sed circuitu facto ad eumdem locum fuisse reversos, postquam scilicet Pharaonis exercitu aquis submerso nullum amplius erat eorum profectioni obstaculum (*b*). Sed Nat. Alexander cum pluribus Interpretibus putat, desertum *Etham* fuisse vastissimum, & ad utramque maris ripam latissime se extendisse. Alii cum Menochio censent, *Etham* non significare aliquam certam regionem, sed generaliter locum quemque fortem, seu asperum, præruptum, & difficilem, quod proinde nomen poterat deserto ultra, citraque Erithræum convenire. Quæcumque ex his opinionibus adoptetur, omnis evanescit contradictio, quam mirum esset non fuisse a Moyse visam, cum tam facile in oculos nostrorum adversariorum incurrat.

40. Inst. 4. Tam stupenda Moysis miracula non fuisse vera, colligitur primo ex Ægyptiorum infidelitate, & Pharaonis obstinatione: secundo ex Hebræorum inconstantia, qua sæpe veri Dei cultum deserebant, & contra Moysem rebellabant.

41. Resp. Ad conversionem cordis non sufficere externa signa, sed requiri internam, & efficacem Dei gratiam, quam Deus pro sua misericordia, quibus vult, largitur, & pro sua justitia indignis denegat. Permisit itaque justus Deus indurari cor Pharaonis, & Ægyptiorum, levesque, & inconstantes Hebræos in idololatriam, seditiones, aliaque turpissima scelera infeliciter delabi. Quare autem id permiserit, scrutetur qui potest. Interim contra omnes Criticæ regulas peccaret, qui certissima Moysis miracula negare vellet, quia iis visis, nec Egyptii conversi sunt, nec Hebræi Domino liberatori suo constanter adhæserunt; cum hujus obdurationis, & inconstantiæ multæ potuerint esse caussæ nobis ignotæ.

42. Ceterum quantumcumque hæc captui difficilia videantur, multo certe difficilius captu erit, primo Moysem potuisse integræ Nationi Israeliticæ sine miraculis persuadere, ut ejus se imperio committeret in tam longo, & tam periculoso itinere: secundo potuisse pariter sine miraculis Pharaonem induci, ut tantam servorum multitudinem, quorum operam adeo utilem experiebatur, vel sponte dimitteret, vel ad eam dimittendam invitus adigeretur: tertio potuisse Moysem ut ut prudentissimum tot hominibus (aliqui ad terdecies centena millia numerant) in vastissimis illis, & inhospitis Arabiæ desertis quadraginta annorum spatio necessaria omnia ad victum, amictum, aliasque vitæ indigentias sine miraculis subministrare: demum populum inconstantem, duræ cervicis, & seditiosum gravissimis illis legibus collum subdidisse, quas Moyses nomine Dei promulgavit, & quarum observantiam severissimis pœnis exigebat, nisi miraculorum efficacia permotum. Hæc pauca breviter delineavimus. Sed si quis velit omnes locorum, temporum, hostium, indolis Hebrææ Gentis, aliasque id genus difficultates diligenter examinare, facile videbit, miraculum fuisse omnium maximum, & prorsus incredibile, si Moyses tot, & tanta sine miraculis præstitisset.

43. Accedit, Moysem non solum dum viveret, sed etiam post mortem, summa semper in veneratione apud Hebræos fuisse, ejusque mandatis religiose obtemperatum. Elegit ille in sui successorem non aliquem ex suis filiis, aut consanguineis, sed Josue filium Nun, eique statim populus obedivit. Præcepit, quid in partitione terræ promissæ observandum esset, ejusque præcepto omnes sine murmure paruerunt. Ipsius leges, quamquam admodum duræ, fuerunt semper ut leges divinæ existimatæ. Uno verbo si omnes Hebraicæ Gentis fastos subsequentibus temporibus evolvamus, reperiemus Moysis memoriam fuisse semper apud posteros in benedictione. Neque apud Hebræos tantum, sed vel apud ipsas exteras nationes fuisse Moysem celebratissimum, ostendit Flavius Josephus contra Apionem, qui etiam testatur Libro I. cap. 31. fuisse eum *ab Ægyptiis ita*

(*a*) Vid. Natalis Alexander *Histor. Eccles. V. T. de 4. mundi ætate* Dissert. 1. art. 2. P. Calmet in Dissert. *de transitu maris Erithræi*, P. Claud. Sichard. Tom. VI. *des memoires des missions au Levant*, & Goldschmidius in *Nova demonstr. transitus popul. Israel.* in Tom. I. *Thesaur. Theol. philologet.*

(*b*) Huic sententiæ subscribunt Sanctus Thomas lett. I. in cap. X. Epist. 1. ad *Corinth.* Tostatus, & alii.

*ita mirandum*, *ac divinum existimatum*, ut eum tamquam concivem suum sibi vindicare voluerint. Multo plura in hanc rem affert Eusebius Lib. IX. *De præparat. Evangelica* (*a*).

44. Ridendum vero se prorsus exibet Voltaïrius, dum ausus est in dubium revocare, an Moyses unquam extiterit. Tota vero dubitandi ratio illi est, quia incerta est eruditis ejus ætas; & quia nomen Pharaonis, coram quo Moyses tot miraculis inclaruisse dicitur, antiquis ignotum est; multo autem magis ignota fuere decantata illa Moysis prodigia, quorum nulla extat neque apud Ægyptios, neque apud Græcos memoria. Certe Herodotus, qui a Sacerdotibus Ægyptiis mirabilia quamplurima edoctus fuit, nihil de Moyse audivisse videtur, cum de eo nihil omnino dicat (*b*).

45. Profecto tempus frustra contereret, qui virum toto orbe celeberrimum, & quem Hebræorum natio ut suum legislatorem a tot seculis merito veneratur, reipsa extitisse, multis argumentis sibi demonstrandum assumeret. Consultis autem Hebræorum monumentis, sin minus omnino accurate, aliqua saltem ratione Moysis ætas determinari potest. Flavius Josephus Libro I. *Contra Apionem* num. 8. ab initio mundi usque ad Moysem tria fere numerat annorum millia. Alii a Josepho dissentiunt, & Petavius *de Doctrina temporum* Tom. II. Moysis nativitatem anno mundi 2573. consignat. Sed ex quo omnino accurate Moysis epoca determinari nequeat, minime sequitur, Moysem nunquam extitisse. Quot enim & quanta hujus generis in historia reperiuntur, quæ pro certissimis habentur, quanquam notæ chronologicæ incertæ sint? Mirum autem esse non debet, ex monumentis exoticis nihil pro hac epoca determinanda erui posse: eruditos enim non latet, quanta sit apud profanos scriptores in rebus historicis, & præcipue in Chronologia ante bellum Trojanum obscuritas, & confusio.

46. Pharaonem vero expresse nominat Alexander Polyhistor; Artapanus autem apud Eusebium Lib. IX. *Præparat. Evangel.* cap. 18. cum aliqua levi litterarum variatione *Pharaonem* appellat. Ulterius notum est, Pharaonis nomen fuisse commune pluribus Ægypti Regibus, quemadmodum post Ptolomæum Lagum multi ejusdem Ægypti Reges dicti sunt *Ptolomæi*, & quemadmodum etiam Imperatores Romani post Julium Cæsarem, & Augustum vocabantur *Cæsares*, *et Augusti*. Fieri itaque potest, ut qui Pharao a Moyse nominatur, a scriptoribus profanis alio nomine sit designatus. Ceterum mirandum minime est, apud Herodotum, vel alios Gentiles Historicos nullam inveniri prodigiorum Moysis mentionem. Cum enim essent a religione Mosaica alieni, debebant etiam miracula ad eam confirmandam edita, ut supposititia, rejicere, aut tamquam magicas præstigias contemnere. Non omnes tamen, nec omnino siluisse, supra observatum est num. 31.

47. Neque demum prætereunda est alia Voltairii inscitia, dum temere scribit, nullam esse apud veteres illius regionis notitiam, qua Moyses cum populo peragrasse dicitur. Ignoravit ille Manethonem, Lysimachum, Chæremonem, aliasque apud Josephum in Lib. I. *Contra Apionem* aperte memorare Hebræos Ægypto relicta in desertum duce Moyse abivisse. Imo monumenta quædam, vel saltem antiquam mirabilis hujus itineris traditionem in iis regionibus superesse, itineratores aliqui testati sunt. P. autem Claudius Sichardus, qui sacris missionibus in Ægypto diu operam dedit, hujus itineris accuratam nobis descriptionem reliquit, qua iis, quæ in *Exodo* memorantur, lux maxima affulget.

48. Ineptit iterum Voltairius, dum Moysem ut imperitissimum ducem carpit, quod ignoratione viarum miseros Israelitas 40. annorum spatio in deserto errare fecerit. Longus enim hic Israelitarum per desertum error non ducis imperitiæ, sed altissimis divinæ providentiæ finibus tribuendus est; ut enim Sanct. Joann. Chrysostomus, aliique nobiles Interpretes post ipsum observarunt, voluit Deus Hebraicam gentem ab Ægyptiacæ super-

(*a*) Videri etiam potest Pet. Dan. Huetius in *Demonst. Evangelica*; sed cavendum est ab ejus enthusiasmo, quo Moysem in Baccho, Hercule, Mercurio, Jove, aliisque heroibus, vel fictitiis Gentilium Numinibus significatum fuisse, somniavit.

(*b*) Voltairius in *Philos. Epist. & in Dictionn. Philoph.* insinuare conatur, ex fabula Bacchi totam Moysis historiam derivatam fuisse. Eam autem fabulam sic refert Huetius Prop. IV. *Demonstr. Evangel.*, atque ex illo eam mutuatus est Voltairius. Dicunt Bacchum in Ægypto natum, & arcæ inclusum, fuisse in flumen projectum; inde vero abstractum, & in Arabia educatum, ipsius virgam in serpentem mutatam, fugientem ab Ægypto mare rubrum siccis pedibus trajecisse, trajecisse similiter fluvios Hydaspem, & Orontem thyrso arefactos, leges tulisse duplici tabula inscriptas, ac denique *Misim* fuisse appellatum, quod nomen non admodum distat a *Moyse*. Sed primo non omnino liquet, undenam hæc fabula tracta sit. Huetius nullos alios ejusdem testes affert, quam antiquum hymnum in *Miseu*, & vetus epigramma Libro I. *Anthologiæ* cap. 38. Sed re diligentius examinata in neutro opusculo hæc continentur, quæ Huetius de Baccho narrat. Deinde si hæc de Baccho fabula extat, eam ex Moysis historia confictam, non vero historiam Moysis ex Bacchi fabula, vel ex eo solo constat, quod Moyses fuerit Baccho antiquior, ut ostendit Clemens Alexandrinus in Lib. primo *Stromatum*. Vid. Nat. Alexander in *Hist. Eccl. V. T. de IV. mundi ætate* cap. 6. art. 3. §. 20. Voltairium autem plagii, & ignorantiæ in hac Bacchi fabula, ut in pluribus aliis, jure redarguit auctor *du Supplement à la Philosophie de l'Histoire du feu M. l'Abbé Bazin* pag. 316. & seq. Addi etiam potest D. François *Observations sur la phylosophie de l'Histoire &c.* 28.

perstitionis reliquiis purgare, novæque legi assuefacere. Sed etiamsi verum divinæ sapientiæ scopum hac in re assequi non possemus, nihil tamen puerilius esset, quam cum Voltairio fingere, hanc diutinam Hebræorum in deserto moram ex ignoratione viarum ortam esse.

49. Pergit Moysis adversarius Voltairius, eumque *impostorem* appellare non veretur, qui fraudibus, & cædibus miseros Hebræos suæ ambitioni subjecerit. Observat ulterius, primum Moysis mandatum nomine Dei iis promulgatum fuisse, ut Ægyptiorum thesauros furaretur; post autem eumdem Moysem nihil magis curasse, quam ut in Hebræis odium plusquam vatinianum contra alienos Deos, eorumque cultores excitaret: hinc bella illa Hebræorum crudelia, & internecina, ut nulla prorsus gens sævior unquam fuerit, quam Israelitica (a).

50. Respond. De Moysis persona satis dictum est supra num. 42. & seq. ut omnis ab eo imposturæ, & fraudis suspicio removeatur. Ægypti autem expoliatio non fuit furtum, sed justa compensatio mercedis laboribus Hebræorum debitæ, & injuste denegatæ; & quidem a Deo rerum omnium Domino imperata. Detestatio falsorum Numinum rectæ rationi, & justissimæ divinæ legi de uno colendo Deo erat apprime consentanea. Nec denique injusta fuit, aut crudelis eorum nationum extirpatio, quarum scelera hanc pœnam merebantur.

51. Obj. 2. una cum Voltairio, Moysem nulla esse fide dignum, quia in historia miraculorum multa secum pugnantia involvit. Primo enim *Ex.* VII. 19. dicit, omnem aquam, quæ erat non solum in fluviis, rivis, paludibus, & lacubus, sed etiam in vasis ligneis, & saxeis, fuisse versam in sanguinem; & postea vers. 22. subdit: *feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis*. Jam vero quæritur, quamnam aquam potuerint malefici in sanguinem vertere? Præterea cap. IX. 6. *mortua fuisse* dicuntur *omnia animantia Ægyptiorum:* inferius vero cap. XIV. dicitur, Pharaonem *cum omni suo equitatu* Hebræos fugientes persecutum fuisse.

52. Resp. parvi, imo nullius plane momenti esse has antilogias, quas, prodigii loco esset, fugisse Moysem, hominem, ut adversarii putant, omnium vaferrimum. Quantum autem ad primum, potuerunt Magi e vicino mari, vel ex terra Hebræorum *Gessem* non admodum remota, vel potius ex puteis, quos Ægyptii effodisse dicuntur ver. 24. aquam habere, quam in sanguinem converterent.

53. Aliud autem de animalibus facile explicatur, observando, nonnisi animalia, quæ erant in agris, fuisse peste occisa; dicitur enim vers. 3.: *ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos .... pestis valde gravis*.

54. Instat primo idem incredulorum antesignanus, ostendens, plura in *Exodo* inveniri incredibilia, quæ proinde fidem etiam miraculis ibidem narratis detrahunt. Primo incredibile est, quod dicitur cap. XXXII. Aaron *una die* formasse opere fusorio vitulum aureum; id enim plus certe temporis requirit. Præterea adhuc incredibilius est, quod ibidem vers. 20. subditur, Moysem combussisse hunc vitulum aureum, contrivisse usque ad pulverem, quem aquæ immixtum bibendum dedit filiis Israel. Denique falsum est etiam quod dicitur *Ex.* III. 8. Palæstinam esse *terram bonam, & spatiosam, quæ fluit lacte, & melle;* scimus enim, Strabone testante, Palæstinam fuisse angustam, saxosam, & sterilem. Strabonis autem testimonium cum hodierno situ, & soli statu optime concordare, ait Tolandus in *Originibus Judaicis*.

55. Resp. ad primum, falsum esse, vitulum aureum fuisse *una die* ab Aarone conflatum; quam-

vis

(a) Famosus est titulus libri imaginarii *de tribus impostoribus*, scilicet Moyse, Christo, & Mahumete, quem aliqui latine conscriptum volunt ante quinque ferme sæcula. Eum solent admodum magnificare Increduli, sed a nemine lectus fuit; constat enim modo eruditis, nonnisi titulum execrabilis hujus operis extitisse usque ad an. 1721., quo ineptus quidam scribillator eum se reperisse, & in gallicam linguam vertisse mentitus est. Liber autem ab hoc insulsissimo homine evulgatus nihil aliud erat, quam infelix rapsodia illius operis, quod variis titulis jam prodierat, scilicet *l' Esprit de Spinosa, Cymbalum mundi, & Theophrastus redivivus*, ut bene advertit Prosper Marchand in *Diction. Histor.* art. *de tribus impostoribus*.

Ut autem aliquod specimen exhibeamus ineptiarum, quibus auctor iste Moysem imposturæ convincere nititur, sufficit afferre explicationem miraculi columnæ, quæ noctu ignea apparebat, interdiu autem nebulosa. Vult enim, Moysem, more Arabum in desertis peregrinantium, *focum* adhibuisse, ubi ignis accensus nocte instar columnæ igneæ videbatur, diu autem nonnisi fumus ad modum columnæ nebulosæ apparebat. Atque ita passim miracula Moysis ineptissime commentatur, ut caules, non homines Hebræos fuisse oporteat, qui sibi tam crasse, & stolide a Moyse imponi patiebantur.

At vero acute sciscitatur hic auctor, si columna hæc ignea, & nebulosa dux itineris erat, cur Moyses (*Numer.* X. 29. & sequ.) Hobab cognatum suum rogavit, ut esset itineris dux? Haud difficilis est responsio. Quamvis columna ignea motu suo monstraret viam, adhuc Hobab Madianites utilis esse Moysi poterat ad loca, populorumque vicinorum nomina, mores, vires, aliaque plura cognoscenda. Sed id obiter dictum sit, & speciminis loco; neque enim in hoc miraculo vim nostram reponimus, cum majora habeamus.

Ceterum de fictitio illo libro *trium impostorum*, qui falso vel Thomæ Campanellæ, vel Petro Aretino, vel Friderico I. Imperat., *Ænobarbo* dicto, ac nonnullis aliis tributus fuit, habetur erudita admodum dissertatio D. de la Monnoje in fine Tom. IV. *du Menagiana*. Aliqua etiam de supposititio hoc libro obiter narrat cl. Phil. Becchetti in Tom. XIII. suæ *Hist. Eccles.* LXXII. §. 124.

vis non negemus, illum intra paucos dies, quibus Moyses in monte Sinai moras traxit, fieri debuisse. Neque vero credere debemus, hunc vitulum talis magnitudinis, aut elegantiæ fuisse, ut ad eum conficiendum multum temporis requireretur; præcipue cum opere fusorio, non autem sculptura fuerit elaboratus.

56. Ad secundum resp., aurum in pulverem ita redigi posse, ut potabile fiat, nobis indubie testantur peritiores Chymici (*a*). Imo hoc aurum potabile a multis factum esse narratur, ejusque saporem esse amarissimum, illud propterea Israelitæ sumere coacti sunt in pœnam præcedentis idololatriæ.

57. Ad tertium. Quidquid Strabo, aliique eum secuti de terra Chanaam dicant, certum est, eam admodum amplam fuisse, utpote quæ duobus fluviis Nilo, & Euphrate continebatur, prout illam Deus Abrahamo promiserat *Genes.* XV. 18. quamquam Hebræi bellorum pertæsi totam occupare neglexerint. Ea tamen pars, quam reipsa possederunt, *spatiosa* dici poterat, saltem facta collatione angustissimæ terræ *Gessen*, in qua prius morati fuerant.

58. De Palæstinæ autem soli ubertate multa tradunt inter alios Theophrastus (Lib. III. *de causis plantarum* cap. 25.). Plinius (Lib. XII. *Hist. Natur.* cap. 25.). Justinus (Lib. XXXVI. cap. 2. & 3.). Tacitus (Lib. V. *Hist.* cap. 6.). Ammianus Marcellinus (Lib. XIV. cap. 8. 8.), qui eamdem viderat. Procopius, qui Sæc. VI. vivebat, Judæam dicit (Lib. II. *de bello Persico*), esse *excellenter fertilem*, *opulentam*, *populosam*. Brokardus autem, qui Sæc. XIII. in Palæstina decem annos commoratus est, miram ejus fertilitatem demonstravit in sua *Terræ Sanctæ descriptione* cap. XI. Ex his apparet, fidem Straboni adhibendam non esse, qui, ut Eisnerus conjectatur (in Dissert. *de Palæstinæ excellentia*), ex aliorum tantum testimonio fallaci hæc scripsit. Quanquam fortasse Strabo de solo Jerusalem ambitu locutus est, non autem de tota Palæstina.

59. Instat 2. Voltairius observans incredibilem esse prædam, quam Israelitæ ex Madianitis cepisse dicuntur Num. 31. scilicet ovium 675000. boum 72000. asinorum 61000. fœminarum, quæ non tetigerant viros 32000.: hoc autem ipsi videtur impossibile, cum Madian nonnisi exigua fuerit Idumææ pars in Arabia Petræa, cujus longitudo vix octo leucas excedit, & latitudo adhuc minor est (*b*).

60. Resp. primo optandum a Voltairio esse, ut aliquo certo monumento ostendat, eam omnino, quam ipse asserit, fuisse terræ Madian longitudinem, & latitudinem. Præcipue cum alibi (in *Philos. Hist.* art. *Victimæ humanæ*) sui immemor, novem leucas longitudinis, totidemque latitudinis illi assignet.

61. Deinde calculis initis ad regulas eorum, qui de agricultura, & de quantitate alimentorum hominibus, ac bestiis necessaria diligentius, & accuratius inquisiverunt, plane demonstratum est, octo leucas quadratas, quibus Madianitarum regionem comprehendit Voltairius, omnino suffecisse ad alenda illa animalia, quæ prædæ Israelitis cesserunt, & ad plusquam 128. millia hominum, quot fere esse debuerunt, habita ratione 32000. fœminarum, quæ viros non tetigerant. Id nonnullis exemplis illustrari posset, præcipue Romanorum, qui sub Rege Servio supra 200000 hominum numerabant, cum tamen eorum regio vix octo leucas quadratas æquaret (*c*).

62. Obj. 3. Moyses enormiter errat in epocha mundi, quem constat esse aut æternum, aut multis seculorum millibus epocha Mosaica antiquiorem. Nam primo Chaldæi, auctore Beroso (*d*), Reges numerabant ad 432. annorum millia ante diluvium, eorumque monumenta 470. annorum millia, vel, ut Berosus vult, 480000. comprehendunt. Diodorus etiam Siculus (Lib. II. cap. 31.) Chaldæos Astronomos observationes astrorum habuisse dicit spatio 473000. annorum. Ægypti Regum chronologiam Manethon ad 36. annorum millia extendit. Sinenses demum prodigiosam & ipsi in suis annalibus antiquitatem jactant.

63. Respond. Si demptis fabulis omnium populorum origines investigentur, tantum abest, ut hinc Mosaica historia labefactari possit, quin potius mirifice confirmatur. Etenim, ut eruditi viri magno labore ostenderunt, nullum inveniri potest adeo vetustum monumentum, quod epocha diluvii a Moyse constituta posterius non sit (*e*). Chaldæorum vero supputationes etiam suo tempore irridebat Cicero. *Condemnemus*, inquit Lib. I. *de Divin.* cap. 19. *hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ, qui 480000 annorum, ut ipsi dicunt, comprehensa continent*. Idem dici debet de Ægyptiorum, ac Sinensium genealogiis, & chronologiis, quas tot obscuritatibus, contradictionibus, fabulisque scatere viri docti observarunt, ut jam omnium sapientum suffragio explosæ sint (*f*).

64.

(*a*) Videri possunt apud Becherum in *Physica subterranea* Libro I. Sect. 5. cap. 5. & apud Georgium Ernestum Stahl in *Specimine Becherino* Sect. XI.

(*b*) Hanc difficultatem proponit in Libro *de la tolerance*, eamdemque postea in *Philosophiæ historia*, aliisque pestilentibus suis operibus ad nauseam repetit.

(*c*) Has, & similes Voltairii difficultates non minus salse, quam erudite solvit auctor *de Lettres des quelques Juifs. Portugais, & Allemands a M. Voltaire* Lettre V., & sequ. qui est D. Guenee.

(*d*) Berosi opera, præter pauca figmenta, a Josepho in Lib. I. *contra Apionem*, & Libro I. *Antiquitatum Jud.* conservata, perierunt, & quæ ab Annio de Viterbio evulgata sunt, ut mera figmenta a severioribus Criticis exploduntur. Confer P. Echardum *de Scriptor. Ord. Prædicatorum*, ubi *de Annio Viterbiensi*.

(*e*) Id ostendit inter alios Isaac Jaquelotius in Dissert. *de existentia Dei*.

(*f*) Consuli possunt *les extraits des Historiens Chinois par M. le Poux de Hastes Rayes* in Tomo VI. *de l'o-*

64. Sed quid dicendum de nupero Buffoni systemate, quo constituitur, terram fuisse olim maxima aquarum copia totam submersam, eas autem sensim, ac sensim sibi fossas excavasse, unde postea montes, & valles, & vasti terrarum tractus, aquis defluentibus apparuerunt? Certe initis calculis illius temporis, quod modo mare insumit, dum ab aliquibus oris recedit, ad hoc necessaria fuerunt multa sæculorum millia, ut proinde epocha mundi Mosaica rejicienda sit.

65. Resp. Nos nimis a necessaria brevitate recessuros, si omnia vellemus huc afferre, quæ clarissimo Buffono eruditi objecerunt (*a*). Sed hoc obiter observasse sufficiat, Buffoni systema esse imaginarium, nullique fundamento subnixum, immo quotidianæ experientiæ contrarium: quantum enim mare ab aliquibus oris recedit, tantum in aliis locis dilatatur, quin illius profunditas magis excavetur, & plus terræ aridæ acquiratur. Præterea si semel supponeretur, mare universam tellurem instar globi aquei circumambivisse, vix, ac ne vix quidem aliqua sufficiens causa afferri posset, cur undæ fluxu suo valles, & canales sibi efformassent, ut inde montes exurgerent, & immensi terrarum tractus aquis liberati frugiferi evaderent. Quæ autem in hanc rem argumenta Buffonus affert, multo facilius, & verius a diluvio universali repetuntur. Confer *les Oeuvres du P. La-Barthonye* Tom. III. *Instruct.* XI. pag. 29. & seq.

66. Objicies 4. In tota lege Mosaica omnes promissiones, & comminationes restringuntur ad temporales hujus vitæ felicitates, & pœnas; nullaque habetur futuræ vitæ mentio, in qua bene bonis, male autem malis retribuatur. Id fatetur ingenue Eusebius in *Comment.* ad Psalm. I. & S. Augustinus in *lib. de gestis Pelagii* cap. 5. *In illo testamento*, inquit, *quod proprie vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissime, nisi terrena felicitas.* Atqui hoc certe divinæ revelationis indicium non est; ut enim recte observat S. Thom. 1. 2. qu. 98. art. 1., *cum finis legis divinæ sit perducere hominem ad finem felicitatis æternæ . . . . oportet, quod hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ.*

67. Sed adhuc magis mirandum est, nedum in leges, sed etiam in toto Pentateucho, quinimmo in aliis sacris libris, qui postea scripti sunt, usque ad tempora post captivitatem Babylonicam, altum esse de altera vita silentium, ut viri eruditi, minimeque increduli observarunt (*b*).

68. Resp. In Lege Mosaica *expresse* quidem non contineri promissiones, & minas spectantes ad alteram vitam, contineri tamen eas saltem *implicite*, quatenus promissiones illæ temporales figuram gerebant æternarum, quæ neminem latere poterant, utpote quæ ex primæva lege naturæ a patribus in filios, ac nepotes παραδόσει *traditione* dimanaverant. Unde etiam Sanct. Augustinus loco allegato in promissis veteris Testamenti *figurata fuisse* dicit *spiritualia ad novum testamentum pertinentia*. Atque de hac re nos dubitare non sinit S. Paulus *Hebr.* XI. ubi commate 15. & sequent. probat, veteres Patriarchas non inquisivisse patriam terrenam, idest terram promissionis, de qua exierant, sed *meliorem idest cœlestem*, quæ in illa erat præfigurata. Et quamvis mul-

*rigine des loix, des arts &c. de M. Goguet*, ubi multa eruditione ostenditur, veras Sinensium antiquitates non ultra epocham Yao extendi; cetera omnia ante ipsum narrata, nedum esse sine fundamento, sed plane falsa, ridicula, & repugnantia. Vid. etiam Dissert. VIII. ejusdem Goguet, ac Bruckerus in *Hist. Crit. Phil.* Tom. V. Alphonsus de Vignoles in sua *Chronologia Hist. Sanctæ* Libro VI. cap. 3. §. 9. putat, Chaldæorum annos nihil fuisse aliud, quam dies; idemque cap. seq. de Ægyptiis asserit. Alii vero, ut Diodorus Siculus Lib. I., Varro apud Lactantium Libro II. *divin. Instit.* cap. 13., & Macrobius Lib. I. 12. annos eorum ad unum mensem extendunt. Quæ si vera sunt, facile iis tanta annorum series concedi poterit. Ceterum Berosi, Manethonis aliorumque similium testimonia pauci a viris doctis fieri solent. Vid. inter antiquos *Hist.* Syncelli, qui vixit sæculo IX. inter recentiores autem Jos. Scaliger, P. Petavius, P. Pezronius, Marshamus in *Canone* &c., Witsius in *Ægyptiacis*, aliique apud Lenglet de Fresnoy *Methode pour étudier l'Histoire* Tom. I. cap. 10. Contra fabulosas autem Sinensium antiquitates vide Dissert. Freret Tom. VI. *Mem. de l'Acad. des Sciences, & des Inscript.* Huetius porro in suo opere *de origine fabularum romanensium* observat, omnes nationes orientales fuisse fabulis, & figmentis adeo deditas, ut nulla apud eas sit historia, quæ hujusmodi fucis adulterata non fuerit. Tandem non ita pridem D. D. Origny in libro inscripto: *Chronologie des Roys du grand Empire des Ægyptiens* ostendit nullam ex chronologiis Orientalium Mosaicam historiam labefactare. Liber hic prodiit Parisiis 1765. duobus voluminibus in 12.

(*a*) Præcipue D. de Lignac auctor *de Lettres a un Ameriquain sur l'Hist. Natur. de M. Buffon* vol. 4. in 12. à Paris 1756.

(*b*) Jo. Clericus Tom. V. *de la Biblioth. ancienne, & moderne* fidenter asserit, nullam veteres Judæos futuræ vitæ notitiam ante captivitatem Babylonicam habuisse. Hoc idem postea sensit Warburthonius apud Anglos in libro, cui titulus *De la divine legation de Moyse.* Sed ante utrumque id ipsum incaute exciderat Lucæ Burgensi Theologo Lovaniensi; ita enim habet in c. III. Matt.: *ante hac tempora* (Machabæorum) *non videtur populus Israel quidquam de his rebus* (animæ scilicet immortalitate, corporis resurrectione, æternisque bonorum præmiis, ac malorum suppliciis) *doctus fuisse, aut quidquam de his rebus prædicatum.* Absurde omnino: sic enim fuisset natio Hebræa in densioribus ignorantiæ tenebris, quam multi populi idololatræ, a quibus dogma immortalitatis animorum, futuræque vitæ non ignorabatur, tum tamen in ea religionis dogmatum traditio purior, & certior servata semper fuerit. Confer *Dict. des Sciences Eccles.* T. VI. p. 732. & seq.

multi fuerint in populo Judaico carnales, qui nonnisi in promissionibus temporalibus hærebant; qui tamen in eo erant spirituales, in illis adumbratas esse æternas repromissiones, non ignorabant. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, 1. *Corinth. II.* 14.

69. A vero autem quam longissime aberrarunt, quotquot temere asserere non sunt veriti, nullam in toto Pentateucho, imo etiam in aliis libris sacris usque ad captivitatem Babylonicam, vel etiam usque ad tempora Machabaica, esse alterius vitæ mentionem. Oppositum enim fuit a viris doctissimis multis, iisque perspicuis allatis testimoniis demonstratum (a).

70. Sane in Pentateucho sæpe illa phrasis occurrit, qua antiqui Patriarchæ, aliique homines justi post mortem dicuntur *congregati*, vel *appositi ad populum suum*; id autem non potest intelligi, nisi de loco alterius vitæ, ubi piæ defunctorum animæ simul requiescerent. Fingere enim non possumus, his phrasibus significari, fuisse illos Patriarchas in sepulcris Patrum suorum conditos: nam certe Abraham, de quo id dicitur *Genes.* XXV. 8. sepultus fuit non in Chaldæa cum patribus suis, sed in terra Chanaan. Jacob etiam, cujus mors describitur *Genes.* XLIX., dicitur *appositus ad populum suum*, antequam ejus corpus in terram Chanaan transportaretur, ut ibi cum patribus suis in sepulcro Abraham requiesceret. Aaron pariter *Deuteron.* XXXIII. 50. dicitur *appositus populis suis*, & ibidem Moyses *jungendus populis suis*; cum tamen neuter positus fuerit in sepulcro Patrum suorum: nihil ergo aliud istæ phrases significant, quam commune justorum receptaculum, quo beatæ illæ animæ in altera vita simul requiescerent.

71. Similiter alicujus habitaculi, ubi animæ justorum corporibus superstites detinerentur, certam fuisse apud Hebræos notionem, innuit Jacob *Genes.* XXXVII. 35. cum renuens omnem consolationem pro morte, quam credebat, filii sui Joseph, inquiebat: *descendam ad filium meum lugens in infernum*, nomine *inferni* non potuit Jacob intelligere sepulcrum, quia putabat, filium suum fuisse a fera pessima devoratum.

72 Tandem, ut plura alia omittam, certum est, communem fuisse apud Hebræos opinionem *necromantiæ*, illius nempe artis magicæ, qua mortuorum animæ ab inferis revocari putabantur; unde etiam Saul petiit a Pythonissa Endorea, ut animam Samuelis suscitaret 1. *Regum* XXXVIII. & Moyses *Levitici* XX., ac *Deuteron.* XVIII. 11. hanc divinationis speciem severissime prohibuit. Profecto *necromantia* animas esse corporibus superstites pro certo habet: erat ergo communis in Hebraica natione de altera vita persuasio.

73. Dices. Cum ergo Moyses apertam, & expressam illius retributionis, quæ nos manet in altera vita, in suis legibus mentionem non fecit? Præcipue quia hæc expressa mentio magis contulisset ad legum suarum sanctionem, saltem pro iis, qui hujus vitæ supplicia aut non curant, aut effugere se posse sperant.

74. Resp. primo non fuisse necessariam hanc *expressam* mentionem, secundo nec fuisse convenientem. Non erat necessaria, quia, ut demonstratum est, populus non ignorabat promissiones, & minas ad alteram vitam spectantes; si enim hæc gentibus nota erant, certe non alia ratione erant nota, nisi παράδοσις *traditione* a primis patribus. Quomodo ergo hæc ignota esse poterant Israelitis, in quibus antiqua Patrum traditio, & vera religio pura semper conservata fuerant? Necessarium autem judicavit Moyses promissiones hujus vitæ *expresse* commemorare, quas certe Israelitæ ignorassent, nisi Deus ore Moysis eas revelare voluisset: potuisset enim Deus pro sua justitia omnem retributionem alteri vitæ reservare (b).

75. Nec etiam erat conveniens, ut in vet. lege

(a) Hanc spartam adornarunt præter alios nonnullos doctiss. P. Calmet in diss. *de natura animæ, & post ejus mortem statu ex sentent. vet. Hebræor.* & duo eruditi Dominicani, P. Castus Innocens Ansaldi in *Com. de futuro sæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito*, ac P. Vinc. Patuzzi *de futuro impiorum statu* L. I. c. 6.

(b) Probari nequit opinio Warburthonii, qui in opere supra laudato *de divina Moysis legatione* contendit, legem a Moyse latam fuisse tantum civilem; & politicam, ut leges Principum sunt; mirandum propterea non esse, si in ea nonnisi præmia, vel supplicia hujus vitæ memorentur. Hæc sententia postea placuit Abbati Pradesio, cujus septima propositio a Facultate Theolog. Parisiensi ann. 1752. proscripta, hæc erat: *œconomia Mosaica in pœnis tantum, & præmiis temporalibus sancita.... Legem itaque Mosaicam habemus divinitus sancitam, sed quia positam in pœnis tantum, aut præmiis temporalibus, ideo non æternum duraturam.* Hanc autem sententiam defendendam suscepit in sua infelici *apologia* pag. 150. sequent., docens legem Moysis non esse *nisi meram civilem constitutionem a Deo tamquam capite politico reipubl. Judaicæ, religioni Patriarcharum superadditam.* Rejicienda, inquam, est hæc sententia; ut enim animadvertit auctor anonymus (Boullierus) *du court examen de la thèse de Prades* §. 4. nullo modo dici potest, legem Mosaicam fuisse tantum civilem, quandoquidem totum Dei cultum continebat. Concedit tamen laudat Anonymus, posse Religionem Judaicam sub duplici quasi aspectu considerari; scilicet & prout tantum externa est, & quasi corpus sine anima, & *adæquate*, prout constituit societatem hominum hæredum fidei, & spiritus Patriarcharum. Primo modo nonnisi temporales promissiones exhibet, & qui eam exterius observabant, nonnisi temporalia præmia consequebantur. Sub alio autem respectu temporales promissiones aliarum longe majorum, nempe cœlestium, figura erant, & propterea illi justi, qui credentes in Christum venturum, deique amore repleti Legem observabant præter temporalia etiam æterna præmia promerebantur.

ge expressa fieret æternæ retributionis mentio; quia ut observat S. Thomas 1. 2. quæst. 99. art. 6. *lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum; unde ad perfectum dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quæ erat futura per Christum; & ideo populus ille comparatur puero sub pædagogo existenti, ut patet ad Galat. III. Perfectio autem hominis est, ut, contemptis temporalibus, spiritualibus inhæreat, ut patet per illud, quod Apostolus dicit Philipp. III. 13. quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum .... quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Imperfectorum autem est, quod temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum; perversorum autem est, quod in temporalibus bonis finem constituant: unde lege veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum.*

76. Quantum ad ultimum observo, in regimine *Theocratico*, quale fuit Israelitarum, non potuisse homines sibi ipsis ulla ratione blandiri, ut Deum peccando laterent, vel ejus justitiam ultricem effugerent, quemadmodum multi sibi blandiuntur in regimine puro humano: unde quamvis alii legislatores vel necessarium, vel saltem utile reputaverint ad continendos in officio populos, præter sanctionem hujus vitæ, etiam sanctionem alterius commemorare; id Moysi ratione *Theocratiæ* minime necessarium erat.

77. Dices adhuc. Sadducæi, nobilis apud Judæos secta, non credebant esse futuram vitam, teste Josepho libro II. *de bello Judaico* cap. 12. & libro XVIII. *Antiq. Judaic.* cap. 2. nec tamen ut hæretici ab aliis habebantur; immo nonnulli eorum summum Pontificatus apicem adepti sunt, ut Caiphas, qui ex eorum numero fuisse dicitur *Actorum* V. 16.; non itaque vita futura a Judæis habebatur, ut Mosaicæ legis dogma, sed ut opinio *ἀδιάφορος indifferens*.

78. Resp. Primo, hoc argumentum nimis probare: evinceret enim, post captivitatem Babylonicam, & tempora Machabaica adhuc fuisse incertum alterius vitæ dogma; nam Sadducæi sunt iis temporibus posteriores, & usque ad Christum eorum secta duravit.

79. Præterea eos nonnisi paucos fuisse, testatur Flavius Josephus Libro XVIII. *antiquitatum* cap. 1. addens: *Si quando Magistratus gerunt inviti, & necessitate coacti, Pharisæorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus.* Addit Rabbi Manasse Ben Israel Libro I. *de Resurrect.* cap. I., eos fuisse ab antiquis Hebræis a numero Israelitarum expunctos; & modo etiam qui pauci supersunt apud Judæos Sadducæi, ab aliis ut hæretici reputantur (*a*). Ceterum si Synagoga jam jam ruitura in hanc etiam laxitatem declinasset, ut doctrinam tam impiam, & perniciosam toleraret, non propterea evinceretur, oppositum dogma futuræ vitæ non fuisse alias certissimum, & in libris Mosaicis contentum.

80. Objicies quinto (*b*). In Pentateucho nobis exhibetur idea Dei rectæ rationi repugnans; ut cum dicitur eorum, quæ fiebant in terra, ignarus, descendere de cœlo, & migrare de loco in locum *Geneseos* XVIII. 21., cum hominibus loqui *Geneseos* III., & dolore cordis intrinsecus tangi *Genes.* VI. 6. zelotes, iratus, ultor, aliisque humanis affectibus, & perturbationibus obnoxius.

81. Respond. cum Sanct. Thoma I. P. quæst. 1. articul. 9. ad 2., hæc omnia, quæ metaphorice de Deo dicuntur, elevare mentem nostram *ad cognitionem inintelligibilium*, & ea quæ in uno loco S. Scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis expressius exponi. Addit S. Doctor, ipsam etiam occultationem figurarum utilem esse ad exercitium studiosorum (Vid. totus articulus). Ceterum in Pentateucho, & in aliis V. T. libris nihil frequentius occurrit, quam Dæi æternitas, immensitas, immutabilitas, præscientia, ceteraque attributa, quæ infinitam Dei perfectionem nobis manifestant.

82. Objicies sexto. Nihil minus Deo dignum, quam præcepta illa circa esum animalium *mundorum, & immundorum Levitici* XI. Hujusmodi præceptorum levitas, non solum a Plutarcho homine ethnico, animadversa est (in *Symposiaco*), sed etiam a Tertulliano lib. V. *adversus Marcionem* cap. 5. ab Origene *Homilia VII. in Leviticum*, & a Novatiano *epist. de cibis Judæorum* cap. 3.

83. Resp. Multi interpretes putant, hæc præcepta fuisse a Moyse lata sanitatis causa, quia nonnullorum animalium usus noxius reipsa erat, vel saltem ut populus sanioribus cibis assuesceret. Sed alia est etiam horum, aliorumque similium præceptorum ratio profundior. Deus fœdus cum populo Hebræo percutiens voluit eum ab aliis nationibus omnino separare, ne scilicet illarum commercio ad idololatriam declinaret: cum igitur in mensa familiarius, & jucundius esse soleat societatis vinculum, eas leges profunda sapientia Deus populo suo dedit, quibus non ita facile posset cum aliis convivari; atque hac ratione ab omni cum ethnicis nationibus societate magis alienaretur (*c*).

84.

(*a*) Adisis Jac. Basnagium *in Hist. Judaic.* Lib. III. cap. 6. art. 13. & seq.

(*b*) Cum auctore *de l'examen de la Religion* cap. 2. num. 6.

(*c*) Multa hac de re erudite scripsit R. Moyses Ægyptius in libro *More*, & *Moldad*, quæ ceteris Judæis displicuerunt, qui Christianæ religioni favebant: unde magnæ inter eos controversiæ exortæ sunt, ut videre est apud Maraccium in *Prodromo ad Alcoranum* P. IV. c. 9.

84. Patrum vero dicta, quibus hæc Mosaica præcepta contemnere videntur, *oratorie* sunt accipienda, ut Cotelerius inquit ( in not. 42. ad epist. Sanct. Barnabæ ); prolata scilicet ex justo odio erga Judæos, & Christianos judaizantes. Ceterum ii ipsi Patres legem Mosaicam debitis laudibus hac etiam in parte non fraudarunt; inter alios Tertullianus, qui Lib. II. *contr. Marc.* cap. 18. in hac lege intelligi vult *consilium exercendæ continentiæ, et frœnos impositos gulæ*, & postremo, *ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis, & non gulosis escis assuefactus, et nihil de lautioribus esuriturus*. Concludamus cum Psalmista: *Fidelia omnia mandata Dei ... facta in veritate, & æquitate* Psal. CX. 8.

85. Obj. supremo. Lex Moysis imperfecta est, ut eam vocat Apostol. *Heb.* VII. 18. & 19. unde etiam S. Thom. 1. 2. q. 98. art. 4. postquam docuisset, legem veterem non suffecisse, ut homines ad finem perduceret, concludit, *et inde est, quod lex vetus bona quidem est, sed imperfecta*. Lex autem imperfecta non potest a Deo esse revelata.

86. Resp. Legem Veterem non esse imperfectam in se ipsa, sed solum comparate ad Legem gratiæ, quam præfigurabat, & quia se sola non sufficiebat ad perducendos homines ad finem æternæ beatitudinis. Habebat tamen illam perfectionem, quæ in illis temporis circumstantiis ei competebat. *Ita etiam*, inquit Angelicus laud. quæst. art. 2. ad 1., *præcepta, quæ pueris dantur, sunt quidem perfecta secundum conditionem eorum, quibus dantur, etsi non sint perfecta simpliciter: et talia fuerunt præcepta legis. Unde Apostolus dicit ad Galat. III. 24. Lex pædagogus noster fuit in Christo* (*a*).

87. Obj. ultimo. Stylus librorum Moysis barbarus, & incultus nihil minus sapit, quam divinam inspirationem. Tanta præterea est in eis obscuritas, ut plerumque Delio natatore opus sit ad genuinum sensum investigandum. Tertio frequens earumdem rerum repetitio fastidium parit. Quarto multi in eis sunt *anacronismi*, & multæ *hysterologiæ*. Denique plura falsa, sibique repugnantia, ut quod dicitur *Genes. I.* 6. *fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*; quasi vero cœlum sit solidum, & super ipsum sint aquæ, quod utrumque falsum est. Item *Gen.* II. 10. & seq. dicitur, fuisse in Paradiso terrestri fontem, unde quatuor flumina prodierunt, nempe *Phison*, seu *Ganges*, *Gheon*, seu *Nilus*, *Tigris*, *et Euphrates*, quorum tamen origines ab invicem longissime distant.

88. Resp. cum doctissimo Bossueto ( *Discours sur l'hist. univ.* P. II. ch. 28. ), has ipsas difficultates, aliasque similes, quas imperiti quidam aristarchi sine modo exagerant, sacrorum librorum *αὐθεντίαν genuitatem*, antiquitatemque comprobare. Si enim ab aliquo impostore vel ex integro cusi, vel saltem interpolati fuissent, nihil profecto facilius erat, quam hujusmodi scopulos evitare, talemque historiam conscribere, quæ istorum Criticorum palatui esset accommodata. Sed singula breviter attingamus.

89. Stylus Pentateuchi non adeo incultus, & abjectus viris in dicendi arte peritis apparet. Nam, ut omittam eam sublimitatem quam Longinus ( in Tractat. *de sublimi* cap. 7. ) sibi invenisse visus est in iis Moysis verbis: *dixit Deus: fiat lux, et facta est lux* (*b*): Chalcidius Platonicus Genesim appellare solebat librum, non quidem eloquentiæ phaleris instructum, sed Deo inspirante plenum. Quibusdam autem Pentateuchi abjectus videtur, quia praseologiam, & idiotismos illius ævi, in quo exaratus fuit, perfecte non calleut (*c*).

90. Obscuritates autem nonnunquam oriuntur ex mysteriorum sublimitate; sæpe sæpius ex linguæ hebraicæ proprietatum, & ex quorumdam idiotismorum, & proverbiorum, quorum usus est obsoletus, ignorantia; ex ignorantia pariter veterum quorumdam morum, ad quos fit allusio: quandoque etiam ex quibusdam interpretum, vel ex scriptorum erratis. His ipsis de causis etiam in veteribus Scriptoribus latinis, aut græcis multa sæpe occurrunt intellectu difficilia. Verumtamen quantum ad dogmata, leges, cæremonias, & miracula ferme est in Pentateucho obscuritas, aut difficultas.

91. Repetitiones pluribus de causis oriri potuerunt, sed præcipue ex illius ætatis genio; nam et-

(*a*) Hæc Apostoli verba ita pulchre commentatur S. Hieronymus: *pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, & ad majores disciplinas metu pœnæ coercita præparatur. Itaque & lascivienti populo lex Moysis ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, & futuræ fidei præpararet.* Quædam sunt difficultates, quibus Manichæi probare conabantur, veterem legem esse malam; sed earum solutio ad hunc locum non pertinet. Videri possunt apud omnes Scholasticos, & apud Natalem Alexandrum Dissert. XIV. in Sec. II.

(*b*) Ne scilicet eam controversiam ingrediamur, quæ Huetium, & Despreauxium inter se aliquando commisit. Vid. Huetius in Dissert. X. Tom. 2. edit. P. Griselli Florentiæ 1738.; tum opera Boilean Despreaux Tom. II. edition. Amstelod. 1721. ac demum Jo. Clericus in *Bibliotheca Selecta* Tom. XXIV. cap. 83.

(*c*) De stylo Pentateuchi vide, si lubet, *Discours préliminaire, ou introduction à la lecture des livres du vieux test.* in I. Tom. *de la S. Bible avec un Comment. litteral composé des notes choisies, & tirées de divers auteurs Anglais* n. 208. & seq.; quæ introductio tribuitur D. Chais. Pauca etiam, sed selecta suppeditabit doctissimus Alexius Symm. Mazochius in suo *Spicilegio biblico* in prolegom. Sect. 2. *de Scripturarum simplicitate, & vicinitate Biblici, Homericique sermonis.*

etiam in Homero Poeta certe elegantissimo similes repetitiones sæpe occurrunt (a).

92. Denique anachronismi, & hysterologiæ plerumque nonnisi apparentes sunt, & a viris diligentibus industria, & labore magna ex parte auferri potuerunt (b).

93. Sed duo præterea notari debent; primo non semper Moysis, aut aliorum scriptorum sacrorum scopum fuisse, res ordine chronologico enarrare; plerumque enim materiæ ordinem sectantur, non temporum: secundo aliquos Librariorum negligentia in chronologicis numeris errores irrepsisse, qui postea aut vix, aut nullatenus emendari potuerunt. Hinc magna illa inter chronologiam Hebræorum, & LXX. Interpretum discrepantia. Ex quo autem permiserit Deus hos errores in chronologiam irrepere, suspicari non licet, potuisse eum permittere etiam in dogmatibus variationes, erroresque fieri. Hoc enim secundum contingere non potuisset sine substantiali sanctissimæ suæ Religionis corruptione (c).

94. Antilogiæ autem, & falsitates nullæ prorsus in sacris libris reipsa sunt, aut esse potuerunt; sed quandoque apparent, quia nonnullæ circumstantiæ nos latent, quæ si notæ omnino essent, omnia facillime inter se cohærerent.

95. Quod nostra Vulgata Gen. I. 6. vertit *firmamentum*, hebraicus habet רקיע *Rachyach*, idest *expansum*, quæ vox non significat soliditatem aliquam, sed totam illam intercapedinem, quæ a telluris superficie usque ad extrema mundi spatia extenditur, quæque ab Hebræis in duas partes dispertiri solet, nempe in illam, quæ tellurem ambit, & in qua Deus volatilia posuit: unde etiam aves dicuntur *volucres cæli*, *Genes.* I. 30., & alibi sæpe; & illam, in qua posuit Deus duo luminaria, & stellas. Quando ergo dicitur Deus dividisse aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis, quæ erant super firmamentum, sensus est, aquam resolutam in vapores, elasticitate impeditam, ne cadat, esse divisam ab aqua, quæ sub firmamento est, nempe in terra; unde est etiam illud Psalmi CXLVI.: *qui operit cælum nubibus*. Ita fere rem hanc explicat inter alios S. Hieronymus in epist. LXIX. *ad Oceanum* T. I.

96. Postremum de fonte Paradisi solvitur, observando, potuisse aliquando unam, eamdemque esse quatuor illorum fluviorum originem, quæ postea maximis, quas factas esse nemo negabit, terræ revolutionibus mutata sit, præcipue autem in diluvio, quo totam terræ faciem fuisse susdeque versam, certum est (d).

CA-

(a) Videri possunt *les conjectures sur le Genèse de* M. Astruck *Rem.* & M. de la Morte *Reflexions sur la Critique* pag. 159.

(b) Innumeri sunt commentatores, qui hanc difficilem spartam adornarunt, ut Jac. Usserius in *Annalibus V. & N. T.*, Alphonsus de Vignoles *Chronologie de l'Histor. Sainte &c.* Vol. II. in 4. Petavius *de doctrina temporum* Libro IX. cap. 6., Car. Houbigant in *Prolegomen. in Scripturam Sacram*, P. II., & P. Ren. Jos. Tourneminius in *Tabulis Chronologicis* additis II. Tomo Pat. Menochii editionis ab ipso curatæ Parisiis 1719., & Venet. 1722. Nuperius auctor anonymi libri, cui titulus *Conjectures sur les memoires originaux, dont il paraît, que Moyses s'est servi, pour composer le livre de la Genèse* (M. Astruck) a Bruselles, 1753. contendit, Geneseos librum nihil esse aliud, quam antiqua quædam monumenta a Moyse reperta, & in plures columnas distributa, quæ postea librariorum incuria, & ignorantia in unum volumen redacta sint. Præcipuam autem sui novi systematis utilitatem esse vult, quod facile eo admisso omnes anachronismi, & hysterologiæ tollantur: sed non video, quomodo possit hic auctor divinam libri *Geneseos* inspirationem, & auctoritatem cum suo systemate conciliare; præcipue cum doceat, nonnulla ex eis monumentis, quibus *Genesis* constat, esse a conterminis nationibus, Madianitis, Ismaelitis, Idumæisque deprompta. Contra has *Conjecturas* consulatur doctissimus P. Fabricy in suo opere *Des titres primitifs de la révélation* Tom. I. pag. 166. in not. Romæ 1722. vol. 2. in 8.

(c) Nullo modo ferenda est nova Pradesii sententia, qui in famosis thesibus an. 1752. a Sorbonica Facultate damnatis hæc habet: *In factis Hebræorum se nobis offerunt tres chronologiæ pro vario Scripturarum textu. Libenter ego crediderim, nullam ex his tribus a Mose chronologiam proficisci, sed tria tantum esse systemata præpostere adornata, & in ipsam Mosis historiam alienis manibus inserta*. Aliud est enim dicere, ex scriptorum oscitantia irrepsisse in sacram chronologiam errores inemendabiles, quod omnes fatentur, quia sine perpetuo quasi Dei miraculo in tot codicibus manuscriptis vitari id non poterat. Aliud vero asserere, tres chronologias, & quidem diversas fuisse in sacrum textum profana manu data opera intrusas, quod sine insigni librorum sacrorum corruptione fieri non poterat. Vid. *Court examen de la thèse de M. de Prades* §. 3. Ceterum eruditissimus P. Mich. Le-Quien in suo opere *L'antiquité de tems détruite, ou reponse à la defense de l'antiquité des tems* à Paris 1693. in 12. contra P. Pezronium ostendit, chronologiam Hebræorum esse alteri LXX. Interpretum præferendam.

(d) Eruditissimus Alexius Symm. Mazochius in *Spicilegio biblico* ad hunc locum probat, paradisum *Edenicum* situm fuisse in quadam majoris Armeniæ plaga, quam nominat *Paryadrem*, ibi enim ex uno fere montis ejusdem loco fluit *Phasis*, seu *Phison*, qui in Euxinum pontum effunditur; deinde *Araxes*, seu *Gehon*, qui in Mare Caspium fluit; tertio *Phrax*, nempe *Euphrates*, decurrens versus meridiem; ac tandem Tigris, quamvis iste satis longo intervallo, teste Strabone Lib. XI. ab Euphrate absit. Seneca tamen hoc affert Sallustii testimonium: *Sallustius auctor certissimus asserit, Tigrim, & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividuntur, spatio medio relicto multorum millium. Quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur*. Hæc si vera sunt, quatuor fluvios habemus ex eodem fonte prodeuntes.

## CAPUT II.

*Præcluditur illorum effugium, qui certitudinem miraculorum Moysis elevare conantur, dicentes, Pentateuchum fuisse longe post tempora Moysis conscriptum, aut graviter corruptum.*

97. Ultimum Incredulorum effugium, ne tam certis, evidentibusque miraculis fasces submittere cogantur, ab eorumdem nimis remota antiquitate desumitur. Quis certo scire possit, inquiunt, an hæc omnia ab otiosis, aut vafris hominibus conficta sint? An Moyses eos libros, iu quibus celebratissima illa miracula continentur, conscripserit? An ii libri integri ad nos pervenerint? Reipsa quidem maleferiati Critici evincere conati sunt, Pentateuchum ab aliquo auctore, qui Moyse posterior sit, fuisse conscriptum (*a*). Horum sententiam refellere necesse est, ut ita Incredulis omnis ansa tollatur suspicandi, ea miracula, quæ in ipso referuntur, fuisse ab aliquo fabulatore eo tempore conficta, quo nullus jam supererat, qui posset mendacia, & fraudes detegere, & refutare.

98. Prob. autem Moysem esse verum Pentateuchi auctorem. Primo nullum majus haberi potest de αὐθεντίᾳ alicujus libri fundamentum, quam constans, ac perpetua traditio; neque enim alia de causa, ut puto nobis persuasum est, *Æneidem* esse fœtum Virgilii, & *Iliadem* Homeri, nisi quia id perpetua traditione usque ad nos derivatum est. Atqui constans, & perpetua traditio a primis usque Hebræorum temporibus nos certos facit, Pentateuchum fuisse a Moyse exaratum: ergo &c.

99. Hujusmodi autem traditio ab ipso Moyse originem suam trahit; se enim quæ ipsi Deus revelaverat, scripto mandasse totidem verbis perhibet *Exodi* XXIV. 4.: *scripsit autem Moyses universos sermones Domini*. Totam etiam legem fuisse a Moyse scriptam, infinitis pene Sacr. Scriptur. testimoniis confirmatur. Ulterius etiam res historicas scriptas a Moyse fuisse, insinuatur *Exodi* XVII. 14., ubi Moyses jubetur litteris mandare victoriam a Josue reportatam: *dixit autem Dominus ad Moysem: scribe hoc monumentum in libro*. Celebre etiam Canticum, quod *Deuter.* XXXII. legitur, & in quo omnia miracula summatim collecta sunt, fuisse a Moyse scriptum manifeste traditur ibid. XXXI. 22. ubi dicitur: *scripsit ergo Moyses canticum*. Denique & alios libros, in quibus prophetiæ de Messia continentur, fuisse a Moyse scriptos, Christus ipse testatus est, Judæis minime contradicentibus Joann. V. 46. inquiens: *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*.

100. Hanc traditionem, quæ ab ipso Pentateucho exordium sumit, magnopere confirmat constans, & universalis totius Judaicæ gentis persuasio, quæ tota Pentateuchum, ut genuinum Moysis fœtum, semper venerata est, & adhuc veneratur (*b*). Hæc autem Judaicæ gentis persuasio eo pluris facienda est, quo hic non agitur de libris, quorum auctorem noscere parum, aut nihil intersit, ut plerumque in aliis contingit; sed de libris, qui totam Judæorum religionem, fastos, antiquitatesque continent; quique proinde maximo apud eos in pretio esse debebant, ut reipsa erant (*c*).

101. Quid? quod vel ipsa profana historia in hujus rei confirmationem accedit. Quotquot enim profani auctores gentis Judaicæ mentionem fecerunt, Moysem tanquam primum ejusdem legislato-

(*a*) Primus, qui hac de re dubium moverit, communiter fere creditur R. Abraham Aben-Ezra sæc. XII. Ita de illo sentiunt post Spinosam Huetius in *Demonstr. Evangel.* Prop. IV. Guill. Sanderus in *Otii Theol.* Lib. I. exercit. 2. §. 6. Dupinius, & alii passim. Veruntamen non videntur celebres isti viri rem propius inspexisse; nam Rabbinus ille in suis *Comment. in Pentateuchum* solum de quibusdam locis dubitavit, an a Moyse fuerint scripta. Fossam audacius transilivit Thomas Hobbesius, qui omnium primus, ni fallor, in suo *Leviathan* anno 1650. P. III. c. 33. nonnisi legem, quæ in *Deuter.* a c. XI. usque ad finem cap. XXVII. continetur, a Moyse fuisse exaratam voluit, *librum autem Pentateuchi potius de Moyse, quam a Moyse scriptum esse*. Hæc sententia placuit postea famoso Isaac Pereyrio in suo impio opere, ann. 1655. edito, cui titulus *Systema theolog. ex Præadamitarum hypothesi* P. I. Lib. IV. cap. 2. (quod tamen opus una cum Calvinismo Romæ ejuravit). Post hos majori conatu Moysi Pentateuchum eripere nisus est Ben. Spinosa in suo *Tractatu theol. polit. de libert. philosophandi* c. 8. In eumdem errorem lapsus fuerat Jo. Clericus in libro anonymo, cui titulus *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'Histoire Critique du V. T; composée par M. Richard Simon.* Sed postea sententiam mutavit in tertia *Dissert. Prolegomena in Genesim de scriptore Pentateuchi*. Horum numerum augent moderni Increduli, breviter, prout solent, definientes, Pentateuchum esse alicujus impostoris fœtum. Dolendum est, etiam Rich. Simonium inter catholicos huic errori accessisse, dum in *Hist. Critic. V. P.* Lib. I. capit. 2. ea, quæ historiam spectant, non a Moyse, sed a publicis scribis exarata fuisse, contendit. Contra hos magna nobilissimorum scriptorum cohors Moysi Pentateuchum vindicavit, ut Nat. Alexander *Dissert. IX. in V. T.* Dupinius in *Dissert. prælimin. de auct. libr. sacrorum*, Huetius in *Demonst. Evang.* Prop. IV. Calmet, Graveson &c. Plurimi etiam inter Acatholicos idem præstiterunt, qui laudantur a Buddeo in *Isagoge ad Theologiam* p. 1254. & a Wolfio in *Biblioth. Hebræor.* P. II.

(*b*) Flavius Josephus Lib. I. *Contra Apionem* cap. 8. libros Judæorum enumerans, *ex his*, inquit, *quinque sunt Moysis, qui & leges continent, & seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius interitum*.

(*c*) Præclare Paschalis *Pensées sur la Religion* cap. 8. *Magnum*, inquit, *discrimen est inter librum, quem aliqua privata persona spargit in populum, & librum* (quales sunt Mosaici), *in quo ipse populus formatus est. Hic tam antiquus esse debet, quam populus ipse*;

torem, & historicum pro certo memorant; quod argumentum immensa prorsus eruditione Huetius illustravit (*a*).

102. Quod autem nulla circa miracula, & historiam in libris Mosaicis facta sit substantialis mutatio, patet ex eo, quod omnia fere de verbo ad verbum etiam in sequentibus libris inveniantur, præcipue autem in Psalmis (*b*).

103. Ulterius impossibilem prorsus fuisse *insignem* aliquam horum librorum interpolationem, facile quisque concipiet, qui non ignoret, quanto in pretio illi omni tempore ab Hebræis habiti sunt (*c*).

104. Insuper hæc insignis corruptio vel statim post Moysis obitum facta fuisset, vel serius: utrumque autem plane impossibile fuit; nam si Moyse vix vita functo aliquis temerarias manus in ejus libros inferre fuisset ausus, cum recens adhuc illius gestorum memoria vigebat, neminem potuisset fraus latere. Post autem multiplicatis, ut credere par est, exemplaribus, imo fortasse in alienam quoque linguam iisdem translatis, multo minus *insignis* eorum adulteratio possibilis erat. Ad hæc, necesse omnino erat, non solum Pentateuchum, sed omnes etiam subsequentes libros sacros, potissimum autem libros Psalmorum, Ruth, Judicum, & Josue eadem adulterina manu vitiare, cum in iis frequentissima miraculorum Moysi mentio habeatur.

105. Obj. primo. Nihil frequentius occurrit, quam librorum suppositio; & ne procul exempla petantur, neminem latet, fuisse Moysi plures libros falsos adscriptos. Illius enim illustri nomine olim gaudebant, *Quatuor secreta*, *atque occultæ scripturæ*, *Sermones mystici*, *Testamentum*, *Assumptio*, vel *Ascensio*, atque *Revelatio*; tum ipsius λεπτὴ γένεσις *Parva genesis* ab aliquibus auctoribus laudata (*d*). Plura etiam antiquis Patriarchis, qui Moysem præcesserunt, adscripta sunt opera, de quibus vid. Jo: Albertius Fabricius in *Pseudo epigrapho* V. T. Eadem ergo ratione potuit Moysi Pentateuchus falso adscribi (*e*).

106. Resp. Iisdem ipsis sanioris criticæ regulis, quibus supposititia deteguntur opera, genuina confirmari. Hinc quemadmodum laudati libri ab omnibus omnino rejiciuntur, quia eorum suppositio decreta facile fuit, ita ab opposito Pentateuchus recipitur, quia nulla est ratio de ejus autenticitate dubitandi.

107. Obj. secundo. Ut habetur 4. *Reg.* XXXII. & 2. *Paralip.* XXIV. Josia regnum Judæ moderante, Helcias magnus Sacerdos *librum legis reperit in domo Domini*. Porro cum audisset *Rex verba libri legis Domini*, *scidit vestimenta sua*. Ex hoc loco duplex contra nos adversarii telum intorquent. Primo, inquiunt, stupor ille, quo Rex verba hujus libri audiens correptus est, satis indicat, eum librum ab hominum memoria plane excidisse; quod tamen incredibile foret, si Pentateuchus fuisset creditus legitimus fœtus Moysis. Secundo Helcias facile potuit ea occasione, vel totum Pentateuchum ex integro confingere, vel saltem interpolare.

108. Resp. Librum ab Helcia inventum, ut ex contextu Scripturæ apparet, fuisse solum Deuteronomium, quod vocari solebat *Liber legis*, quia compendium totius legis Mosaicæ una cum minis, & maledictionibus contra ejusdem violatores continebat: & satis probabiliter bene multi interpretes conjectantur, hunc librum fuisse autographum manu Moysis exaratum, qui in latere arcæ fœderis manere debebat *Deuter.* XXXI. 26., sed in præcedentibus regni Juda calamitatibus fuerat sub thesauro absconditus; unde etiam 2. *Paralip.* XXXIV. 14. dicitur, *reperit Helcias Sacerdos librum legis Domini per manum Moysi*.

109. Ut ut tamen hæc sint, stupor ille, ac dolor Josiæ Regis ex duplici causa ortus est, primo, quod seipsum agnoverit illius mandati transgressorem, quod legitur Deuter. XVII. 18., ut scilicet Rex initio regni sui describeret sibi Deuteronomium, illudque legeret omnibus diebus vitæ suæ, quod Josias ab impio patre Amon male educatus ignoraverat. Secundo, pavor ac dolor magis adauctus est lectis terribilibus illis maledictionibus, quæ contra violatores legis a Deo fuerant comminatæ, & quarum memoria, sin minus tota, quod factu impossibile erat, magna saltem ex parte obliterata fuerat. Id autem mirum videri non debet in tanta, quæ præcesserat, Judæorum corruptione (*f*).

110.

(*a*) In *Demonstr. Evang.* Prop. IV. capit. 2. Vid. etiam Nat. Alexander Dissert. IX. in *Hist. Eccles. V. T. de quarta mundi ætate*.

(*b*) Vid. psalmi LXXVII. CIV. CV. & CXXXV.

(*c*) Josephus loco superius citato de divinis Moysis libris hæc habet: *cum tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quidquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus*.

(*d*) Confer Coteleriun not. 1. ad cap. 16. Lib. VI. *Constitut. Apostol.* & Ceillier Tom. 1. *des Auteurs Eccles.* cap. 5. art. 5.

(*e*) Vogelius in sua editione *Ant. Sac. Vet. Heb.* Hadr. Relandi Halis 1769. in 8. aliquibus argumentis ostendere nisus est, librum ab Helcia inventum, fuisse prophetias Isaiæ, quibus calamitates populi Israelitici prædicebantur. Sed præter alias difficultates, quibus hæc Vogelii opinio obnoxia est, obstant, quæ 4. *Regum* XXII. 2. habentur: *legitque* (Rex) *cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini*. Porro liber fœderis esse non potest, nisi Deuteronomium, aut totus Pentateuchus. Josephus Lib. X. *Antiq. Judaic.* cap. 4. videtur indicare totum Pentateuchum: inquit enim: *Helcias forte incidit in sacros libros Moysis*.

(*f*) Prideauxius *Histor. des Juifs.* P. I. L. I. putat, stuporem illum indicare, nullum legis exemplar fuisse ante, neque ab Helcia, neque a rege Josia visum, quamvis fortasse nonnulla alia apud aliquos laterent. Sed hæc opinio parum probabilis videtur. Si enim aliqui, fatente Prideauxio, volumen legis custodierunt, quanto

110. Quod autem subditur, potuisse Helciam ea occasione Pentateuchum aut totum de novo fingere, aut insigniter adulterare, prorsus incredibile est. Nam primo id non tulissent decem tribus Israel, quæ fuerant in exilium adsportatæ; immo nec Samaritani, qui in earum locum successerant, & libros Moysis habebant (a). Secundo nedum Pentateuchum, sed omnes subsequentes libros Josue, Judicum, Ruth, atque Psalmorum adulterare opus erat; cum in iis omnia fere repetantur, quæ in libris Mosaicis continentur.

111. Inst. (b). Certum est, omnia Scripturarum exemplaria olim periisse, sive cum templum a Chaldæis incensum est 4. *Regum* XXV. sive alio quovis casu; qui ergo nunc extant libri, suppositii sunt. Ant. prob. ex libro 4. *Esdræ* XIV. 21. seq. ubi dicitur: *lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ a te facta sunt*. Et insuper additur, Esdram una cum quinque viris spatio 40. dierum scripsisse libros 204. Hinc communi SS. Patrum consensu Esdras ut novus sacrorum librorum restitutor, aut editor habetur. Nam Tertullianus Lib. I. *de cultu femin.* cap. 3. *Jerosolymis*, inquit, *Babilonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum*. Idem testatur Irenæus apud Eusebium lib. V. *Histor. Eccle.* cap. 8. Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromatum*, Hieronymus Lib. *adv. Helvidium*, Isidorus Lib. IV. *Etymolog.*, Chrysostomus Hom. III. in epist. ad Hebr., Theodoretus *Præfat. in Cantica*, Leontius Bizantinus *de sectis* act. 2., & omnium luculentissime S. Basilius, qui *in epistola ad Chilonem* inquit: *Esdras libros omnes Scripturæ divinitus inspiratæ ex Dei mandato ad communem omnium usum eructavit, et exprompsit*. Alii putarunt libros sacros fuisse ab Esdra in compendium redactos. Ita Andr. Masius *præfat. Comment. in Josuem*, & Theod. Bibliander *de opt. gen. interpret.* Increduli autem nostrorum temporum ab Esdra fuisse omnes libros V. T. confictos clamant (c).

112. Resp. Vix, ac ne vix quidem credibile esse, vel hostium furore, vel Judæorum incuria omnes prorsus antiquos sacros codices periisse, ut ne unus quidem apud Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum, Esdram, aliosque Prophetas, & religionis zelatores superfuerit. Præterea Lib. I. *Esdræ* VI. 18. dicitur: *& statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi*. Id autem 60. fere annis factum est, antequam Esdra Jerusalem adveniret, ut Prideauxius observat. Ulterius, ut habetur 2. *Esdræ* VIII. cum populus dixisset Esdræ, *ut afferret librum legis Moysi*, statim subditur: *attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine &c.*, ubi nulla mentio fit novæ inspirationis, qua libri deperditi fuerint iterum conscripti. Demum, ut cætera omittam, Josephus Lib. XI. *Antiquit. Judaic.* cap. 10. narrat, Cyrum ex lectione vaticiniorum libri, quem Isaias ante annos 210. reliquerat, fuisse commotum, ut Judæis in patriam revertendi potestatem faceret. Supererat itaque in captivitate Babylonica liber Isaiæ: quidni ergo multo magis libri Mosaici, quorum cura major esse debebat? Esdram autem non potuisse Pentateuchum confingere, aut graviter immutare vel ex eo solo luculenter apparet, quod Samaritani non obmutuissent (d).

113. Sed inquiunt: qua igitur ratione Esdras & a se ipso (Lib. IV. *Esdræ*) & a Patribus tamquam legis restaurator, novusque sacrorum librorum conditor laudatur? Resp. quantum ad primum, nullam prorsus esse libri IV. *Esdræ* auctoritatem, utpote qui utriusque Ecclesiæ græcæ, & latinæ consensu in apocryphis numeratur: & in judaicis fabulis a capite ad calcem refertus a doctis omnibus modo exploditur (e).

114. Neque refert eum a nonnullis Patribus fuisse interdum ut canonicum allegatum; immo Ecclesiam quasdam suas preces, quæ publice in *Missali*, & *Breviario* leguntur, ab eo deprompsisse (f). Non inquam id refert; nam paucis respondet Calmetus *Dissert. in IV. Lib. Esdræ: his omni-*

magis id a Sacerdote Helcia factum fuisse putabimus?

(a) Vid. 4. *Regum* XVII.; tum liber, cui titulus *Nouveaux éclaircissemens sur l'origine du Pentateuque des Samaritains par un Religieux Benedictin de la Congrégation de S. Maur.* vol. 1. in 8. à Paris 1760.

(b) Cum Spinosa *Tract. theol. polit.* cap. 9., & Hobbesio in *Leviathan* cap. 33.

(c) Ita auctor pestilentis libri, cui titulus *Examen important de Milord Bolinbroke* ch. 4. Ita quoque Voltairius, & nonnulli alii se invicem exscribentes. Minus absurda, sed tamen falsa est opinio Newtoni putantis, libros Moysis fuisse deperditos, quando Philistæi arca Domini potiti sunt, fuisse autem a Samuele ex diversis fragmentis, quæ supererant, restitutos. Quis enim crediderit, nullum aliud tunc temporis fuisse Pentateuchi exemplar præter illud, quod servabatur in arca?

(d) De Pentateucho Samaritano confer *Proleg.* III. Walthonis num. 29. & 30.

(e) Ejus auctor vocatur ab Huetio *homo male, & inepte fraudulentus in Demonstr. Evang.* Prop. IV. cap. 14. num. 19.

(f) Preces, quas Ecclesia ex lib. IV. *Esdræ* desumpsit, hæ sunt: Introitus feriæ 3. Pentecostes: *Accipite jucunditatem &c.* 4. Esdræ II. 36.; in officio Paschali Martyrum: *Lux perpetua lucebit vobis &c.* II. 15.; *Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt &c.* II. 45. Patres vero, qui librum hunc tamquam canonicum laudarunt, sunt Ambrosius *de bono mortis* c. 10. & alii, Tertullianus initio operis *de præscript. hæret.* Clemens Alex. lib. I. *Stromatum*, & *alii*. Immo ea opinio, quæ olim apud multos Patres obtinuit, de imminenti fine mundi, ex apocrypho hoc libro dimanasse creditur. Vid. Sixtus Senensis Libr. I. *Biblioth.*

*mnibus unum*, *sed perentorium opponimus*, *nimirum græcorum*, & *latinorum omnium suffragio a Canone excludi*.

115. Patres vero quod attinet, recte Natalis Alexander observat ( *Hist.* V. T. Dissert. 4. *de Sexta mundi ætate* art. 1. ) eorum plurimos appellasse hoc sensu Esdram sacrorum restauratorem, quatenus is soluta captivitate Babylonica sacros codices iis turbulentis temporibus exscriptorum oscitantia, vel inscitia corruptos ad fidem exemplaris autographi, quod conservatum probabiliter fuerat, diligentissime emendaverit. Addit Dupinius ( *assert. prælim. in S. Script.* Lib. I. cap. 4. §. 3. ), Esdram libros sacros collegisse, redegisse in ordinem, eorumdem canonem composuisse, eos chaldaicis litteris, quæ solæ post captivitatem Babylonicam a populo intelligebantur; (*a*) ac denique fortasse de suo ( non tamen sine Deo ) nonnulla adjecisse, ad majorem connexionem, & explicationem pertinentia.

116. Ceterum si qui sunt Patres, qui ad hunc sensum commode revocari non possint ( ut Clemens Alexandr. Libr. I. *Stromatum* n. 22. & S. Basilius epist. 42. ad Chilonem n. 5. ) modeste desevendi sunt; cum constet, eos a supposito Lib. IV. *Esdræ* fuisse innocenter deceptos (*b*).

117. Inst. secundo. Saltem in generali illa urbis vastatione, quæ sub Antiocho facta est, omnes libri sacri perierunt; dicitur enim Lib. 1. *Machab. I.* 59. & *libros legis Dei combusserunt igne scindentes eos*: & *apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini* .... *trucidabant eum*.

118. Resp. Plura quidem veteris exemplaria in magna illa calamitate periisse, non autem omnia; quod colligitur ex eodem Lib. I. *Machab.* ibi enim Cap. III. 48. dicitur; & *expanderunt libros legis*, *de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum*.

119. Inst. tertio. Justinus, Irenæus, Origenes, Hieronymus, aliique Patres Judæos sæpe accusarunt, quod Scripturas sacras corruperint: ergo &c.

120. Resp. In eo tantum Judæos fuisse accusatos a nonnullis Patribus, quod quædam loca ad Messiam spectantia vitiaverint: justa necne fuerit hæc accusatio, non est præsentis instituti definire. Illud certo certius est, Scripturas Sacras, quantum ad miracula, leges, & historiam, aliaque hujusmodi puncta capitalia, tam sæpe in iisdem repetita, nec fuisse corruptas, nec corrumpi potuisse; præcipue Pentateuchum, quem etiam Samaritani conservarunt (*c*).

121. Obj. tertio. Plura in Pentateucho sunt, quæ verosimile non est, potuisse a Moyse scribi. Nam 1. de Moyse sermo sæpe fit in tertia persona; at vero Moyses debuisset de se loqui in prima persona, quemadmodum in prima persona de se loquitur *Deuter.* II. 1. 2., & 17.

122. Præterea auctor Pentateuchi alios libros memorat a Moyse conscriptos veluti alienos, nempe *librum fœderis Exodi* XXIV. 7. librum *bellorum Dei Numer.* XXI. 14. & *librum legis Deuter.* XXXI. 9. *scripsit Moyses legem hanc*: non autem laudarentur hi libri, veluti alieni, si Pentateuchus totus fuisset eadem Moysis manu exaratus.

123. Accedit tertio, in eo sæpius elogia Moysis celebrari. *Num.* XII. 3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines*, *qui morabantur in terra*. *Deuter.* XXXIII. 1. vocatur *homo Dei*, & ibidem cap. ult. 10. & *non surrexit ultra propheta in Israel*, *sicut Moyses*; at vero quis credat, voluisse Moysem sibi ipsi has laudes tribuere?

124. Demum eodem cap. ult. *Deuter.* describuntur mors, & sepultura Moysis, tum planctus Israelitarum, imo successio Josue in ejus locum. Et postea comm. 6. additur: & *non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem*: quæ verba indicant, nonnisi longo tempore post Moysem hæc scripta fuisse.

125.

*Sancta de scriptis apocryphis Scripturæ Sanctæ insertis*, & Bonfrerii *præloquia in totam Sacr. Script.* c. 4. Sect. 2.

(*a*) Hanc literarum mutationem non esse omnino certam, ostendit cl. P. Gabriel Fabricy in eruditissimo opere *des titres primitifs de la revelation* Tom. 1. p. 111.; negat vero post multos alios viros doctissimos cl. P. Hyac. Arizzara in Mutinensi Universitate Sac. Liter., & lingu. Orient. Professor in *Disquisit. analytica de hebraicorum characterum in sacris Bibliis origine*, & *antiquitate*. Mutinæ 1781. in 4. Videri etiam potest *la* III. *Dissert. sur Esdras* Tom. XVII. *de la Sainte Bible avec des notes litterales*, *critiques*, & *historiques* &c. Sec. edit. à Paris 1773. in 4.

(*b*) De hac difficultate præter scriptores jam laudatos fusius agunt Calmetus in Dissert. *An Esdras scripserit*, *seu restauraverit libros sacros*; tum IV. Dissert. Abb. de Vence de Esdra, quæ prostant in Tom. XVII. novæ edit. *de la S. Bible par M. Rondet*; item Dan. Huetius in *Demonstr. Evang.* prop. IV. Bellier *des auteurs Ecclesiast.* Tom. I. Bellarminus *de verbo Dei* Lib. II. cap. 1. Bonfrerius *Præloquia in totam S. Script.* cap. 6. sect. 8. & novissime P. Th. Cerboni in *Theol. revelata* Tom. I. Lib. 2. quæst. 2. ar. 3. Ex heterodoxis autem Walthonus in *prolegom.* Prideauxius *Hist. des Juifs.* P. I. L. 5. Christian. Kortholtus *de variis scripturæ Sac. editionibus* c. 1. aliique a Buddeo laudati in *Hist. Eccles.* V. T. Tom. II. Periodo II. sect. 5. §. 12.

(*c*) Id a Bellarmino T. I. *Controv.* Lib. II. c. 1. a Nat. Alexandro Dissert. XI. in sæc. III. art. 1. a Lud. Capello in *Crit. sacr.* invictis argumentis demonstratum fuit. Accessit nuperrime doctissimus P. Fabricy Ord. Præd. in suo erudito opere *des primitifs de la religion*. Vol. 2. in Rom. 1772. De Pentateucho Samaritano videri possunt P. Natal. Alexander in *Hist. Eccl. V. T.* de VI. Mund. 5. 1. art. ætate cap. & scriptores ab eo laudati; quibus addi etiam potest auctor *des Nouveaux Éclaircissemens sur l'Origine du Pentateuque des Samaritains*, à Paris 1760. par un Religieux de la Congr. de S. Maur.

125. Resp. Primum leve esse; innumera enim occurrunt exempla Scriptorum, qui de se ipsis in tertia persona locuti sunt, ut Julius Cæsar in suis *Commentariis*, aliique sexcenti. Id multo magis a viris θεοπνεύστοις fieri potuit, ut ostenderent, se non proprio sensu, sed divino afflatute spiritu loqui. Hinc etiam S. Matthæus sui conversionem memorat in tertia persona: *Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine &c. Matth. IX.* 9.

126. Eadem ratione potuit Moyses libros a se elucubratos, tamquam alienos commemorare, quanquam probabile admodum est, eos libros non fuisse a Pentateucho distinctos. *Volumen* enim *fœderis* commemoratum Exod. XXIV. nihil aliud in se continebat, quam leges a Moyse latas, & a populo acceptatas, quæ ibidem, aliisque in locis inveniuntur. *Liber* autem *bellorum Domini*, cujus mentio fit Num. XXI., opinione plurimum interpretum nihil fuit aliud, quam historica narratio belli cum Amalecitis, quæ in Exodo continetur; observat enim Nat. Alexander, vocem hebraicam בספר *Besepheri*, quam vulgatus interpres reddidit *in libro*, posse etiam significare *narrationem*, vel *relationem*, quo sensu adhibetur *Genes.* V. 1. Demum *librum legis* commemoratum *Deuter.* XXXI. in ipso Deuteronomio contineri, putant interpretes melioris notæ.

127. Ad 3. pariter in promptu sunt exempla Scriptorum, qui sibi promeritas, totasque laudes non denegarunt; quanquam hi forte ex φιλαυτίᾳ, & χενοζίᾳ id fecerunt, Moyses autem Deo ispirante, & volente.

128. Postremum ab iis facile solvitur, qui ea, quæ ad calcem Deuteronomii leguntur, fuisse vel a Josue, vel ab Esdra, vel ab aliquo alio Scriptore sacro, & inspirato adjecta arbitrantur, ut nihil historiæ Moysis deesset. Immo putant nonnulli, extremum Deuteronomii caput esse libri Josue initium; quod an cum solido fundamento dici possit, alii viderint. Sed Joseph Lib. IV. *Antiq. Judaic.* cap. ult., & Philo Lib. III. *de Vita Moysis* censet, hæc omnia fuisse a Moyse spiritu prophetico prævisa, & litteris, ita Deo volente, consignata: quæ sententia probabilis admodum est.

129. Inst. primo. Regula est criticis omnibus nota, eos libros pro supposititiis habendos, in quibus aliqua inveniuntur eo auctore, cujus nomen præferunt, posteriora; sed reipsa multa in Pentateucho sunt, Moyse longe posteriora: ergo &c. Minor multipliciter probatur, & primo ex *Genesi*; nam cap. XII. 6. dicitur: *pertransivit Abraham terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem; Chananæus autem tunc erat in terra*. Postrema hæc verba innuunt, hoc eo tempore scriptum fuisse, quo Chananæus fuerat jam a terra illa expulsus, quod longe post Moysis obitum contigit.

130. Ulterius multa locorum, & civitatum nomina recensentur, quæ nonnisi post Moysem in usu fuerunt. Cap. X. 11. memoratur civitas *Ninive*, quod nomen a Nino tractum fuisse, Strabo docet Libr. XVI. *Geograph.*: Ninus autem fuit Moyse longe posterior. Cap. XIV. 14. civitas quædam appellatur *Dan*, quæ Moyse vivente appellabatur *Lais*, seu *Lezem*. Item XXII. 14. mons *Moria* appellatur *Dominus videt*, vel potius *Dominus providebit*; quod nomen nonnisi eo tempore obtinuit, quo mons ille fuit templi ædificationi destinatus. Eadem ratione sæpius memoratur *Hebron Gen.* XXIII. 27. quod nomen Moyse recentius est; civitas enim illa vocabatur *Kariath Arbe*, ut colligitur ex Josue XIV. 15. Etiam *Ur Chaldæorum*, cujus mentio fit *Genes.* XI. 28. ætate Moysis vocabatur *Padan Aran*; & præterea *Chaldæi* ita dicti sunt a *Chaldæo*, qui decimusquartus fuit eorum rex. *Genes.* XXXV. 21. nominatur turris *Eder*, seu *gregis*, quod nomen longe post Moysem fuit uni ex turribus Jerusalem tributum, ut patet ex *Esdræ* III. 1. Item *Genes.* XL. 15. dicitur Joseph sublatus *de terra Hebræorum*; at vero terra illa, unde Joseph sublatus est, Moyse vivente vocabatur *terra Chanaam*, nec dici potuit *terra Hebræorum*, nisi postquam Chananæis expulsis Hebræi eam incoluerunt, Moyse jam vita functo. Demum prophetæ in *Genesi* appellantur Nabi; cum tamen antiqua Moysis ætate dicerentur *Roeh videntes* 1. *Reg.* IX. 9.

131. Resp. Illum Critices canonem valere, quotiescumque firma non suppetunt fundamenta, quibus librum esse genuinum omnino demonstretur, & quotiescumque nulla probabilis ratio reddi queat, cur illa posteriora iis in libris inveniantur. Jam vero & solidissimis fundamentis Pentateuchus Moysi tribuitur, ut superius vidimus, & ratio insuper reddi potest, cur ea omnia, quæ Moyse sunt posteriora, in eo inveniantur.

132. Nam quantum ad primum, ea verba: *Chananæus autem tunc erat in terra*, hunc possunt sensum commode reddere: *Chananæus jam tempore Abram erat in terra illa*; ut scilicet indicetur, quam antiquus esset Chananæorum in illa terra incolatus. Atque id significat particula אז *az* ibi adhibita; quod etiam R. Aben-Ezra adversarius noster notavit. Dici etiam potest, hanc quasi parenthesim fuisse ab aliquo alio postea adjectam. Non desunt, qui putent, hæc a Moyse prophetice fuisse scripta, quasi diceret *Chananæus, quem vos expelletis, erat in terra illa*.

133. Ad 2. de variis nominibus &c. resp. cum Bossueto (*Discours sur l'hist. univ.* P. II. c. 28.) hæc, & alia minoris momenti potuisse ab aliquo alio scriptore θεοπνεύστῳ, puta Josue, aut Samuele addi, vel immutari majoris explicationis gratia, ne scilicet a nominibus ignotis aliquæ tenebræ sacro textui offunderentur. Et fortasse etiam prius in margine hæc nostra sunt, post autem ex margine in textum sensim transierunt. Ceterum hæc levia sunt, & adversarios provocabat laud. Bossuetus, ut aliquam additionem ostendant in

in legibus, in cæremoniis, in dogmatibus, in miraculis, in prophetiis, vel aliis rebus gravioribus (*a*). Denique fortasse omnia illa nomina etiam ætate Moysis in usu fuisse demonstrant Nat. Alexander, Dupinius, Huetius, atque etiam Ceillier Tom. I. *des auct. eccles.* capit. 1.

134. Inst. secundo. *Genes.* XXXVI. 31. & sequ. octo reges enumerantur, qui regnaverunt in *Edon*, *antequam haberent regem filii Israel;* quo ex loco triplex exurgit contra nos argumentum. Primo enim fit mentio insignis illius mutationis, quæ in republica Israelis facta est, quando Judicibus rejectis Saul in regem inauguratus fuit longe post Moysis obitum. Deinde octo illi reges ab Esau originem trahebant; at vero a Jacob fratre Esau usque ad Moysem nonnisi quatuor generationes effluxerunt; Moysen enim filius Amram, filii Caath, filii Levi, filii Jacob: non potuerunt ergo tam brevi tempore octo reges ex familia Esau sibi succedere. Demum præter octo reges etiam nonnulli duces in *Edom* ibidem numerantur, quos certe Moyses multo minus noscere potuit, cum regibus in Idumæa successerint; dicitur enim *Paralipom.* I. 51. *Adad autem mortuo* (qui postremus regum fuit) *duces pro regibus in Edom cœperunt esse* &c. quibus verbis evincitur, duces successisse regibus.

135. Resp. Missis aliorum opinionibus (*b*), ad primum argumentum dico, ea verba: *antequam haberent regem filii Israel*, non esse referenda ad Saulem, ut Jo. Clericus (Dis. 3. *de Pentateuchi auctore*), aliique contendunt, sed ad Moysem, qui latiori sensu fuit appellatus *Rex* a Philone (in ejus vita) &, ut volunt plures interpretes, etiam a se ipso *Deuter.* XXXIII. 5. Et quidem Moyses potuit dici *primus Rex Israelis*, quia ante eum nullus erat totius nationis princeps, vel dux, sed quamlibet familiam prior natu regebat; primus autem Moyses Monarchicum imperium in tota illa gente exercuit. Vel etiam ea verba intelligi possunt de initio *theocratiæ*, quæ a fœdere inter Deum, & filios Israel icto *Deuteron.* VII. & XXXI. 18. inchoatur. Hinc quando Hebræi regem a Samuele petierunt, dixit Deus idem Samueli 1. *Reg.* VIII. 7. *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Exponit igitur Moyses, quotnam, & qui in Idumæa regnaverint, antequam Deus fœdus cum filiis Israel percuteret.

136. Ad alterum de octo regibus Edom resp. illos fuisse Moyse priores, ita ut postremus, nempe Adad, fuerit Moysi coævus; unde videtur etiam Moyses majorem illius notitiam habuisse, cum & uxorem illius nominet, & insuper uxoris matrem, & aviam, quod in aliis non fecerat. Nec vero obest, quod a Jacob usque ad Moysem nonnisi quatuor effluxerint generationes; unde adversarii colligunt, non potuisse ab Esau fratre Jacob usque ad Moysem octo sibi reges succedere. Non, inquam, id obest; nam 1. generationes a Jacob usque ad Moysem, quamvis numero pauciores, potuerunt magis inter se distare, propter longiorem patrum, & avorum ætatem; nam Levi atavus Moysis vixit 137. annos *Ex.* VI. 16. Præterea si ponantur 4. generationes, quæ a Jacob usque ad Moysem interfuerunt, spatium 200. circiter annorum comprehendere, jam tempus habetur sufficiens, quo octo reges in Edom potuerint sibi succedere; præcipue cum isti reges non hæreditario jure, sed electione sibi successisse videantur; neque enim rex successor vocatur filius prædecessoris, sed potius *expresse* vocatur filius alterius, qui non fuit rex. Cum autem in regno electivo plerumque viri assumantur provectæ ætatis, nemini videbitur nimis exiguum, si quinque regiminis lustra singulis assignentur.

137. Restat ultimum de ducibus, qui enumerantur post reges. Sed hi duces, qui regibus in Imperio Idumææ successerunt, non unus post alterum, sed omnes simul, eodemque tempore variis Idumææ provinciis præfuerunt; quemadmodum & illi, qui in eodem c. *Gen. xxxvi.* 29. & seq. dicuntur duces *Horræorum*. Ab his ducibus fuisse Idumæam simul administratam, quando Israelitæ mare rubrum transierunt, luculenter nos docet Moyses in Cantico inquiens: *Tunc conturbati sunt principes Edom*. Exodi XV. 15.

138. Inst. tertio. Etiam in *Exodo*, & *Deuteronomio* plura sunt, quæ a Moyse litteris mandari non potuerunt. Quod enim *Exodi* XVI. 35. dicitur: *Filii Israel comederunt manna 40. annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines Chanaam;* hoc certe a Moyse nec scribi, nec videri potuit. 2. Quod pariter dicitur *Deut.* II. 12. *in Seir prius habitaverunt Horræi, quibus expulsis, atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Deus*, sup-

(*a*) Putant nonnulli, has traditiones Esdræ esse tribuendas, quod tamen difficile ex eo videtur, quod etiam inveniantur in Pentateucho Samaritanorum; unde necesse est, has esse antiquiores schismate decem tribuum; neque enim illæ decem tribus, multoque minus Samaritani has additiones ab Esdra accepissent. Carol. Franc. Houbigant in suis *Proleg. ad Script. S.* eos refellit, qui Samariticum Pentateuchum ex aliquo græco exemplari descriptum esse putant: etenim a versione LXX. virali in nonnullis differt.

(*b*) Aliqui censent totam illam genealogiam regum Edom fuisse ab aliquo scriptore sacro posterius adjectam. Conjecturam afferunt ex eo, quod eadem genealogia legatur in Lib. I. *Paralip.* I. 43. & sequ. tum etiam ex eo, quod in Sixtina editione caput XXXVI. absolvitur 30. commate, nec ibi illa genealogia legitur. Alii cum Huetio in *Demonstr. Evangel.* Prop. IV. cap. 14. §. 13. hæc ad spiritum propheticum referunt, quo Moysem fuisse instructum dubitari non potest. Porro Israelitas regem ad instar aliarum nationum petituros Moyses clare prædixit *Deuter.* XVII. 14. & 15.; quare etiam leges hac de re tulit, non eligeretur alienigena, non multiplicaret sibi equos, Deuteronomium sibi describeret &c.

supponit, nedum Israelitas fuisse jam in Palæstina, sed etiam Idumæos expulisse, quod nonnisi David regnante contigit. 3. Ejusdem *Deuter.* III. 11. dicitur de Og rege Basan, qui solus remanserat de stirpe gigantum: *Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Hic plura sunt, quæ ætatem redolent Moysi posteriorem. 1. Eccur Moyses gigantis proceritatem ex lecti mensura indicasset Israelitis, qui ipsum vivum, & pugnantem in acie, post autem occisum, & humi jacentem viderant? 2. Gigantis lectus ætate Moysis probabilius in Basan ejusdem gigantis patria esse debebat, quam in Rabbath apud Ammonitas. Demum verosimile potius est, hujusmodi lectum fuisse eo tempore inventum, quo David Ammonitis devictis Rabbath occupavit, quemadmodum Lib. 2. *Regum* XII. 30. narratur. Accedit & illud quod legitur *Deuter.* III. 14. de Jair Manasse: *vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jair; idest Villas Jair, usque in præsentem diem:* quæ postrema verba inscite ab auctore coævo adhibita fuissent.

139. Resp. ad 1., id a bene multis inter Moysis prophetias recenseri, quatenus prævidit, Israelitis in deserto numquam cœlestem illum cibum defuturum, quousque tangerent fines terræ Chanaan. Quod si hæc responsio aliquibus minime placeat, quia ibi non futurum, sed præteritum tempus ponitur, nihil vetat, ut dicamus, hæc pauca verba fuisse ab alio auctore sacro adjecta, cum nullam habeant cum prioribus connexionem, & solum ad historiæ complementum spectent. Quanquam Moyses uti etiam potuit tempore præterito ad denotandam certitudinem eventus.

140. Ad 2. Nec unum verbum est in loco objecto, quo indicetur, Idumæos fuisse a terra Seir ab Israelitis expulsos, atque deletos: sed illa verba: *sicut fecit Israel in terra possessionis suæ,* referuntur ad Amorrhæos, & Basanitas, quibus eliminatis Rubentiæ, & Gaditæ, cum dimidia Manassæorum tribu cœperant terram possessionis suæ occupare; quod utique Moyse vivente contigit.

141. Tertium nullam continet difficultatem. Potuit enim Moyses immanem Gigantis Og proceritatem ex lecti mensura indigitare, tum propter eos, qui eum jam viderant quidem, sed accurate metiti non fuerant; tum propter eos, qui non viderant; tum denique ut hujus rei memoria conservaretur.

142. Dum autem quærunt adversarii, cur ipsius lectum non in Basan, sed apud Ammonitas servaretur? Resp. id multis de causis fieri potuisse, quas sacer textus non exponit. Sed ea admodum probabilis est, quod Og de tota rei summa cum Israelitis decertaturus lectum una cum reliqua supellectili apud Ammonitas in tuto posuerit.

143. Quod vero additum fuit, gigantis lectum tunc fuisse inventum, quando a Davide Ammonitæ devicti sunt, mera est divinatio omni destituta fundamento; nam in Lib. II. *Regum* 12. Ammonitarum quidem debellatio narratur, sed de lecto gigantis ne jota quidem habetur. Ceterum si hæc etiam tota periocha juxta superius dicta ab aliquo adjecta credatur, non magnopere repugnaverim.

144. Ad ultim. eadem sit responsio; scilicet clausulam illam *usque in præsentem diem* fuisse postea adjectam. Quanquam id potuit etiam a Moyse scribi, quemadmodum Sanct. Matthæus scripsit XXVII. 8.: *propter hoc vocatus est ager ille Haceldama usque in hodiernum diem;* & postea XXVII. 15.: *Divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.*

145. Instab. quarto. Auctor *Deuteronomii* sic exorditur: *hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem.* Id certe nonnisi ab eo scribi poterat, qui Jordanem jam transierat: non itaque a Moyse, qui citra Jordanem mortuus est.

146. Resp. Si consulatur textus hebraicus, nec legendum est *trans*, neque *citra Jordanem*, בעברהירדן *hebeber Jarden;* sed vel *in planitie Jordanis;* vel *cum proxime esset transeundus Jordanes.* Ita etiam legerat Josephus Libr. IV. *Antiquit. Judaic.* cap. 8. inquiens: *Moyses advocata concione apud Jordanem &c.*; eodemque modo hunc locum exponunt Sanctes Pagninus hebraicæ linguæ peritissimus, ac Pater Carol. Houbigant in *suis indicibus hebræo-gallicis*; imo & nonnulli Rabbini.

147. Neque obstet, LXX. Interpretes habere πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Jordanem*; nam primo ubi aliqua est difficultas, præstat adire fontem hebraicum, quam versionem. Deinde fortasse LXX. Interpretes ita vertere maluerunt, non habita ratione Moysis scribentis, sed potius loci, quem tunc Hebræi incolebant. Utut hæc sint, exemplum similis versionis *trans* pro *citra* habemus Josue IX. 1., ubi dicitur: *His auditis, cuncti reges trans Jordanem .... congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue;* apparet autem debuisse dici *citra Jordanem*, cum de regibus sermo esset, qui eamdem Jordanis ripam, in qua erat Josue, incolebant.

148. Obj. quarto. Intelligi non potest, quomodo Moyses in deserto omnibus ad scribendum mediis destitutus potuerit quinque libros scribere, tunc enim nonnisi in lapidibus, plumbo, aut ligno scribi solebat (a). Addit autem Spinoza ex R. Abon Ezra Deuteronomium fuisse scriptum super altare, quod ex 12. tantum lapidibus constabat, Josue VIII. 31., quod certe de Deuteronomio, quod nunc habemus, intelligi non potest.

149.

(a) Ita objicit Voltairius in Opusc. *De la tolerance* art. 12.

149. Respond. Quemadmodum cetera omnia necessaria Israelitis in deserto non defuerunt; ita non defuisse Moysi instrumenta ad scribendum, sive in petra, sive in ligno, sive in alia materia id fieri tunc consueverit, de quo nihil est exploratum (a).

150. Alterum autem diverso modo explicant interpretes, & multi putant, solum præcepta Decalogi fuisse iis lapidibus insculpta. Aliqui nonnisi eas maledictiones, & benedictiones, quæ fuerunt in montibus Hebal, & Garizim pronunciatæ. Sed si etiam de toto Deuteronomio id intelligendum sit, scimus ex cap. VIII. ejusdem *Deuteronom.*, eos lapides *ingentes* esse debuisse, & *calce lævigatos;* ut proinde totum Deuteronomium exiguis litteris continere possent.

151. Obj. 5. Moyses ea scire non potuit, quæ de Patriarchis antediluvianis, & de prima rerum omnium origine in *Genesi* continentur, spatiumque 2433. annorum juxta Usserium comprehendunt, juxta chronologiam vero τῶν LXX. fere 4000. Et quamvis fortasse per traditionem potuerit in cognitionem rerum præcipuarum devenire, vix quidem credibile est, ipsum potuisse de minutioribus quibusdam erudiri, ut sunt tot numeri, Patriarcharum nativitas, ætas, mors, filii, habitationes, arcæ Noachicæ mensura, & alia hujus generis leviora.

152. Resp. Attenta longæva Patriarcharum ætate potuisse Moysem orali traditione multa cognoscere, immo plane omnia etiam minutiora. Moyses enim cum pluribus conversatus est, qui Jacob noverant; nam 80. circiter annis post ejus mortem natus est. Jacob autem cum avo suo Abraham vixit, qui vidit Sem filium Noe. Sem porro novit Lamech, & hic cum Adam locutus est; & ita quatuor, vel quinque hominum memoria potuit tota illa historia, quæ in Genesi continetur, usque ad Moysem pervenire. Nihil est autem verosimilius, quam veteres Patriarchas accuratam antiquitatum notitiam suis posteris sæpius tradidisse.

153. Verumtamen si quis contendat, aliqua fuisse vetustissima monumenta, unde Moyses suam historiam derivaverit, ita ut non semper divina revelatione indiguerit, non admodum repugnaverim (b); dummodo tamen peculiaris Dei inspiratio, & assistentia ipsi minime denegetur, qua omnes vitaret errores, quaque ejus historia, ut canonica, & divinitus inspirata habenda, & veneranda sit. Si enim hanc certe habuit Moyses in iis rebus scribendis, quas propriis ipse oculis usurpaverat, eam multo magis habuisse censendus est in aliis remotioribus, & minus notis, ut ab omni erroris periculo procul abesset.

154. Obj. ultim. Styli diversitas, plurium rerum transpositio, ac repetitio clare ostendunt, Pentateuchum non esse unius auctoris fœtum; sed potius compilationem quamdam ex nonnullis antiquis commentariis, & monumentis. Reipsa fuisse in Judæorum republica aliquos scribas, ad quos spectabat, res memoria dignas in tabulas referre, & est per se verosimile, & a nonnullis traditur. Vid. Theodoretus Quæst. IV. in Lib. II. Regum.

155. Resp. Hujusmodi scribarum nullibi mentionem fieri, saltem in Pentateucho; contra potius gravibus argumentis evinci eumdem fuisse ab ipso Moyse exaratum; quibus argumentis nullam vim inanes conjecturæ ex styli diversitate, rerumque transpositione, aut repetitione detrahere possunt.

156. Corollarium. Quamquam de sola Pentateuchi divina revelatione hactenus disputavimus, facile tamen quilibet poterit iisdem fere argumentis eamdem etiam in subsequentibus V. T. libris vindicare. Scriptores enim sacri, qui reipublicæ Judaicæ fastos, vel divina oracula litteris consignarunt, divinæ suæ missionis, atque inspirationis miraculis, & prophetiis evidentissima argumenta præbuerunt. Accedit, quod eædem omnino leges, potissimum quantum ad religiosum Dei cultum, quæ a Moyse Deo jubente, & inspirante constitutæ fuerant, sine ulla mutatione in posterioribus sacris libris servatæ semper, & renovatæ fuerunt; ut proinde ceteros posteriores libros usque ad Christum eodem semper spiritu conscriptos fuisse liquido appareat. Sed quod ultimum quasi sigillum eis apponit, est Christi Apostolorumque auctoritas. In novo enim Test. antiqui fœderis libri tanquam divini sæpius allegantur. Si itaque ostensum fuerit (quod Deo dante statim præstabimus), novum Test. divina, & infallibili auctoritate pollere; etiam divini dicendi erunt antiqui fœderis libri, qui ut tales in isto allegantur. Consuli possunt præter alios multos, qui de hac re egerunt, Dan. Huetius *in Demonstr. Evangel.* Propos. IV. cap. 14. & Tractatus *de divinitate, & canonicitate sacrorum Bibliorum*, auctore Joann. Franc. Marchini Taur. 1777. in 4.

## CAPUT III.

*Ostenditur, divinam revelationem existere in N. T. potissimum ex miraculis, & Prophetiis Jesu Christi in eo contentis* (c).

157. Lex vetus aliam promittebat perfectiorem, quæ illi succedere debebat. Et quidem apertissima est illa promissio per Moysem facta *Deuteronom.*

(a) Jam tempore Moysis inventam fuisse artem scribendi, sive in lapidibus, sive in plumbo, sive etiam in ligno ostendit eruditissimus Goguet in I. Tom. *de l'origine des lois, des arts, & des sciences* Lib. II. cap. 6. Ejusdem etiam claram mentionem facit Job, quem idem Gognetus coævum fuisse Jacobo Patriarchæ contendit Tom. VI. Dissert. II.

(b) Vid. Fleury *Traité des moeurs des Israëlites* Part. VI., & François *Preuves de la religion Chret.* Tom. I. P. 2. ch. 3. art. 4.

(c) Omittimus hoc loco argumentum illud invictum ductum ex prophetiis V. T. in Christo adimpletis, quia in alio tractatu *de Incarnatione* contra Judæos illud uberius explicari solet, non quasi Socino, Episcopio,

*nom.* XVIII. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies:* quæ verba unum Messiam spectare posse, & ex contextu, & ex linguæ hebraicæ genio facile colligitur (confer. Pater Carol. Houbigant in hunc locum); ut proinde sensus sit, venturum alium legislatorem post Moysem, quem Judæi audire debebant. Hoc vaticinium Jesum Christum spectasse, notarunt Sanct. Petrus *Act. III.* 22. & S. Stephanus *Act. VII.* 35. Idipsum adhuc clarius manifestavit Deus ore aliorum Prophetarum, præcipue autem *Jer. XXXI.* 31. & seq. Jam vero hanc promissionem fuisse in Christo Domino Salvatore nostro adimpletam, omissis aliis argumentis, ex miraculis, & vaticiniis ejusdem Christi Domini demonstrare aggredimur.

158. Prob. autem prima pars. Christus Dominus novam legem constituens sæpius testatus est, se a Deo Patre missum, eamque doctrinam, quam Apostolis tradidit, & Apostoli toto terrarum orbe promulgarunt, suam non esse, sed Patris, qui misit illum *Joann. VII.* 16. & alias frequentissime. Ne autem aliquis esset de re tanti momenti dubitandi locus, verba sua multis, stupendis, certissimisque miraculis, veluti totidem divinæ auctoritatis signaculis confirmavit; cujusmodi sunt ea, quæ a Scriptoribus sacris referuntur in tota Judæa, palam, omnibusque spectantibus ita facta, ut nulla vel minima fraudis, & imposturæ suspicio esse possit, (*a*).

159. Hinc ad miraculorum testimonium incredulos sæpius provocabat; ut *Joann. V.* 36. *sed opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ibidem X. 37. & 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; & Matth. XI.* 4. discipulis Jo. Baptistæ ipsum interrogantibus, an ipse esset Messia expectatus, respondit: *euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident &c.* Hinc etiam qui in ipsum credebant, se miraculis adductos fatebantur, dicentes cum Nicodemo *Jo. III.* 2. *Scimus, quia a Deo venisti, Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

160. Increduli cum hæc Christi prodigia tot, tantisque testibus comprobata negare omnino non audeant, solent ea magicis artibus tribuere. Verum nimis sero antiquam hanc Judæorum calumniam recudere conantur, cum eadem jam diluerit ipse Christus, dæmonia ab obsessis corporibus expellendo, quo manifeste ostendebat, se immundis illis spiritibus imperare, non servire.

161. Sed ad præcludendum hoc incredulorum effugium præsto est etiam aliud ejusdem Domini nostri miraculum omnium maximum, quod & cetera alia, & nostram fidem, religionemque invicte confirmat, scilicet ejusdem resurrectio a mortuis. Tametsi enim fingere quis vellet, Christum vel magicis artibus, vel quocumque alio modo potuisse Apostolis illudere, quoad vixit, certe nemo sanæ mentis suspicabitur, eum potuisse etiam post mortem Apostolis fucum facere; mortui enim nullæ amplius sunt præstigiæ, nullæ ad ludificandum artes. At vero Christi resurrectionem, ejusdemque ad cælos ascensionem nemo negare, aut in dubium revocare poterit, nisi dicat, Apostolos, qui eam toto mundo divulgarunt, aut turpiter fuisse deceptos, aut impie voluisse alios decipere; facile est autem demonstratu, utrumque esse omnino incredibile (*b*).

162. Ac primo non potuisse Apostolos decipi, plusquam manifestum est. Agitur enim hic de facto, in quo nullus est deceptioni locus. Christum bene noverant, cum quo tribus, & amplius annis familiariter conversati fuerunt; ipsis se resurrecturum sæpius promiserat; eum tandem redivivum vident, non unus, aut alter, sed omnes: vident etiam mulieres, & discipuli, & plusquam quingenti fratres; non semel, aut iterum, sed sæpe per 40. dies cum eo loquuntur, & comedunt; Thomas oculis fidem adhibere recusat, manibus contrectare vult, digitosque in vulnera infert; denique postquam per 40. dies fuerat cum ipsis conversatus, omnibus adspicientibus est elevatus in cælum. Sane si decipi in his circumstantiis potuerunt Apostoli, nihil amplius in tota vita humana certum erit (*c*).

163. Accedit, eosdem Apostolos, qui tempore passionis terrore perculsi Magistrum suum timide deseruerant, postea ejusdem resurrectionem intrepide nunciasse, nec verberibus, aut ullis suppliciis ab ea prædicanda fuisse absterritos. Porro tam mirabilis eorumdem mutatio signum est evi-

den-

Grotio, atque etiam Rich. Simonio manus demus, contendentibus ex solis Christi miraculis, non autem ex prophetiis nostræ Religionis veritatem esse demonstrandam; contra quos consulatur Bossuetus *dans la Defense de la tradition, & des saints Pères* Lib. III.

(*a*) Vel ex hoc solo refellitur maligna Humi comparatio inter Christi miracula, & vanas Alexandri imposturas apud Lucianum (*Essai sur les miracles* pagin. 43.); Alexander enim in Paphlagonia rudes, & imperitos decepit; id vero ausus non est Athenis, ubi ejus doli detecti fuissent. Christus autem, ejusque discipuli Jerosolymis, & ubique palam sua miracula ediderunt.

(*b*) Spinoza in *Epist.* 23. & 24. ad Oldenburgium contendit, Christi Resurrectionem esse intelligendam ἀλληγορικῶς, & Apostolos, qui eam litteraliter intellexerunt, fuisse deceptos.

(*c*) S. Aug. Lib. III. *de Cons. Evang.* c. 28. *Invenimus*, inquit, *apud quatuor Evangelistas, decies Dominum visum esse ab omnibus post resurrectionem: semel ad monumentum a mulieribus: iterum iisdem regredientibus a monumento in itinere: 3. Petro: 4. duobus euntibus in castellum: 5. pluribus in Jerusalem, ubi non erat Thomas: 6. ubi eum videt Thomas: 7. ad mare Tiberiadis: 8. in monte Galileæ, secundum Matthæum: 9. quod dicit Marcus novissime recumbentibus, quia*

dentissimum, fuisse ipsis de Christi resurrectione certissime persuasum (*a*).

164. Neque etiam ullo modo credibile est, voluisse Apostolos Christi resurrectionem a se ipsis confictam prædicare, ut totum mundum deciperent. Non equidem inficior semper mendaces, & impostores plurimos fuisse; at nemo gratis mentitur, multoque minus ut damnum sibi mendaciis suis consciscat. At vero quid prædicatione sua quærebant Apostoli? anne divitias? honores? vitæ commoda, aut voluptates? Imo in summa paupertate, rerumque inopia vivebant: derisionibus ubique, contumeliis, injuriis lacessebantur: labores incredibiles exantlarunt: persecutiones denique, exilia, carceres, verbera, atque ultima supplicia constantissime sustinuerunt.

165. Nec fingi potest, hæc illis præter spem accidisse, ut nonnullis impostoribus quandoque contigit. Nam hæc ipsis fuerant a Christo Domino sæpe prædicta *Lucæ* VI. 22. *Joann.* XV. 18. & seq. Prædictionem etiam paulo post compleri animadverterant in Stephano, & Jacobo, & postea in aliis, & demum unusquisque in se ipso. Si ergo honoris, pecuniæ, vel commodi alicujus causa tantum mendacium machinati fuissent, debuissent tandem oculos aperire, & resipiscere. Atqui nemo unus ex sacro Apostolorum collegio, nemo ex discipulorum cœtu inventus est, qui vel minis, vel cruciatibus, vel crudelissimæ mortis aspectu territus mendacium confiteretur, vel a Christi resurrectione prædicanda desisteret: non itaque apertissime insaniat, qui Apostolos credat, inito inter se consilio, Christi resurrectionem confingere, & prædicare voluisse?

166. Præterea vel concedunt adversarii Apostolos fuisse simplices, & rudes, prout reipsa erant, vel volunt, eos fuisse callidos, & astutos. Si primum, quomodo homines rudes potuissent tale inter se inire consilium, ut totum mundum deciperent? Et quomodo in hoc consilio tam constanter permanere contra omnis generis difficultates, & persecutiones? Si autem fingamus, eos prudentes, immo astutos fuisse, quid tandem commodi ex hoc consilio se reportare posse sperabant? Sed de Apostolorum innocentia, morumque sanctimonia, ipsi eorum hostes, & persecutores testimonium reddunt; dum nihil aliud ipsis objicere potuerunt, quam novi Evangelii prædicationem.

167. Verum eos fanaticos fuisse dicunt increduli, & addunt, facile posse a paucis fanaticis maximam hominum multitudinem in errorem induci; adeo ut aliqui scripserint, posse integræ nationi persuaderi, diem non esse a sole, si sex tantum viri id sibi persuasum esse ostenderint (*b*). Qua in re, ut nihil prætermittant intentatum, aliqui etiam ea fabula abutuntur, quam ex Luciano refert Petrus Bayle (*c*), scilicet fuisse olim Abderæ sub regno Lysimachi homines quodam epidemico morbo correptos, in cujus accessu adeo ægrotorum imaginatio æstuabat, ut quodam æstro perciti comœdias recitarent, præsertim autem Andromedem Euripidis. Hujus autem mirabilis phænomeni causam fuisse dicunt celeberrimum quemdam comœdum Archelaum, qui cum in fervidioribus æstatis caloribus Euripidis tragœdias vehementer ageret, plurimos ex spectatoribus in comœdos transmutavit. Unde Bælius more suo colligit, spiritum non minus, quam corpus esse epidemicis morbis obnoxium; ut aliquis fanaticus in opportunis circumstantiis possit brevi temporis intervallo maximam multitudinem decipere.

168. Piget certe in hujusmodi nugis tempus frustra conterere. Et quis, amabo, sibi persuadeat, Apostolos, ceterosque primos Jesu Christi discipulos fuisse homines fanaticos, qui tam sanctam, tam puram, sibique tam bene cohærentem religionem mundo annunciarunt? Præterea, nedum fanaticos, sed plane mentis impotes, & omnino bardos, & stupidos eos fuisse oportet, si in re tam clara, & manifesta decipi potuerunt. Agitur enim hic non de opinione aliqua theoretica, & ad intelligendum difficili, quo in genere aliquos decipi, & errori pertinaciter adhærere posse, concedimus; sed de facto sensibili, in quo non unum, aut alterum, sed omnes Apostolos, & discipulos fuisse a phantastica illusione abreptos, non solum inverosimile, sed plane impossibile est.

169. Nec video, quid ad rem nostram referat illa historia, vel potius fabula Abderitarum. Primo enim ille Abderitarum furor, si Luciano credimus, in maximis æstatis caloribus tantummodo duravit, cessavit autem penitus hyeme adveniente. Apostolorum contra prædicatio tota eorum vita duravit, nec ulla Judæorum, aut Ethnicorum vi impediri potuit; & fides, ac religio Christiana ab ipsis propagata jam XVII. & quod amplius excurrit, sæculis floret. Secundo, quid, quæso, commune habet cum Apostolis asserentibus, se Christum redivivum vidisse, ille Abderitarum furor comœdias Euripidis recitandi? Hujusmodi futilibus argumentis sanctissimæ religionis nostræ causa non solum non labefactatur, sed potius magis, magisque confirmatur (*d*).

170. Prob. 2. Veritas divinæ revelationis N. T. ex

*jam non erant in terra cum illo conviaturi: 10. in ipso die non jam in terra, sed elevatum in nube, cum in cælum ascenderet, quod Marcus, & Lucas commemorant.* Maldonatus autem in cap. XXVIII. *Matth.* tredecim J. Christi apparitiones in sacris litteris invenisse se dicit.

(*a*) Quadrant in hunc locum ea Ciceronis verba Lib. IV. *Academ. quæst.* cap. 8. *Ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quam aut officium prodat, aut fidem, cur has sibi tam graves leges imposuerit, cum, quamobrem ita oporteret, nihil habeat comprehensi, percepti, cogniti, constituti?*

(*b*) Vide Fontenellium *Hist. des oracles* Diss. I. ch. 11.

(*c*) In Diction. art. *Abderæ Rem.* H.

(*d*) Abderitæ ut insani plerumque habebantur; un-

ex multis, & clarissimis prophetiis, quibus Dominus noster Jesus Christus suam divinitatem, & totam cælestem suam doctrinam mirifice confirmavit. Omnium prima se se offert prædictio suæ resurrectionis post tres dies. Erat hujus prophetiæ eventus punctum illud immobile, unde tota Apostolorum fides suspendebatur. Fuisse autem hoc Christi vaticinium, quod certe nulla humana prudentia prævideri poterat, opere completum, jam supra evidentissime demonstratum est.

171. Alia est insignis prophetia sæpius quidem etiam in V. T. libris expressa, sed a Christo clarius explicata de Judæorum reprobatione, & vocatione gentium. Eam proposuit Christus *Matth.* XXI. 33. & seq. sub parabola Patrisfamilias, qui misit servos in vineam suam, ut fructus colligerent; sed mali agricolæ alios occiderunt, alios lapidarunt. Paterfamilias postremo misit Filium suum; sed eum quoque ejecerunt extra vineam, & occiderunt. Quis non videat in hac parabola per agricolas designari Judæos, quibus vera religio tanquam vinea excolenda tradita fuit, & ad quos Deus omni tempore misit prophetas servos suos, qui tamen ab eis vel expulsi, vel occisi sunt? Postremo Deus misit Filium suum unigenitum, quem ejicientes extra vineam crudeliter occiderunt. At vero ita Christus parabolam concludit: *malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.... auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Idem aperte, & sine parabolis prædixit Christus *Matth.* VII. 12. *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores* (a).

172. In hac prophetia, ut Bossuetus observat (*Discours sur l' Hist. univ.* P. II. ch. 29.) tria concurrunt notatu digna, scilicet reprobatio, & dispersio Judæorum, conversio gentilium, & utriusque eventus epocha in Evangelii prædicatione: quæ tria fuisse eventu comprobata, cæcus est, qui non videat.

173. Neque vero quis opponat, Christum gentibus non prædicasse, immo *Matth.* XV. 24. fuisse palam testatum, *se non esse missum, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Non inquam: hoc enim præstiterunt postea Apostoli ex ipsius mandato. Deinde hoc ipsum fuerat a Prophetis antea prænunciatum *Isaiæ* LXVI. 19. *Mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lybiam tendentes sagittam: in Italiam, & Græciam, ad insulas longe &c.* Sic in verbis supra allegatis Christus non prohibuit Apostolis, ne irent post suam mortem ad convertendas gentes. Immo S. Paulus testatur, id fuisse ab ipso Christo Domino præceptum; ita enim inquit *act.* XIII. 40. Judæos alloquens: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus*.

174. Tertium Jesu Christi vaticinium respicit Jerusalem obsidionem, & eversionem, quæ paullo post facta est; & cujus etiam minutiores circumstantias Christus prædixit *Matth.* XXIV. *Marci* XIII., & *Lucæ* XXI. Primo enim prædicit Apostolorum persecutionem, quæ præcedere debebat. Sed *ante hæc omnia* (scilicet ante bella, terræmotus, fames, & pestilentias, quæ ultimum civitatis excidium præcedere debebant) *injicient vobis manus, & persequentur &c.*; quod in Stephano, Jacobo, aliisque impletum fuit. Ulterius prædixit, futuros tunc temporis multos pseudo-prophetas; & reipsa Josephus Lib. II. *de bello judaico* cap. 13. narrat, tunc fuisse *nefariorum turbam, qui non minus, quam sicarii, civitatis felicitatem perditum ibant, homines scilicet seductores, & fallaciis plenos, qui specie divini afflatus novis rebus, & mutationibus studentes, vulgo, ut insaniret; persuadebant*. Alios etiam eodem tempore fuisse deceptores, falsosque prophetas, Simonem magum, Elymam, Apollonium Tyanæum ex historia constat, ut nulla unquam major fuerit talium hominum colluvies. Tertio monuit Christus fideles suos, ut cum viderent circumdari ab exercitu Jerusalem, pro certo haberent, futuram esse ipsius desolationem, & propterea fugerent ad montes. Quod & factum fuit; omnes enim Pellam recesserunt parvam in montanis urbem, ut Eusebius lib. II. *Hist. Eccl.* c. 5., & Epiphanius *Hær.* VII., & in Lib. *de ponder. & mens.* testantur. Certe nec a Josepho, nec ab ullo alio Historico aliquis Christianus memoratur, qui in eo civitatis excidio periret, in quo tamen undecies centena Judæorum millia interiisse dicuntur a Josepho Lib. VI. *de bello judaico*, c. 9.

175. Duo adhuc sunt in hoc vaticinio minime prætereunda. Primo Christus prædixit tempus, quo illud adimpleri debebat, inquiens *Matth.* XXIV. 34. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*. Secundo prædixit, talem futuram civitatis eversionem, ut non esset relinquendus lapis super lapidem Lucæ XIX. 44. Jam vero annus erat *æræ Christ.* sexagesimus octavus, vel circiter trigesimus quintus ab edita prophetia, quando generatio illa nondum præterierat, cum Romani ducibus Vespasiano, & Tito bellum judaicum orsi sunt, quod cum eversio-

de illud Martialis X. 25. *Abderitanæ pectora plebis habes*; scilicet insanus es. Juvenalis etiam *Sat.* X. 50. Abderam vocabat *patriam vervecum*.

(a) Gentium conversio fuerat in V. T. sæpius prædicta, ut Jerem. XIII. 19. *Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: vere mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit*; Psal. XXI. 27. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*.

sione Jerusalem confectum est. Et quia adhuc vestigia quædam incensæ civitatis supererant, Divina Providentia voluit ad litteralem prophetiæ adimpletionem, ut postea Ælius Hadrianus etiam illa deleret; lapides enim dirutæ civitatis alio transtulit, ut novam urbem ædificaret, quam ex suo nomine *Æliam* vocavit; & ita non est relictus lapis super lapidem.

176. Ridiculi autem plane sunt, qui cum Rousseavio, aliisque ejusdem furfuris scriptoribus, harum, aliarumque similium prophetiarum adimpletionem vel casui adscribunt, vel naturali prævisioni. Quomodo enim poterat vel casu contingere, vel naturaliter prævideri Christi resurrectio? aut Judæorum reprobatio, & Gentilium vocatio? aut denique tam accurata exeidii Jerosolymitani descriptio? Ex historia novimus, Titum impendisse omnem operam, ne templum, celebre illud vetustæ magnificentiæ monumentum, dirueretur; adeo ut non tam hostium furore, quam Dei punitione, ut prædictum erat, fatalem illius urbis, templique eversionem contigisse, manifeste appareat.

177. Sed & illud accedit pariter ex historia notissimum, & ex auctoribus nedum sacris, sed etiam profanis contestum, conatum fuisse olim Julianum Imperatorem templum restaurare, atque ad id opus perficiendum accurrisse ex omni parte Judæos: verum erumpentibus flammarum globis, & exustis operariis non potuisse opus inchoatum perfici. (Vid. Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. cap. 1., & Warburthonii erudita dissert. contra Basnagium, & Midletonium Paris. 1754.)

178. Obji. 1. Traditio miraculorum, & prophetiarum Christi adeo remota est, ut neminem prorsus movere nunc possit: quemadmodum objecta si nimis remota sint, oculos non percellunt. Et ulterius, ut de hujus traditionis veritate certus quis esse posset, deberet *primo* mundi annales examinando omnia sæcula usque ad ejusdem traditionis originem percurrere; quis autem, non dico inter privatos homines, sed vel inter sapientes, possit omnia antiquitatis monumenta discutere, ut tandem de istius traditionis veritate certus sit? *Secundo:* etiam si id fiat, non propterea de harum veritate certi erimus. Quid enim aliud sunt tot illi homines, qui per octodecim sæcula allegantur miraculorum Christi testes, quam populus exscriptorum? Soli Apostoli, vel pauci alii iis coævi ea videre potuerunt: ceteri autem, etiamsi infiniti sint, nullum possunt testimonio Apostolorum pondus addere. Imo *tertio* quanto magis a primis testibus recedimus, eo magis aliorum auctoritas diminuitur. Nam certe minus fide dignus est testis, qui nihil præter auditum habet, quam qui rem propriis oculis usurpavit; & rursus minore fide dignus est tertius, qui nec propriis oculis rem vidit, nec ab eo, qui vidit, sed ab alio teste solum aurito: & sic deinceps certitudo testimonii semper decrescit: *pluris enim est oculatus testis unus, quam auriti decem*, ut ait Plautus in *Trucul.* Act. II. scen. 6. (a).

179. Resp. Vanas has esse cavillationes, quæ si aliquid roboris haberent, non solum Christi miracula, & vaticinia, sed omnia plane vetusta historiæ monumenta in dubium essent revocanda, & purus, putusque *Pyrrhonismus* introducendus. Antiquissima hominum gesta nobis vicina, & quasi præsentia fiunt traditionis ope. Ut autem de traditionis miraculorum, & vaticiniorum Jesu Christi veritate quis certus fiat, satis est, ut volumina ecclesiastica singulorum sæculorum aperiat: videbit enim in omnibus Evangelia, aliosque sacros Libros commemorari, in quibus tituli nostræ religionis certissimi continentur. Videbit, hæc monumenta fuisse primorum fidelium manibus contrita, eadem perpetuo conservata, ac debito cultu venerata, ut nullum de iis prudens dubium suboriri possit.

180. Ad 2. resp., ut de veritate alicujus facti constet, satis esse illius traditionem a testibus oculatis, & fide dignis primo ductam ita a patribus in filios, ac nepotes continua serie usque ad nos descendisse, ut si iterum ad primam originem ascendere velimus, ubique in omnibus sæculis quasi lineas inveniamus, quæ illuc nos ducant. Hoc in casu nostro contingit; cum enim omni ævo sacrorum librorum mentio ubique occurrat, necessario concludimus, non fuisse eos a posteriore aliquo nebulone procusos. Semel ac vero constiterit, eos sacros Libros fuisse ab Apostolis, & Discipulis Christi conscriptos, nec ab ullo mendacii convictos, jam certo concludere debemus, facta in iis exposita esse vera. Nec alio modo certi erimus, fuisse olim duos celebres Imperatores, Cæsarem, & Pompejum, eos inter se de Principatu dimicasse, Pompejum victum &c., nisi cognita, perpetuæ traditionis ope, librorum, in quibus hæc consignata fuere, αὐθεντία. Hac autem semel comperta, jam testibus coævis fidem præstamus, qui ea scriptis mandarunt, quæ vel propriis oculis ipsi viderunt, vel ab oculatis, omnique fide dignissimis acceperunt.



(a) Ex hoc principio Jo. Craigius Anglus in opere: *Principia Mathematicæ Theolog. Christianæ* eruere conatus est, finem mundi post an. 3150. a Christi morte futurum. Mundi enim, inquit, tunc finis erit, quando omnis prorsus fides evanuerit; at vero, si primus certitudinis gradus eorum est, qui Christi miracula propriis oculis viderunt; secundus eorum, qui ea ab Apostolis audierunt; tertius, qui ab auditoribus Apostolorum eadem cognoverunt, & sic deinceps, miro calculo sibi demonstrare visus est, ita sensim, ac sensim fidem diminutum iri, ut post 31. sæcula amplius sit. Contra hanc paradoxam celebris alioquin Mathematici supputationem stylum acuit *Jo.* Eduardus in libro: *Doctrina fidei, & justificationis*. Vid. etiam Houttevillius *dans la religion prouvée par les faits* Tom. IV. *prem. difficulté*.

181. Quod autem tertio loco additur, merum est sophisma, cui dissolvendo satis sit considerare, tam nos, qui ab Apostolorum ævo septemdecim sæculis distamus, quam illos, qui proxime illis successerunt, eodem modo Apostolis, testibus oculatis credere, cum miracula, & vaticinia Christi credimus. Iidem sunt libri sacri, in quibus fideles II. sæculi hæc legebant, quæ nos hodie legimus: nec majora illi habuerunt suæ fidei argumenta, quam nos habemus.

182. Neque verum est, quod in argumento falsaciter supponitur, eos, qui III. Ecclesiæ sæculo floruerunt, duntaxat ab auditoribus Apostolorum Christi miracula, & vaticinia audivisse: omnium enim sequentium sæculorum Christiani, qui sunt, fuerunt, vel erunt, ab ipsis Apostolis immediate testimonium accipiunt; scilicet ab eorum libris, qui incorrupti usque ad nos pervenerunt. Hos autem libros vere fuisse ab Apostolis, vel Christi discipulis conscriptos, adeo constanti traditione liquet, ut nihil certius in historia haberi possit. Neque enim Homeri, aut Virgilii, Demosthenis, aut Tullii, Xenophontis, aut Livii sæpius mentionem factam omni ævo inveniemus, quam Evangeliorum, ceterorumque sacrorum codicum: adeo ut qui eos confingere aliquo tempore voluisset, id facere non aliter potuisset, quam corruptis, vitiatisque omnibus omnino præcedentibus Ecclesiæ monumentis. Sed hac de re uberius infra disputabimus (*a*).

183. Obji. 2. Tertullianus in lib. III. *adv. Marcionem* cap. 3. omnino negat, posse ex miraculis Christi efficax pro nostræ religionis veritate argumentum deduci, quia, inquit, ipse Christus *edicens, multos venturos & signa facturos, & virtutes magnas edituros .... nec ideo tamen admittendos, temerariam signorum, & virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum. Aut quale est si inde voluit probari, & intelligi, & recipi, ex virtutibus dico; unde ceteros noluit, æque & ipsos tam subito venturos, quam a nullo auctore prædicatos?*

184. Resp. Tertullianum, ut Marcionem facilius, & brevius refelleret, solum velle, miracula Christi eo esse efficaciora ad probandam divinam ejus missionem, & doctrinam, quo & ipsa, & cetera omnia ejusdem gesta fuerant jam a Prophetis prænunciata; unde immediate antea dixerat: *at ego negabo, solam hanc illi speciem* (nempe miracula) *ad testimonium competisse;* contendens nimirum miraculis adjungendas esse veteres de Christo prophetias. Tertulliani enim scopus erat, Marcionem convincere Christum esse Filium Dei Creatoris; quod efficacissime probat ex propheticis V. T. scripturis, præcipue cap. 12. & seq. Hæc tamen Tertulliani sententia minime impedit, quin etiam ex miraculis solis Christi Domini efficax duci possit argumentum pro divina ipsius doctrina comprobanda. Neque officit antiqua similitudo falsorum prodigiorum, quæ a pseudoprophetis patranda esse Christus prædixit, cum notæ, & characteres suppetant, quibus vera miracula a falsis dæmonis præstigiis caute secernamus (*b*). (Vid. quæ supra diximus Dissert. II. n. 224. & seq.).

185. Obj. 3. Apollonius Tyanæus non minus illustris fuit miraculis, quam Christus Jesus; quamobrem Hierocles Ægypti præfectus eum Christo æquiparabat (*c*). Ejus vitam prodigiis plenam octo libris complexus est Philostratus (*d*), & post eum Nicomachus, Thraicius Victorianus, Sidonius Apollinaris, & quidam Sothericus, teste Suida. Tanta miraculorum copia & vitæ sanctimonia se commendavit, ut divinos honores promeritus sit, non solum a Tyanensibus, ut Philostratus testatur Lib. I. cap. 4., sed etiam ab Imperatoribus Adriano, & Antonino Caracalla (ut refert Dio Cassius Lib. 77.); tum etiam ab Alexandro, qui postremus ejusdem imaginem una cum imagine Jesu Christi in suo larario colebat, si vera narrat Lampridius (in vita Alexandri cap. 29.). Imo addit Vopiscus, eamdem Apollonii imaginem in pluribus templis fuisse adoratam (in *Aureliana* c. 24.). Eusebius etiam fatetur, suo tempore (idest sæc. IV.) fuisse, qui dicerent;

e-

(*a*) Non puto, adversarios non provocaturos ad deliria Harduini, qui in opere, cui titulus *Chronologiæ ex nummis antiquis prostitutæ prolusio*, non solum sacros, sed etiam profanos scriptores, paucis exceptis, apocryphos esse voluit, & ab impia quadam sæc. XIII. secta confictos. Sed quisnam tam paradoxæ opinioni calculum adjecit? Quis non eam execratus est? Nimis longum esset eorum catalogum conficere, qui temeritatem Harduini castigarunt. Hanc erroneam suam opinionem Harduinus ejuravit; sed non ita pridem, scilicet anno 1766. prodiit Londini liber cum hoc titulo: *Jo. Harduini Jesuitæ ad censuram scriptorum veterum Prolegomena juxta autographum*, quod post ejus mortem in ejus scriptis repertum fuisse, editor testatur.

(*b*) Eadem fere ratione S. Augustinus in fine epistol. 138., postquam dixisset, multum errare, *qui Prophetis sanctis miraculorum magnorum nobilitate præstantibus magos comparant*, concludit, multo magis errare, qui magos comparant Christo, *quem Prophetæ illi prænunciaverunt* &c., & Lactantius Lib. V. *Divin. Instit.* cap. 3. ita auctorem libri φιλαλήθης, seu Hieroclem alloquebatur: *Disce igitur, si quid tibi cordi est, non solum idcirco a nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia; magnum putassemus, ut & vos nunc putatis, & Judæi tunc putaverunt, si non illa ipsa facturum Christum Prophetæ omnes uno spiritu prædicassent.*

(*c*) In Libro inscripto Φιλαλήθης, quem Eusebius refutavit in sua *Demonstratione Evangelica*.

(*d*) Invenitur in editione operum Philostrati facta a Frider. Morello.

*ejus nomini invocato magicas inesse virtutes ad superstitiosa quædam peragenda*.

186. Resp. Si quæ de Apollonio Tyanæo referuntur, ad justam criticæ lancem expendantur, tantum apparere inter ejus, & Jesu Christi opera discrimen, ut miranda sit eorum audacia, vel stupiditas, qui ausi sunt unum alteri conferre. Primo enim Christi miracula, præcipue autem resurrectio a mortuis, & in cælum ascensio, a pluribus oculatis testibus non solum verbo, & scriptis, verum etiam sanguine, & vita confirmata sunt: ab iis inquam testibus, qui, ut ostensum est, neque falli hac in re poterant, nec ullo motivo induci, ut alios fallere vellent. Contra Philostratus, qui Apollonii gesta vulgavit, non testis oculatus, neque coævus, sed integro plane sæculo posterior fuit; scripsit enim hæc Sæc. II. desinente, ut apud Juliam Piam Septimii uxorem, quæ prodigiorum narratione delectabatur, gratiam iniret; Apollonius autem Sæc. I. usque ad Domitianum vixit. Adhibet quidem Philostratus testes aliquos coævos, nempe Damidem Assyrium, Maximum Ægiensem, & Mæragenem quemdam, qui aliqua de Apollonii gestis monumenta reliquerant: sed obscuri hi homines sunt, quibus nonnunquam nec ipse Philostratus fidit: nemo alius ex tot synchronis, gravibusque scriptoribus, qui ea ætate floruerunt, allegatur. Scimus etiam, quemdam Philosophum nomine Euphratem Apollonio contradixisse, & satyras contra eum edidisse; unde acres inter eos discordiæ natæ sunt. Porro Euphrates magna doctrinæ, & Philosophiæ laude celebratus fuit a Plinio ( Lib. I. epist. 10. ), ab Epicteto ( apud Arrianum Lib. III. cap. 25. ) ab Eunapio Sophista ( in præf. ad *vitas Philosophorum* ), & ab aliis.

187. Ex his autem primo colligere possumus, multa, quæ de Apollonio Philostratus narrat, necessariis fundamentis carere, ut prudenter credantur. Præcipue cum apertæ fabulæ, & pueriles nugæ sæpe immixtæ sint; ut cum Apollonius asserebat, leonem coram se adstantem esse Amasim, antiquum Ægypti regem; aut amici cujusdam sui uxorem esse dæmonem feminei sexus: & hujus generis similia, quæ videri possunt apud Eusebium ( Lib. *contra Hierodem* ), & Photium ( in *Bibliotheca* cod. 44. ), qui postremus non inepte appellat Philostratum *fabularum scriptorem* μυθογράφον ( cod. 241. ). Secundo si quæ vera sunt ab illo mirabilia facta, ea esse dæmonis arti, & potentiæ tribuenda; constat enim eum insignem fuisse magum, cujusmodi fuisse non paucos ea ætate testatur historia (*a*). Videtur quippe dæmon, qui Dei simiam agit, & transfigurat se in Angelum lucis, Apollonium, aliosque magos eo tempore suscitasse, ut Christi miracula obscuraret, ac sanctæ ejusdem religionis propagationi obstacula poneret. Deus autem id permisit, ut electos magis attentos, ac probatos redderet.

188. Postremo maximum inter Dominum Jesum Christum, & Apollonium apparet discrimen, vel ex eo solo, quod religio ab eo fundata semper magis, magisque crevit, ac de vario, & multiplici hostium genere tandem ubique victrix triumphavit. Contra autem Apollonii cultores nec multi eo vivente fuerunt, nec post ejus mortem aucti sunt, nec demum diu ejus secta duravit. Certe Lactantius sæc. IV. ita fidenter Hieroclem provocare non dubitavit Lib. V. *Divin. inst.* cap. 3.: *cur igitur, o delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit? Nisi forte tu solus, illo scilicet Deo dignus, cum quo perpetuo te verus Deus puniet*. Nempe hic usurpandum est illud sapiens Gamalielis principium *Actor. V.* 38. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud* (*b*).

189. Obj. 4. Apostoli potuerunt in errorem hoc modo induci. Quando Josephus ab Arimathæa, & Nicodemus Christum de Cruce deposuerunt, fortasse eum adhuc vivum invenere. Nec suspicio ista fundamento caret; Joanne enim Evangelista referente cap. XIX. 32. latrones, qui cum Christo fuerant crucifixi, nondum mortui erant; & ut testatur S. Marcus XV. 44. *Pilatus mirabatur, si jam obiisset*. Joseph ergo, & Nicodemus Christum sepultum simularunt, reipsa autem eumdem abscondi quam diligentissime curarunt: itaque Christus medicamentorum ope restitutus, & per occultas cœnaculi fores ad Discipulos introductus, eis redivivus visus est. Profecto S. Matth. XVII. 62. & seq. dicit, nonnisi altera die post Parasceven Principes Sacerdotum, & Pharisæos petiisse a Pilato, ut juberet custodiri sepulcrum: illi autem impetrata militum custodia signarunt sepulcrum, sed vacuum (*c*).

190. Resp. Nihil esse in tota hac machina, quod

si

(*a*) Sanct. Augustinus epist. CII. quæst. 6. loquens de Apulejo, & Apollonio, primo dicit, eorum mira multa *nulla fidei auctoritate jactari*: postea subdit: *quamvis & dæmones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate, sed specie, non sapientia, sed plane fallacia*, & in epistol. CXXXVIII. cap. 2. *Quis autem, ait, vel risu dignum non putet, quod Apollonium, & Apulejum, ceterosque magicarum artium peritissimos conferre Christo, vel etiam præferre conantur?* Sanct. etiam Jo. Chrysostomus *Hom. III. in Judæos* Apollonii miracula nonnisi mendacia, atque illusiones fuisse asserit. Vid. pariter S. Hieronymus epist. *Ad Paulinum* LIII. T. I.

(*b*) De Apollonii imposturis, præter citatos jam Eusebium, Lactantium, & Photium, videri possunt Tillemontius Tom. II. *Histor. des Emper.*, Dupinius diss. *sur l'histoire d'Apollonius convaincue de fausseté* in 12. Baronius ad ann. Christi 88. Scaliger in *Eusebianis* numer. 278., Huetius in *Demonstratione Evangel.* Proposit. IX. cap. 147. & alii innumeri.

(*c*) Mitto paradoxum Mahumetis, qui in Alcorano commentus est, alium loco Christi fuisse crucifixum,

si vel leviter excutiatur, non statim ex se ipsa corruat. Primo quis credat, Christum non fuisse mortuum, quando a cruce depositus fuit? Cum toto inspectante populo expiraverit, & cum insuper fuerit latus ejus lancea transfossum? Accedit, quod Pilatus Josepho ab Arimathæa fidem non adhibens, Centurionem hac de re interrogavit; nec prius Corpus Jesu Josepho concessit, quam cum mortuum esse cognovisset, Marci XV. 44. & seq. Secundo, quid inverisimile magis, quam Judæorum Principes, & Pharisæos, quando venerunt, ut sepulcrum signarent, non observasse prius, an Christi cadaver ibi esset? Quid enim signare sepulcrum proderat, si quid intus lateret, ignorabant? Ulterius, si hanc diligentiam incaute prætermisissent, eccur postea, audita fama resurrectionis Christi, non statim divulgarunt, fuisse ab Apostolis ejus corpus furto sublatum, antequam sepulcrum a militibus custodiretur? Cur potius miserabile illud effugium invenerunt, ut pecunia milites custodes seducerent, ut dicerent, se dormientibus fuisse a Discipulis Christi cadaver furto sublatum? Demum, quod additur, Christum medicamentorum ope restitutum, fuisse clam in cœnaculum introductum, mirum quantum cum Evangelica historia pugnat. Esto enim Discipulis alio distractis potuisset Christus per occultas fores inobservatus intrare, anne poterat etiam ex eorum oculis evanescere, & quidem non semel, aut iterum, sed pluries? An etiam illudere, cum quingentis, & amplius fratribus visus est, ut Paulus testatur? 1. Corinth. 7. An cum omnibus inspicientibus in cœlum est elevatus, & nubes suscepit eum ab oculis eorum? Hæc omnia, & alia ejusdem generis prorsus incredibilia debent increduli sibi fingere, dum veris Christi miraculis fidem adhibere recusant.

191. Instab. 1. Evangelistæ in describenda historia Christi resurrectionis secum aperte collidunt; ut nullum proinde esse possit mendacii evidentius indicium. Et quidem primo Matthæus dicit cap. XXVIII. 1. mulieres venisse ad sepulcrum Christi *vespere sabbati*, Marcus cap. ult. *orto jam sole*, Joannes autem cap. XX. *cum adhuc tenebræ essent*. Præterea alia contradictio inter Marcum, & Matthæum in oculos statim incurrit. Matthæus enim mulieres venisse dicit *vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*. Marcus autem, *cum transisset sabbatum*. Tertio Matthæus refert, Angelum mulieribus Christi resurrectionem nunciasse, Joannes autem oculatus testis nedum id silet, sed Matthæum falsitatis accusare videtur, Magdalenam, cum Domini Corpus non invenisset in monumento, cucurrisse ad Petrum, & Joannem, atque his verbis fuisse lamentabiliter conquestam: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum*, quod certe non dixisset, si de resurrectione ejus ab Angelo fuisset edocta. Postremo si Lucam audiamus, mulieres viderunt *duos viros in veste fulgenti* XXIV. 4. si Joannem, *duos Angelos in Albis*: si autem Matthæum, nonnisi unus Angelus erat, isque super lapidem sedens: & denique si Marcum consulamus, erat *unus juvenis*.

192. Resp. Leves has esse antilogias, non veras, sed apparentes, quæ substantiam rei tot, tantisque argumentis roboratam infirmare nullatenus possunt. Immo ex his eruitur, Evangelistas non ex pacto, aut conventione inter se facta, Evangelicam historiam composuisse; quid enim facilius erat, quam leves has discrepantias evitare?

183. Ad primum autem, & ad secundum facile respondetur, illud Matthæi *vespere sabbati*, seu, ut Græcus habet, ὀψὲ δὲ σαββάτων, significare in fine sabbati, nempe hebdomadæ (nam sabbatum quandoque in scripturis sumitur pro hebdomade; unde illud Pharisæi, *Lucæ XVII. 22. Jejuno in Sabbato*); seu quod idem est, *hebdomade jam elapsa*; quod clarius dixit Marcus: *& cum transisset sabbatum*. Sic etiam tollitur contradictio inter Marcum, & Joannem, si verba Marci ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, latine ita reddamus: *oriente sole:* quando scilicet tenebræ quidem adhuc sunt, incipiunt tamen a sole ex oriente dissipari (a). Vel dici potest, Joannem locutum esse de tempore, quo mulieres a propriis domibus discesserunt, & tunc tenebræ adhuc erant. Marcum vero de tempore, quo ad monumentum pervenerunt, *orto jam sole*.

194. Ad tertium. Nulla est ibi contradictio; sed solum aliquas circumstantias, quas Matthæus siluerat, Joannes, testis oculatus, exponit. Matthæus enim omissis iis, quæ antea contigerant, solum memorat, fuisse ab Angelo Christi resurrectionem nunciatam. Joannes autem, quæ ante Angelorum colloquium contigerant, accuratius exponit, scilicet primo venisse Mariam Magdalene ad sepulcrum, & non invento corpore Domini, cucurrisse ad Petrum, & Joannem, cum iisque de ejusdem sublatione conquestam; deinde discipulos non invento corpore Domini abiisse. Hæc omnia prætermisit Matthæus, & solum narravit, quod sequitur, Mariam Magdalene, quæ desiderio Dominum videndi, a sepulcro non recesserat, vidisse duos Angelos in albis sedentes, a quibus tum ipsa, tum aliæ mulieres de Christi resurrectione edoctæ fuerunt. Itaque nulla est inter Matthæum, & Joannem contradictio; si quas iste fusius narrat circumstantias, ille omisit.

195. Ultima nec responsionem fere meretur. Cum enim Angeli non aliter quam in forma humana apparuerint, potuerunt sine ulla contradictio-

qua in absurda opinione ipsum Basilides, & Marcion præcesserunt.

(a) Ita Sanctus Augustinus Lib. III. de conc. Evangelist. cap. 25. Tom. III. P. II.

ctione modo *Angeli* appellari, ut reipsa erant, modo *viri* aut *juvenes*, ut videbantur. Nec Matthæus, aut Marcus in singulari numero loquentes contradicunt Lucæ, & Joanni, qui duos nominant. Primi enim nonnisi eum memorant, qui mulieribus locutus est; unde Matthæus inquit: *Respondens autem Angelus* ( hoc est, *sermonem exordiens* secundum Hebræorum phrasim ). Lucas autem, & Joannes duos memorant, qui præsentes adstabant. Neque enim quemquam moveat, quod alicubi Angeli dicantur *stare*, alibi *sedere*: stare enim hic non designat corporis situm, sed præsentiam tantum (*a*).

196. Inst. 2. Christus suam resurrectionem prædixerat post tres dies Matth. XII. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, & Marci VIII. 31.: *Oportet filium hominis . . . occidi, & post tres dies resurgere*; atqui tamen resurrexisse dicitur multo prius, ergo &c.

197. Resp. Christi prophetiam, qua se resurrecturum esse prædixit post tres dies, non ita esse intelligendam, quasi integris tribus diebus deberet in sepulcro manere, sed triduum hic accipitur per synecdochen, hoc est pro tribus diebus incompletis: unde etiam Lucæ XXIV. 7. dicitur: *oportet filium hominis . . . crucifigi, & tertia die resurgere*, quod reipsa opere completum est. Nam sepulcro traditus fuit die parasceve, in eo mansit tota die sabbati, & nonnisi die Dominica resurrexit: qua in re acute S. Leo ( Serm. I. *de resurrect.* ) miram Domini œconomiam observat, qui simul & veritatem prophetiæ servavit, & discipulorum mœrorem minuere studuit. *Ne turbatos*, inquit, *discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decederet, & nihil dierum numero deperiret*.

198. Neque obest in laud. Matthæi loco dici, Christum futurum in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, cum tamen nonnisi duæ noctes interfuerint, nam hic dies, & nox sumuntur simul ad denotandum diem naturalem; non ad significandas accurate illas duas partes, quæ diem naturalem constituunt.

199. Inst. 3. Discipuli futuram Christi resurrectionem ignorabant; dicitur enim de ipsis Joann. XX. 9. *nondum sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Et ulterius etiam, postquam Christus redivivus apparuit, quidam dubitasse dicuntur Matth. XXVIII. 17.

200. Resp. ad primum. Non potuisse Apostolos omnino ignorare futuram Christi resurrectionem, de qua fuerat toties Christus ipse locutus. Solum igitur sensus est, ipso Christo fidem non omni ex parte adhibuisse. Quamobrem cum vacuum sepulcrum invenerunt, suspicati sunt, fuisse ejus corpus furto sublatum.

201. Quod autem Sanctus Matthæus quosdam de ejus resurrectione dubitasse dicit, referendum est ad S. Thomam, cujus dubitationem S. Evangelista eo capite refert, omnia, quæ post Christi resurrectionem evenere, breviter, nulloque servato ordine comprehendens. Nec obest numerus pluralis ab Evangelista adhibitus, cum dicit *quidam dubitaverunt*; nam hoc explicari potest per anallagen numeri Scripturis familiarem; & præterea fortasse non unus Thomas, sed nonnulli alii cum eo de veritate resurrectionis dubitarunt; quod innuit etiam Marcus dicens, Christum *exprobrasse Incredulitatem eorum, & duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt* XVI. 14. Ceterum hujusmodi Thomæ, aliorumque incredulitas non solum veritatem resurrectionis non labefactat, sed potius majorem in modum confirmat; apparet enim, eos non fuisse de hac veritate convictos, nisi postquam eam suis veluti manibus contrectarunt; unde S. Gregorius ( Hom. XXVI. in Evang. ) *Plus*, inquit, *nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit*.

202. Instab. 4. (*b*). Si Christus vere a mortuis resurrexerat, operæ pretium erat, ut Sacerdotibus, & Principibus populi sese in primis ostenderet: cum enim resurrectio esset ipsius divinæ missionis quasi sigillum, maxime congruum videbatur, ut apud illius Gentis primores, ad quam Christus missus erat, præcipuum suæ legationis signaculum patefaceret, eo fere modo, quo legatus ad rempublicam missus Senatui, & Principibus populi missionis suæ litteras potissimum ostendere debet.

203. Accedit, quod si illorum testium fides, quibus Christus apparuisse dicitur, diligentius examinetur, facile nutabit. Sunt enim fœminæ natura superstitiosæ, & facile credulæ, quibus nec Apostoli fidem adhibuerunt, testante S. Luca cap. XXIV. II. sunt duo discipuli pergentes Emmaus, qui per longum viæ tractum cum Christo euntes, & confabulantes, eum minime noverunt; novisse autem solum dicuntur in fractione panis, quando ex eorum oculis evanuit. Dicitur & aliis discipulis apparuisse, sed negotium facessit, quod subditur, eos scilicet primo intuitu *conturbatos, & conterritos existimasse se spiritum videre* Lucæ XXIV. 97., tum januis clausis intras-

(*a*) De his, aliisque similibus antilogiis Vid. Mich. Manduit *Analyse de l' Évangile* T. IV. sec. edit. Diss. 39.

(*b*) Una cum Celso apud Origenem Libro II. contra *Celsum* n. 93. cujus objectionem postea suscitavit Spinoza in epist. 23. & post ipsum Th. Wolstenus Anglus in postremo suo sermone *de miraculis Christi*.

trasse in cœnaculum, atque ex oculis discipulorum evanuisse; unde suspicari possumus aliquod phantasma fuisse. Thomas quidem eum tangere voluit, immo digitos in vulnera inferre, sed primó mirum est, id fuisse Thomæ concessum, cum antea Magdalenæ dixisset Christus se antequam ad cœlum ascenderet, tangi non posse, Joann. XX. 17. Et ulterius magis mirum est, in corpore vivo ea fuisse vulnera, quæ ipsi mortem intulerat.

204. Accedit demum, ex tot populis, quibus de Christi resurrectione persuasum postea fuit, nullum omnium Apostolorum testimonium habuisse, vel habere potuisse; cum enim Apostoli, & Discipuli ad prædicandum Evangelium per totum orbem dispersi fuerint, quælibet natio vix unum audire potuit: unum autem testem minime sufficere, præcipue ubi agitur de facto tam incredibili, nemo ignorat.

205. Resp. Hæc omnia hactenus allegata nonnisi meras esse conjecturas, quæ nullum pondus habent, ubi factum indubiis testibus confirmatum est, quos nempe constat nec decipi potuisse, nec alios decipere voluisse.

206. Verumtamen, ne quid dissimulasse videamur, ad primum dicimus, Christum satis multis redivivum apparuisse, ut de ejus resurrectionis veritate dubitari a nemine prudenter possit. Quare autem Magistratibus, Sacerdotibus, & Principibus populi apparere noluerit, penes ipsum est, & ad inscrutabilem judiciorum suorum abyssum pertinet, ut enim inquit Sanctus Petrus Actor. X. 40. *dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo*. Hinc dignatus est incredulo Thomæ seipsum palpandum exhibere, non autem voluit alios incredulos similiter convincere. Venerat quidem Christus primo *ad oves, quæ perierunt domus Israel* Matt. XV. 24. Sed postquam sui eum non receperunt, eos dereliquit, aliisque sua beneficia impertiri voluit. Nulla itaque ratio erat, ut Judæorum genti a se merito reprobatæ Christus præcipuum divinæ suæ legationis signaculum ostenderet (*a*).

207. Ad secundum, facile quisque videt, testimonium fœminarum hac in re ejusdem esse ponderis, ac virorum. Non enim hic agitur de aliquo dogmate discutiendo, in quo ingenii acumen, & præjudiciorum vacuitas requiratur, sed de facto, quod in sensus incurrit; & fœminæ non minus, quam viri, dummodo oculos haberent, Christum redivivum aspicere, & cognoscere poterant.

208. Ulterius, etiamsi rejiciatur testimonium fœminarum, annon satis erunt undecim Apostoli? Annon plures Discipuli? Annon denique quingenti, & amplius fratres?

209. Quod si duo Discipuli euntes in Emmaus non illico Magistrum suum cognoverunt, id ideo fuit, *quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent* Lucæ XXIX. 16. hoc est Christus Dominus causis sibi perspectis nondum voluerat, se illis palam ostendere, quod postea fecit, & ipsis, & aliis discipulis manifeste apparens, eisque omni argumentorum genere veritatem sui corporis demonstrans: *palpate*, inquit, *& videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, & manus, pedesque ostendens, atque in eis vulnera, & loca clavorum, cum eis colloquens, ac denique manducans, & bibens.

210. Intravit quidem in cœnaculum januis clausis, atque evanuit ex oculis Apostolorum. Sed nihil inde colligi potest contra ejus corporis veritatem; sicut inepte quis negaverit, eum ante passionem verum habuisse corpus, quia a Nazaræorum oculis, ipsum de supercilio montis præcipitare volentium se subtraxit *Lucæ* IV. 29. & 30. Et verba illa: *evanuit ex oculis eorum* nihil aliud significant, quam *invisibilis factus est*, quod clarius græcus textus indigitat, dicens: ἄφαντος ἐγένετο, Sanctus Thomas 3. part. quæst. 55. art. 6. observat, Christum voluisse intrare in cœnaculum januis clausis, & ab oculis Discipulorum evanescere, ad ostendendam *gloriam* resurrectionis.

211. Neque verum est, non potuisse tangi a Magdalena; nam Christus dumtaxat illi dixit: *noli me tangere*, sed noli diutius pedibus meis inhærere; sed vade ad Apostolos, me resurrexisse nuncians; *nondum enim ascendi ad Patrem meum:* scilicet adhuc tempus erit, quo mea præsentia fruaris, antequam ad Patrem meum ascendam (*b*).

212. Ultimum de vulneribus adeo leve est, ut nec responsione indigeat. Quis enim non intelligat, cicatrices tantum in glorioso Christi corpore remansisse, hoc est scissuras a clavis factas, non autem proprie vulnera, quæ scilicet dolorem inferrent? Vid. S. Thomas 3. part. q. 54. art. 4.

213. Restat tertia difficultas, quæ nullo negotio solvitur. Etiamsi enim singuli Apostoli singulas provincias peragraverint (quod tamen non est undequaque verum), fidem nihilominus populorum sibi miraculis conciliarunt, quo nihil efficacius ad veritatem confirmandam esse potest. Ulterius facile postea fuit etiam aliorum testimonium ha-

(*a*) Tertullianus in *Apologetico* cap. 21. hæc habet de Jesu Christo: *nec ille se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur; ut & fides non mediocri præmii difficultate constaret*.

(*b*) Aliam hujus loci sed mysticam explanationem S. August. tradit Serm. 244. & 245. T. V. Ridicula autem est, ut mitius loquar, hæc Harduini interpretatio: *noli me tangere, quippe adhuc aromatibus madidum, quibus me perunxerunt Josephus, & Nicodemus. Nondum enim ascendi ad Patrem meum, qui in cælis est. Nondum accepi corpus spirituale, quod ibi accepturus sum a Patre meo*.

habere, cum omnibus patuit, eamdem ubique fidem fuisse ab aliis prædicatam, & miraculis confirmatam (a).

214. Objic. quinto. Evangelistæ, & sacri scriptores plura malæ fidei specimina exhibent, ut proinde eosdem mundum decipere voluisse, suspicari merito possimus. Nam *primo* Matthæus XXVII. 52. dicit, in morte Christi *monumenta fuisse aperta*, *& multa corpora Sanctorum*, *qui dormierant*, *surrexisse*, *venisse in sanctam civitatem*, *& apparuisse multis*. Quod stupendum prodigium non solum siletur ab aliis Evangelistis, sed a nullo plane alio teste commemoratur.

215. Præterea idem Matthæus II. 23. Christum in Nazaret habitasse dicit, *ut adimpleretur*, *quod dictum est per Prophetas*, *quoniam Nazaræus vocabitur*: hæc autem prophetia nullibi invenitur.

216. Tertio quasdam prophetias per vim, & per machinas Christo fuisse ab Evangelistis adaptatas legimus, quæ alios manifeste spectabant. Exemplum sit in eodem Matthæo, qui cap. II. 15. illud *Oseæ* XI. 1. *ex Ægypto vocavi filium meum* Christo ex Ægypto revertenti fidenter accommodat, cum aliunde certissimum sit, Oseam populo Israelis fuisse locutum.

217. Quarto idem Evangelista ibid. vers. 17. & 18. in cæde infantium adimpletam esse vult prophetiam Jeremiæ dicentis: *Vox in Rhama audita est*, *ploratus*, *& ululatus multus*, *Rachel plorans filios suos*. At vero Propheta suo vaticinio designare voluit duarum tribuum Juda, & Beniamin asportationem in captivitatem.

218. Quinto idem Matthæus XXVII. 9. loquens de 30. argenteis, quos Judas Principibus Sacerdotum restituit, inquit: *tunc impletum est*, *quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem*, *& acceperunt* 30. *argenteos &c.* nulla tamen hujusmodi prophetia apud Jeremiam invenitur: ad summum aliquid simile legitur *Zachariæ XI.* 12. *appenderunt mercedem meam* 30. *argenteis*.

219. Sexto Marcus II. 26. eum, qui David esurienti dedit *panes propositionis*, nominat *Albathar*; qui tamen 1. *Regum XII.* 9. dicitur *Achimelech*; & cap. I. nominat *Isaiam* loco *Malachiæ*.

220. Septimo Stephanus *Actor.* VII. 4. refert, Abraham exivisse de terra Chaldæorum, *postquam mortuus est pater ejus* Thare; quod non cohæret cum chronologia Thare, & Abraham; Abraham enim cum exivit de terra sua erat 74. annorum, ut dicitur *Genes. XII.* 4. Thare autem genuit Abraham, cum esset annor. 70. *Genes. XI.* 26. unde sequeretur, vitam Thare non superasse annum 145. & tamen *Genes. XI.* vers. ult. Thare dicitur vixisse annos quinque supra 200. (*b*).

221. Demum Joann. II. 20. inducuntur Judæi dicentes, templum fuisse ædificatum ann. 46. cum tamen ex Josepho Lib. XV. *Antiq. Judaic.* cap. 11. sciamus, illud fuisse ab Herode octo annorum spatio extructum (c).

222. Resp. nimis stupidos ab adversariis nostris fingi sacros scriptores, quasi putaverint, posse se impune in totius Judaicæ gentis conspectu aut prophetias ex integro comminisci, aut jam existentes a vulgato, communique sensu detorquere. Sed examinemus singula.

223. Quantum ad primum, non omnino concordes sunt, tam veteres, quam recentiores interpretes, an illi sancti, quorum mentio est apud Matthæum, ad novam vitam temporalem, an potius ad gloriosam in cælis cum corpore resurrexerint. S. Hieronymus in epist. LX. ad Heliodorum num. 3. Tom. I. ea corpora sanctorum visa fuisse putat in cælesti Jerusalem, quatenus illi sancti singulari Dei beneficio simul cum Christo resurrexerint, & cum corporibus suis gloriosis in cælum ascenderint. Eidem sententiæ suffragantur Origenes ( T. XII. in *Matth.* n. 3. & alibi T. III. Opp. ), Eusebius ( in *Demonstrat. Evangel.* Lib. IV. ), S. Hilarius ( Tract. in Psalmum II. ), Ruffinus ( in *exposit. Symboli* ), & nonnulli alii. S. Augustinus ( Epist. CLXIV. alias IC. ad Evodium num. 9. Tom. II. ) hanc opinionem rejicit, & vult, verba S. Matthæi esse ad litteram intelligenda de aliquibus sanctis, qui

ad

(a) *Aliquis fortasse curiosius sciscitabitur*, eccur Christus Dominus post suam resurrectionem perpetuo cum Discipulis commoratus non fuerit; & ubinam esset, quando a Discipulis recedebat? Ita vero Sanctus Thomas 3. part. q. 55. art. 3. respondet: *Ad veritatem resurrectionis manifestandum sufficit*, *quod pluries apparuit* ( Apostolis, & Discipulis ), *& cum eis familiariter est locutus*, *& comedit*, *& bibit*, *& se eis ad palpandum præbuit*: *ad gloriam autem resurgentis manifestandam continue noluit conversari cum eis*, *sicut prius fecerat*, *ne videretur ad talem vitam resurrexisse*, *qualem prius habuerat*. Et ibidem ad 2. *Incognitum est*, *quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset*, *cum hoc Scriptura non tradat*, *& in omni loco sit dominatio ejus*.

(*b*) Ita objicit Voltairius in *Nouveaux Melanges philosoph. Crit.* part. 1. pag. 77.

(*c*) Hæc olim objiciebant Judæi, atque inter alios R. Isaac filius Abrahami in suo *Munimine fidei* part. II. c. 2. & seq. de quo videri potest Jo. Christ. Wagenselius in opere, cui titulus *Tela ignea satanæ &c.* Altdorphi Noricorum 1681. Præcipuas eorum cavillationes etiam collegisse dicitur Jo. Bodinus in libro *ἀνέκδοτα. Colloquium heptaplomeres de abditis rerum sublimium arcanis*, cujus schediasma exhibet Jo. Dieckmannus *De naturalismo cum aliorum*, *tum maxime Io. Bodini &c.* recuso Jenæ 1700. in 4. Impius ille Bodinus ad Judaismum tandem defecisse dicitur a Gillotto epist. 49. ad Scaligerum Lib. III. Sed alii ipsum atheum & vixisse, & mortuum esse, probabilius credunt. Etiam Celsus, Porphyrius, & Julianus, S. Hieronymo teste in ep. LVII. ad Pammachium n. 9. Evangelistas falsitatis accusare solebant. Horum vestigia a Naturalistis nostri ævi premi, magno cum dolore videmus.

ad confirmandam Christi divinitatem reipsa redivivi apparuerint multis; & qui postea, hoc testimonio reddito, iterum mortui sunt. Eamdem sententiam tenet S. Jo. Chrysostomus in epist. ad Ebræos, ac præter alios S. Thomas III. p. quæst. 53. art. 3. ad 2. Parum autem refert, si hujus tam stupendi prodigii nulla apud alios mentio habeatur; scimus enim, non omnia fuisse ab omnibus scripta.

224. Ad secundum. Non una est Interpretum hujus difficilis loci explicandi ratio (*a*). Duæ autem mihi videntur ceteris probabiliores. Prima eorum est, qui putant, a S. Matthæo fuisse indigitatas benedictiones tributas veteri Patriarchæ Josepho ab ipsius patre Jacobo *Genes.* XLIX. 26. & repetitas a Moyse *Deuteronom.* XXXIII. 16. in quibus Josephus vocatur *Nazaræus inter fratres suos;* hoc est *separatus a fratribus suis*, sive ob sanctitatem, qua fratribus præcellebat, sive etiam propter afflictiones, & persecutiones, quibus obnoxius fuit. Utroque enim modo antiquus ille Patriarcha figura erat Christi Domini; ut proinde vere potuerit Evangelista Matthæus hoc nomen *Nazaræi* juxta veteres prophetias Christo Domino adaptare: scilicet & propter sanctitatem, cum esset *sanctus sanctorum* Dan. IX. 24. & propter summas afflictiones, atque injurias, ratione quarum appellatus fuit ab Isaia LIII. 3. *despectus, & novissimus virorum*.

225. Altera hujus loci explicatio a prima non multum diversa eorum est, qui cum S. Hieronymo Lib. I. *Comment. in Matth.* cap. 2. Tomo VII. ad mysticam hujus nominis *Nazaræi* significationem confugiunt. *Nazaræus* enim significat *separatum*, vel *Deo consecratum;* quod certe nomen singulariter Christo Domino Servatori nostro convenit, fuitque a pluribus Prophetis prænunciatum (*b*).

226. Quod tertio, & quarto loco objectum fuit, facilius solvitur, posita regula generali, & certissima, plura esse in V. T. quæ *immediate* populum Hebraicum, vel peculiares quasdam personas respiciebant, prophetice tamen, & *principaliter* referebantur ad Christum. Nam omnia ad Messiam præfigurandum tendebant; unde Apost. 1. *Corinth.* X. 4. *omnia*, inquit, *in figura contingebant illis*. Hoc non ignorabant ii saltem, qui inter Judæos pietate, & doctrina eminebant (*c*).

227. Hoc posito principio, quod inconcussum est, mirari non debemus, S. Matthæum verba illa: *ex Ægypto vocavi filium meum*, de Christo intellexisse; populus enim Hebræus in Ægypto exulans Christi ibidem exulaturi figura erat, & in Christo hæc prophetia plene, & cumulate adimpleta fuit (*d*).

228. Ita etiam multo melius Herodiano infanticidio, quam duarum tribuum captivitati ploratus, & ululatus a Jeremia prædictus convenit; quia infantes illi immerentes, innocentesque trucidati sunt, cum Judæi contra propter scelera sua fuerunt merito captivitatis pœna afflicti.

229. Ad quintum. Quis credat, in re tam levi voluisse Matthæum sine causa mentiri? Putant aliqui, nomen Jeremiæ fuisse ab imperito aliquo librario intrusum, cum reipsa in Syriaca versione, & in multis antiquis exemplaribus etiam tempore S. Augustini deesset. Hic tamen S. Doctor aliam profundiorem hujus rei causam reddit: videlicet cum eodem Spiritu Sancto afflati fuerint omnes Prophetæ, idem prorsus erat Jeremiam nominare, ac Zachariam (*e*).

230. Ad sextum, missis variis Interpretum solu-

(*a*) S. Jo. Chrysostomus Hom. IX. in Matthæum Tom. VII. non vult curiosius esse inquirendum, quisnam Propheta hoc dixerit; multi *enim prophetici libri perierunt*. Chrysostomum sequuntur de more Teophilatus, & Euthymius. Hanc sententiam adoptavit etiam Houtrevillius in suo opere: *La religion chretienne prouvée par les faits* Tom. IV. *reponse à la XII. difficulté*, contendens, nodum hunc facile solvi, dicendo, hanc prophetiam fuisse olim cum aliis multis deperditam, sola autem orali traditione conservatam. Hanc Houttevillii, aliorumque opinionem vehementer oppugnat P. Gabr. Fabricy in egregio suo opere *Des Titres primitifs de la revelation* Tom. I. pag. 307. & seq.

S. Hieronymus Lib. IV. *Comment. in Isaiam* cap. 11. Tom. IV. & in epist. LVII. alias CI. ad Pammachium n. 7. Tom. I. eam prophetiam inveniri putat apud Isaiam cap. 11. 1. ubi dicitur: *Flos* ( hebraice נצר *Netzr*, unde *Nazaræus* ) *de radice ejus ascendet*. Nec vero obest numerus pluralis, quo utitur S. Evangelista dicens *per prophetas;* non enim in Scripturis insolens est, ut per *syllepsim* numerus pluralis pro singulari usurpetur. Sic hoc ipso loco in comm. 20. pluraliter dicitur: *defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*, quibus verbis non significatur, nisi mors Herodis. Houttevillius laudatus hanc explicationem *nimis subtilem* appellat: & ipse S. Pater aliam suppeditat, qua & nos utimur n. 215.

(*b*) Ita etiam censet Bossuetus *Elevations à Dieu sur les Mystéres XIX. Semaine elev.* V. ubi tamen etiam priorem nostram explicationem simul conjungit T. X. edit. Paris. 1748. in 4.

(*c*) Vid. *Regles pour l' intelligence des S. Ecritures* à Paris 1732. opus Jac. Jos. Duguet, *& plusieurs lettres d' un Prieur pour la Defense des régles &c.* quæ pro defensione regularum prodierunt contra librum, cui titulus *Refutation du livre de régles, pour l' intelligence des saintes Ecritures*. Alia etiam postea hac de re prodierunt opuscula, ut *Traité du sens litteral, & du sens mystique des saintes Ecritures, selon la doctrine des Peres*, tum opus celebre PP. Cappucinorum Parisiensium, inscriptum *Principes discutés pour faciliter l' intelligence des livres prophétiques, & specialement des Psaumes.* Volum. 15. in 12. à Paris 1755. 1764.

(*d*) Conf. Bossuet *Élévations à Dieu sur les Mystéres XIX. Semaine elev.* 13.

(*e*) Vid. S. Doctor Lib. III. *de consensu Evangelistarum* cap. 7. Tom. III. parte 2. Confer etiam Huetium in *Demonstr. Evang.* prop. IV. c. 125. ubi demonstrare nititur, librarii oscitantia mutatum fuisse nomen.

lutionibus, dici potest, Achimelech non fuisse, nisi simplicem Sacerdotem, qui vice Abiathar principis Sacerdotum fungeretur. Vel, ut Estius post Jansenium opinatur, fuisse Abiathar patrem Achimelech, ut constat ex Lib. 2. *Regum VIII.* 17. insolens autem non est in sacris litteris, ut filius appelletur patris sui nomine.

231. Quod vero idem S. Marcus habet initio Evangelii sui: *sicut scriptum est in Isaia Propheta*, putant multi, ex scriptorum vitio irrepsisse, & legendum esse, prout græca exemplaria reipsa legunt *ἐν προφήταις in Prophetis*; cui sententiæ subscribit S. Hieronymus in cap. III. *S. Matthæi*. Sed retenta etiam latina versione potest facile S. Marcus ab omni errore liberari, observando, ibi eum allegare duo V. T. testimonia, scilicet: *ecce ego mitto Angelum meum*, quod ex Malachiæ III. 1. desumptum est; & illud: *vox clamantis in deserto &c.*, quod legitur Isaiæ XL. 3. Cum autem hoc secundum magis ad ejus scopum pertineret, declarandi scilicet initium Evangelii per prædicationem S. Joannis Baptistæ, hinc potius Isaiam allegavit, quam Malachiam (*a*).

232. Ad septimum. Scriptura non dicit, Thare genuisse Abraham anno ætatis suæ 70. sed post annum 70. genuisse Abraham, Nachor, & Aram, ita ut Abraham fuerit tertiogenitus, & natus anno ætatis Thare 130. Recensetur tamen Abraham primo loco, propter ipsius dignitatem, qua futurus erat pater omnium credentium.

233. Ad ult. responderi potest, illos 46. annos esse accipiendos ab initio restaurationis templi sub Herode, usque ad ultimam ejusdem ædificii perfectionem. Quamvis enim ab illo hæc restauratio absoluta fuerit octo annis, seu potius novem cum dimidio, ut ex laud. Josephi loco colligitur, multa tamen postea addita sunt, sive ad ornamentum, sive ad reparationem ejusdem. Sane idem Josephus Lib. XX. cap. 9. nonnisi sub Agrippa fuisse hoc ædificium plene absolutum, manifeste indicat, cum narrat, absoluto templi ædificio, fuisse Agrippam a populo rogatum, ut orientalem portam ædificaret, ne scilicet opifices, quorum ultra octodecim millia erant, otio languerent (*b*).

234. Facile item explicantur nonnullæ diversitates, quæ inter veteres, novosque sacros scriptores apparent, ut cum S. Matth. cap. II. 6. citat verba Michææ, quasi diceret: *& tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda*; cum tamen Michæas dicat: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda* V. 2. Vel cum S. Lucas dicit in *Actibus Apostol.* VII. 14. Jacob intrasse in Ægyptum cum 75. animabus, cum tamen Genes. XLVI. 27. nonnisi 70. animæ numerentur.

235. Resp. enim ad primum, diversitatem non esse nisi in verbis. Quod enim a S. Matthæo positum est nomen *Judæ* pro *Ephrata*, fortasse factum est, quia tempore Christi hæc civitas magis nota erat sub hoc nomine. Quod vero dicitur apud Michæam *parvulus*, vel *parvula*, debet intelligi cum interrogatione, *an parvula es?* quod æquivalet negationi, quam S. Matthæus adhibet; *nequaquam minima es*. Diversitas in *principibus*, & in *millibus* oritur ex voce hebraica אלף *Aleph*, quæ significat *principes*, *& millia*. Alterum autem solvit S. Hieronymus ad loc. cit. ex *Genes.* observans, S. Lucam fuisse secutum versionem LXX. Interpretum, qui 75. animas numerant, idque ea de causa, quia S. Lucas scribebat gentibus, quibus ea sola versio græca nota erat.

236. Multo major difficultas videri potest in conciliandis nonnullis apparentibus antilogiis, quas antiqui, recentesque Religionis Christianæ hostes nobis objiciunt ex duabus Christi genealogiis apud Matthæum, & Lucam, quæ & inter se, & cum historia Vet. Test. pugnare videntur. Primo quidem inter se; nam Matthæus Christum a David Rege descendere dicit per Salomonem, Lucas autem per Nathan. Præt. nomina ab utroque Evangelista commemorata omnino diversa sunt, duobus exceptis, scilicet *Salathiel*, & *Zorobabel*. Demum Matthæus Josephi patrem appellat *Jacob*, Lucas autem *Heli*.

237. Secundo: utraque genealogia pugnat cum historia Vet. Test. nam primo Matthæus dicit: *Joram genuit Oziam*, in Libro autem 4. Regum VIII. & IX. Joram genuisse dicitur Ochoziam, Ochozias autem genuit Joas, & iste Amasiam, & demum Amasias genuit Oziam. Secundo idem Matthæus. *Josias*, inquit, *genuit Jechoniam*: ex laud. autem Lib. 4. Regum XXIV. & XXV. colligitur, Josiam genuisse Joachim, & Joachim genuisse Jechoniam. Tertio a S. Matthæo Salathiel dicitur filius Jechoniæ, cum tamen Jeremiæ XXII. 30. Jechoniæ prædicta fuerit sterilitas: *scribe virum istum sterilem*. Demum apud Lucam *Arphaxad* dicitur pater *Cainan*, *&* iste pater *Sale*; at vero non uno in loco V. T. Arphaxad dicitur pater Sale, nullaque est mentio *Cainan* intermedii, imo hic nec esse potuit inter duos Patriarchas Arphaxad, & Sale medius; nam *Gen. XI.* 12. dicitur: *Arphaxad vixit* 55. *annis*, *& genuit Sale*.

238. Ut primam difficultatem solvant, duplicem viam ingrediuntur Interpretes. Plurimi, præci-

(*a*) Adi-scis Melch. Canum l. II. *de locis theol.* cap. 18., ubi nonnullas alias hujusmodi difficultates profunde, & eleganter more suo explicat.

(*b*) Dixit *restaurationem* templi ab Herode fuisse factam, non autem proprie dictam *ædificationem*; templum enim a Zorobabele ædificatum juxta vaticinium Aggæi II. 8. conservandum erat usque ad adventum Messiæ. Sed spatio 500. annorum a Zorobabele usque ad Herodem verisimile est, illud restauratione magna indiguisse, præcipue cum tempore bellorum illuc, tanquam in arcem tutissimam, Judæi confugerent.

cipue veteres (*a*), secuti auctoritatem Julii Africani scriptoris sæc. III. dicunt, Matthæum recensuisse Christi progenitores secundum carnem, Lucam vero secundum legem, quæ habetur *Deuter.* XXV. 5., ut scilicet mortuo viro sine liberis, frater ipsius teneretur defuncti uxorem accipere, ad suscitandum semen fratris sui: quo fiebat, ut filius ex secundo illo matrimonio genitus binomius esset: nam secundum carnem vocabatur filius illius, a quo genitus fuerat; secundum legem vero filius dicebatur defuncti. His positis Matthæus vocat Joseph filium Jacob secundum carnem; unde etiam ait: *Jacob genuit Joseph*; Lucas vero eum dicit filium Heli, quia Jacob ipsum genuit ex uxore defuncti Heli, ducta in matrimonium secundum legem *Levitatus;* quod indicare videtur, dicens: qui *fuit Heli* (*b*). Hoc autem semel constituto, mirum non est, si per diversos avos, atavosque Matthæus, & Lucas Christi genealogiam perducant usque ad David; & ille quidem per Salomonem, iste autem per Nathan. Nam & illud in hac hypothesi addendum est, Jacob, & Heli non fuisse fratres, nisi uterinos, aut plane solum cognatos ex diversis parentibus ortos, quos tamen non insolens est in sacris Litteris appellari fratres (*c*). Julius Africanus, qui hanc viam conciliandi simul duos Evangelistas primus aperuit, id a Christi ipsius cognatis se didicisse testatur (*d*).

239. Recentiores vero interpretes bene multi putarunt, Christi genealogiam fuisse a S. Matthæo contextam per progenitores Josephi, a Luca autem per progenitores Mariæ; quia Matthæus scribebat Judæis, apud quos non erat mos genealogias texendi per mulieres; Lucas autem Gentilibus, quos docere volebat, Christum esse natum ex Maria sine carnali commercio; & hinc esse nominum diversitatem. Neque vero huic sententiæ ea verba obsunt S. Lucæ, qui ita genealogiam orditur: *Jesus, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli;* nam Joseph dici potuit filius Heli propter matrimonium cum Maria filia Heli, vel Joachim, utrumque enim nomen tribuitur Patri Beatæ Virginis: & Heli, Heliachim, & Joachim habentur pro synonimis. In hac sententia facile intelligitur diversitas nominum in utraque genealogia usque ad Zorobabel, & Salathiel. Sed adhuc difficultas restat, quare iterum post Zorobabel, & Salathiel diversitas nominum occurrat? cui solvendæ difficultati nihil aliud responderi potest, nisi Sanct. Lucam post Salathiel genealogiam prosecutum fuisse per avos, atavosque legales, ne scilicet actum a Sanct. Matthæo reageret, ostenderetque, Christum Dominum a David originem traxisse & naturalem, & legalem (*e*).

240. Quantum spectat ad apparentes antilogias cum Vet. Testamento, communis responsio est ad primum, Joram genuisse Oziam, ut Matthæus refert, non immediate, sed mediate; eo modo, quo Christus dicitur filius David, a quo per longam generationum seriem originem trahebat: quæ autem Matthæo fuerit causa tres intermedios reges Ochoziam, Joas, & Amasiam omittendi, non facile est divinare.

241. Eademque ratione omissus est Joachim Josiæ filius, & pater Jechoniæ: fortasse quia adeo impius fuit, ut sepultura asini extra portas Jerusalem sepeliri meruerit, ut refertur Jerem. XXII. 19.

242. Sterilitas Jechoniæ; quæ tertio loco opponebatur, communiter ab Interpretibus eo sensu explicatur, non quod Jechonias caruerit filiis, sed quod nemo ex ejus stirpe paternum regnum occupare deberet.

243. Postrema difficultas de addititio Cainan gravior videtur; cui solvendæ multi illustres Interpretes fidenter pronunciant, Cainan imperiti alicujus librarii manu fuisse Lucæ genealogiæ insertum; imo inde irrepsisse & in græcam versionem LXX. ad cap. XI. *Gen.* 12. ubi legitur, Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν Καϊνὰν *Arphaxad genuit Cainan* (*f*).

244. Obj. sexto. Possunt Christi miracula alicui genio superiori tribui, qui ipsi nedum in vita adstiterit, sed etiam post mortem, ita ut ejus ope novam vitam recuperaverit. Si enim Magi ope dæmonis nonnulla mirabilia patrarunt, quidni potuerit Christus opitulante genio aliquo superioris

(*a*) S. Augustinus Lib. II. *Retractationum* c. 12. Sanct. Hieronymus in cap. I. Matthæi, S. Joan. Damascenus Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 15. &c.

(*b*) S. Ambrosius in Lucam putavit, ab hoc Evangelista fuisse nominatos parentes Christi *carnales*, a Matthæo autem *legales*.

(*c*) Nam ad hos etiam pertinuisse legem *levitatus*, patet ex historia Ruth, quam vi illius legis Booz duxit ejusdem consanguineus.

(*d*) Apud Eusebium Lib. I. *Hist. Eccles.* c. 7. Vid. etiam Sanct. Thom. 3. P. Quæst. 31. artic. 3. ad 2.

(*e*) Omitto novam opinionem Nicol. Peregrini Cellotii, qui ostendere conatus est, apud Matthæum cap. I. 16. non esse legendum: *Jacob genuit Joseph virum Mariæ:* sed potius: *Jacob genuit Josephi conjugem Mariam;* ac proinde genealogiam a Matthæo descriptam non esse Josephi, sed Mariæ. Hanc inauditam antea Cellotii versionem refutavit Ferdinandus Mingarelli Camaldul. epist. edita Romæ 1764.

(*f*) Vid. de hac postrema difficultate Petavius Libro IX. *de doctrina temporum* cap. 17. Natalis Alexander in *Hist. Eccl. Vet. Test. de II. mundi ætate* Dissert. IV. Graveson *de mysteriis, & annis Christi* Dissert. V. Calmet super vers. 24. cap. X. *Gen.* Houbigant in not. ad vers. 10. cap. XI. *Gen.* Petitdidier in *Disser. Hist. de sacra scriptura;* ex acatholicis vero Usserius c. 6. *Chronol. Sacræ*, Spanhemius in *dubiis Evangelicis*, Sam. Bochart in *Geogr. Sacra* Lib. II. cap. 13. Cæterum de antilogiis, quæ videntur esse inter duas genealogias Matthæi, & Lucæ, consuli possunt laud. mox Graveson Dissert. IV. Serry *Exercitation* LXII. & XLIII. *de Christo*, Calmet in Dissert. *de conciliatione genealogiarum J. Ch. apud S. Matthæum & S. Lucam*, Cornelius Jansenius, aliique Interpretes.

ris ordinis multo mirabiliora facere? Reipsa ea ætate fuisse ingentem magorum colluviem veteres Scriptores Svetonius, Tacitus, Dio Chrysostomus, Dio Cassius, Apulejus, Lucianus, Spartianus, Celsus, Porphyrius, aliique narrant.

245. Resp. Mortuorum suscitationem opus esse, quod cujuscumque genii potentiam superat: quis enim poterit animam corpori iterum copulare, nisi qui eam primo creavit? Deinde vel genius iste Christo assistens malus fuisse fingitur, vel bonus. Si malus, quomodo potuit Christo contra alios spiritus malos opitulari? nam omnes Christi actiones ad hunc unum scopum tendebant, ut dæmonum regnum destrueretur. Hinc Christus Dominus ad hanc ipsam Judæorum calumniam refellendam dicebat *Lucæ* XI. & seq. *omne regnum in se divisum desolabitur. Si autem & sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Rursus, quomodo potuit spiritus malus ejus doctrinæ tam bonæ, & tam sanctæ testimonium reddere? Si autem contra dicatur, genium Christo adstantem fuisse bonum, quomodo poterat tam stupendis miraculis falsitatem, imo plane horrendam blasphemiam probare? Christus enim miraculis suis nihil aliud populis persuadere volebat, quam se esse filium Dei a Patre missum, eique coæqualem, & consubstantialem.

246. Obj. septimo. Mirum est, ac fere prodigio simile, tot, quæ a nobis creduntur, miraculorum Christi, atque etiam Apostolorum nullam inveniri mentionem neque apud Flavium Josephum, qui tamen alios impostores multo minus celebres non prætermisit; neque apud alium auctorem Paganum, vel Judæum illius ævi, sed solum apud Christianos, quorum testimonium in propria causa suspectum est.

247. Resp. (a) Omnes auctores qui primi miracula Christi, Apostolorumque scripserunt, fuisse vel Judæos, vel Ethnicos, qui eorumdem miraculorum evidentia convicti ad Christi religionem transierunt. Tales fuerunt Evangelistæ, talis Paulus, ceterique Apostoli; tum postea Clemens, Justinus, Ignatius, Polycarpus &c. Neque vero refert, hæc eos litteris non mandasse, nisi postquam religioni Christianæ nomen dederunt. Tantum enim abest, ut id eorum fidem imminuat, quin potius eamdem majorem in modum confirmet, & roboret. Demonstrat quippe, adeo iis fuisse de veritate miraculorum Christi persuasum, ut ejus asseclæ fieri voluerint: imo nec postea recusarunt pro ejus sanctissimæ religionis defensione acerbissima subire supplicia; quod omnibus fere primis nostræ religionis scriptoribus accidit.

248. Aliorum vero scriptorum silentium nullum causæ nostræ præjudicium affert. *Primo*, quia argumentum est *negativum*, cui opponimus aliorum scriptorum nubem, quorum fides nullo modo suspecta esse potest; cum nec decipi potuerint, nec ulla appareat causa, propter quam mentiri voluerint. *Secundo*, quia facile reddi potest hujus silentii ratio. Vel enim ea miracula falsi convincere oportebat, vel ea suo suffragio probare. Primum erat impossibile, alterum vere probrosum iis videbatur, si veritatem miraculorum Christi confitentes, non etiam ipsius religionem amplecterentur. Josephum tamen minime siluisse, contendunt Critici bene multi, celebre illius testimonium, quod legitur L. XVIII. *Antiq. Judaic.* cap. 4. ut genuinum vindicantes. Miraculum etiam tenebrarum, quæ in Christi morte factæ sunt, a Phlegonte, ab aliis commemoratum creditur (b).

249. Inst. Non potest negari, plurimos, imprimis autem sapientes, nobiles, divites, fuisse religioni Christianæ contrarios; *Act.* enim XXVIII. 22. dicebant Judæi Paulo: *De secta hac* (Christiana) *notum est, quia ubique ei contradicitur*. Certum pariter est, plura opera contra nostram religionem fuisse ab Ethnicis divulgata, quæ si fuissent conservata, facile esset Christi, ejusque discipulorum dolos, fraudesque detegere (c).

250. Resp. Hanc universalem contradictionem religioni Christianæ ortam fuisse ex præjudiciis, & erroribus, quibus totus mundus tenebatur. Nec facile erat hujusmodi obstaculum superare; sed divina vir-

(a) Cum Hieron. Savonarola in *Triumpho Crucis, sive de veritate fidei* Libro I. capit. 4. edition. curatæ a Pat. Raym. Corsio Florentiæ 1767. in 12.

(b) Qui plura Ethnicorum testimonia videre cupit, adeat Huetium in *Demonstr. Evangel.* Prop. III. Bulletum dans *l'Hist. de l'établissement du Christianisme tiré des seuls auteurs Juifs, & Payens* à Paris 1764. in 4. & P. de Colonia in libro *La religion Chretienne autorisée par les temoignages des anciens Auteurs Payens.* De testimonio Phlegontis, an eclipsis ab eo memorata cum tenebris factis in Christi morte conveniat, major est inter eruditos controversia, quæ an. 1732. & seq. inter Wistonum, & Sichesium in Anglia recruduit. Ajebat primus in duobus operibus, quorum alterum Londini prodiit an. 1702. sub hoc titulo: *Testimonium Phlegontis defensum &c.* Alterum 1733. *Epistola ad Sichesium, qua evincitur, testimonium Phlegontis eas tenebras indicare, quæ moriente Christo contigerunt.* Arturus Sichesius autem negantem sententiam defendit, quam tueri quoque conatus est Laur. Moschemius in notis ad II. Librum Origenis *contra Celsum* p. 198. edit. an. 1745. germanico idiomate. Etiam a Sinensibus fuisse eam eclipsim observatam, contenderunt post Adrianum Greslonium in *Hist. Sin.* P. Couple Mullerius, & alii. Sed eos refutatos habes a Boyero in Dissert. hac de materia, edita a Kirckio in *Miscellaneis Berolinensibus*, & a P. Souciet in suis Dissert. *de Astronomia Sinensium*. Vid. Dissert. Pat. Calmet *De tenebris in obitu Jesu Christi*.

(c) Inter alios emicuit Porphyrius, cujus opera in XV. libros divisa, teste S. Gregorio Nazianz. in IV. Orat. *contra Julianum*, a Gentilibus veluti divina prædicabantur. Iste autem Philosophus tam vetus, quam novum testamentum evertere conabatur. Porphyrii vitam edidit Lucas Holstenius, & prostat in *Biblioth. græca* Jo. Alb. Fabricii T. IV. Hierocles etiam Ægy-

virtute religio Christiana ubique tandem triumphavit, ibique sedem suam fixit, ubi prius summum erat idololatriæ imperium.

251. Quidquid autem libri contra Christum, ejusque Discipulos evulgati continebant, adhuc legi potest in operibus nostræ religionis apologistarum, qui objectiones inimicorum totidem ipsorum verbis reliquerant suis scriptis insertas. Sic Justinus Tryphonis, Origenes Celsi, Cyrillus Juliani, & Augustinus Porphyrii argumenta expressis ipsorum verbis recitant. Et profecto si magna illa Gentilitatis lumina aliquid solidi contra nostram religionem objecissent, aliquos certe, præcipue autem doctos, ab ea ad idololatriam rursum revocassent, aut saltem impedivissent, ne Christi fides magis, magisque in dies propagaretur; at vero res contra accidit; nam Crux Christi, non minus contra sapientiam Philosophorum, quam contra potentiam tyrannorum triumphavit; & tandem ubique sapientes, juxta ac potentes, sponte sibi fasces submittere vidit. Legatur S. Jo. Chrysostomi Liber in *S. Bibliam contra Julianum*, *& contra Gentiles* Tom. II.

252. Obj. 8. Si vera fuissent Jesu Christi miracula, totus mundus ei adhæsisset, Judæi præcipue, qui eo tempore Messiam expectabant, eaque propriis oculis videre debuerunt; atqui nonnisi paucissimi, iique ut plurimum rudes, & ignobiles, qui facile decipi possunt, Christo crediderunt, ceteri autem potentiores, & perspicaciores, Christum pro impostore habuerunt, unde etiam ipsius mortem a Pilato instanter petierunt, ejusque Discipulos persecuti sunt. Hinc Joan. VII. 48. Pharisæi dicebant: *numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt*. Indicium hoc est manifestissimum, decantata Christi miracula non fuisse nisi meras fraudes, quibus soli imperiti decipi potuerunt.

253. Resp. Potissimam causam, cur Judæi Christo Domino non crediderint, fuisse divulgatum apud eos errorem, Messiam, quem expectabant, venturum cum temporali potentia ad regnum Israel terrenum restituendum. Potuissent certe, imo & debuissent ex ipsius miraculis divinam Jesu Christi virtutem cognoscere; id tamen factum non fuisse iis mirabile non videbitur, qui corruptam hominum naturam, ac passiones propius considerant. Aliud est convincere intellectum, aliud voluntatem movere, plerique carnis cupiditatibus abstracti, & illecti, rerumque temporalium cura nimis occupati ea, quæ ad animæ salutem pertinent, aut leviter, aut nullatenus perpendunt; unde etiam canebat olim Horatius Lib. I. epist. 2.

*Quæ lædunt oculos, festinas demere? si quid*
*Est animum, differs curandi tempus in annum?*

Hinc fieri potuit, ut bene multi ad miracula Servatoris nostri, ut ut celebrata ubique, ne attenderint quidem, ne scilicet animi tranquillitatem amitterent. Alii autem assueti multa audire de Magis, ea magicis artibus tribuebant; nec volebant diligentiam impendere, ut a falsis deceptorum præstigiis illa secernerent. Alii denique iis visis, vel auditis fortasse commoti erant, sed rerum temporalium amore, quasi glutine quodam implicati, rem in posterum differebant; post autem impressione a miraculis facta sensim decrescente, in sua cæcitate, quam nimium amabant, increduli permanserunt. Pauperes autem facilius convertebantur, quia hujusmodi obstaculis minus detinebantur (a).

254. Ulterius ad cordis corruptionem tollendam satis non sunt externa miracula, nisi etiam interior, potentiorque præsto sit Dei gratia; fides enim est donum Dei. Ii itaque visis miraculis Christi ejus religionem amplexi sunt, quibus opitulante Dei gratia magis cordi erat æterna animæ salus, quam terrena, & corporalia bona; seu, ut dicitur *Act*. XI. I. 48. Paulo, & Barnaba prædicantibus, *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Et cap. XVI. 14. de Lydia dicitur: *cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo*.

255. Ceterum facilius intelligitur, his, aliisque de causis potuisse multos, divites præsertim, superbosque sapientes, certissimis, stupendisque Christi miraculis repugnare, quam fuisse alios, nec illos quidem paucos, nec omnes indoctos, aut ignobiles, sed multos omnis generis (b), qui sine miraculis ad eam religionem convolarent, quæ sensui, & cupiditatibus corruptæ naturæ e diametro repugnabat, & quæ Judæis scandalum videba-

pti præfectus, & magnus religionis Christi hostis in duobus libellis, quos ad Christianos direxit, *ita falsitatem Scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi tota esset contraria*, ut loquitur Lact. L. V. *Div. inst.* c. 2. ubi alium etiam scriptorem memorat religionis nostræ adversarium.

(a) Egregie Lactantius Lib. VII. *Div. Inst.* cap. 1. postquam demonstravit, homines avaritia, libidinibus, aliisque vitiis impediri ad credendum, subdit: *Eo fit, ut pauperes, & humiles Deo credant facilius, qui sunt expediti, quam divites, qui sunt impedimentis pluribus implicati: imo vero catenati, & compediti serviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit; nec possunt in cælum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera gestantes &c.* Dignum est illud caput, ut totum legatur.

(b) P. Thomas M. Mamachius in I. Tomo *Originum, & antiq. Christ.* Lib. II. *πάρεργον* contra Campegium Vitringam, & P. Castus Inn. Ansaldi in opere: *Multitudo maxima eorum, qui prioribus Ecclesiæ sæculis Christi religionem professi sunt adversus Davidem Clarksenum &c.* Taurini 1765. in 8. luculenter ostenderunt, nec paucos, nec solum rudes, & ignobiles fuisse illos, qui Christ. religioni in ipsius primordiis nomen dederunt.

batur, gentibus autem stultitia. Recte S. Thomas (Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 6.) post magistrum suum Augustinum, *esset autem*, inquit, *omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, & ignobilibus hominibus*. Legatur etiam S. Jo. Chrysostomus Hom. VI. in epist. 1. *ad Corinth.* Tom. X.

256. Sed nec illud silentio est prætereundum, hanc multorum, præcipue inter Judæos, excæcationem fuisse tam in vet. quam in novo test. multoties prædictam (*a*); & Apostolos, ac Discipulos a Magistro suo præmonitos, quod ejiciendi erant e civitatibus, odio habendi, flagellandi, occidendi; ac proinde tantum abest, ut multorum incredulitas veritatem Christianæ religionis labefactet, quin potius confirmet.

257. Inst. Illud saltem imperceptibile videtur, si vera fuissent tot, tamque stupenda prodigia, quæ in Christi nativitate facta dicuntur, Angelorum visiones, stellæ apparitio, Magorum adoratio, infantium cædes, Simeonis prophetiæ, & alia id genus, fuisse postea Jesum Christum per longum annorum curriculum ab omnibus ignotum, & nonnisi triennio ante mortem iterum inclaruisse.

258. Resp. Id pluribus de causis fieri potuisse. Primo potuit ab aliquibus credi in magna illa infantium strage ab Herode edita (*b*) vivis sublatus. Secundo ejus fuga in Ægyptum, & longum a sua patria exilium eorum prodigiorum memoriam delere potuit; præcipue cum ea non in Nazareth, sed in Bethlehem, & Jerusalem facta fuerint. Tertio ad id conferre potuit communis fere Judæorum persuasio, venturum quidem circa ea tempora Messiam, sed venturum cum potentia, & majestate. His, aliisque de causis potuit Christus diu latere. Ceterum omnes criticæ regulas evertere necesse est, si volumus sacra plenissime demonstrata levibus hujus generis conjecturis impugnare.

259. Objic. 9. Nec falsis religionibus, imo nec atheismo martyres defuerunt, qui certe nihil lucrari se posse sperabant: ex quo Apostoli sine ulla spe lucri resurrectionem Christi prædicaverint, concludi non potest, eos impostores non fuisse &c.

260. Resp. Discrimen esse, quia falsarum religionum professores sua culpa decipi possunt; agitur enim de dogmatibus, in quibus ob præjudicia, subtilitates, aliasque causas locus errori facile esse potest; contra vero Apostoli decipi circa Christi resurrectionem non poterant, cum hoc esset factum, in quo dijudicando non ingenio, non diligentia opus erat, sed tantum sensibus.

261. Martyres vero atheismi nullos fuisse puto; si qui enim propter atheismum supplicio affecti sunt, ut sæc. elapso Lucilius Vanini, ii præteriti atheismi pœnas luere coacti sunt, optione minime eis facta vitam conservandi, si resipiscere vellent, cum Apostolis contra, & pluribus aliis Martyribus nedum venia, sed etiam præmia sæpius offerrentur, si Christum abnegarent. Verum si etiam Athei invenirentur, qui mortem subire, quam atheismum ejurare maluerint (quanquam non facile credo posse hujusmodi exempla afferri), id fortasse vitæ desperatione egerunt, mortem minime metuentes, post quam nihil mali superesse credebant. Contra autem Apostoli, & Christiani, qui futuræ vitæ præmia, & pœnas & credebant ipsi, & aliis prædicabant, ignorare non poterant, post hujus vitæ supplicia, alia ipsis superesse æterna, si ausi fuissent tam impudenter mentiri.

262. Objic. dicendo (*c*). Cum Doctores signum a Christo petiissent, non respondit Jesus: *jam sexcenta signa, & miracula vidistis;* neque eorum petitioni satisfecit, miracula edendo, sed respondit: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ;* hoc est prædicatio sanæ doctrinæ (*d*). Et quoties Judæi miracula a Christo videre cupierunt, ab eo increpati sunt, ut Joann. IV. 48. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.*

263. Ulterius nullum a Christo factum fuisse miraculum, luculenter indicat illa Judæorum interrogatio Joann. VI. 30. *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi?* Christus autem in Judæorum memoriam non revocavit signa jam facta, sed quæstione declinata, de pane cœlesti sermonem instituit.

264. Tertio. Si aliquod videbatur Christi insigne miraculum, certe illud fuit de panum multiplicatione; & tamen illud discipuli non intellexerunt. Nam *Marci* VI. 52. dicitur: *Non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum*. Et rursus VIII. 21. Christus Dominus increpans eos, dicebat: *Quomodo nondum intelligitis?*

265. Demum si Christus tot miraculorum auctor extitit, cur ea facere non potuit in patria sua, ut dicitur *Matth.* cap. XIII. 58.? Neque enim satis est respondere, ex hominum incredulitate id esse ortum; namque ad hominum incredu-

(*a*) Isaiæ V. 9. *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere; videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Hanc autem & alias similes Isaiæ prophetias fuisse adimpletas, notavit S. Joannes Evangelista Cap. XII. 37. & seq. idem etiam prædixit Christus *Marci* IV. 11. & seq.

(*b*) De qua vid. P. Ansaldi in opere, cui titulus: *Herodiani infanticidii vindiciæ.*

(*c*) Cum Rousseavio *Lettres écrites de la Montagne*. Lettr. 3.

(*d*) Matth. XII. 39. & XVI. 4. Lucæ XI. 28. & Marci XIII. 11.

dulitatem vincendam miracula erant ordinata.

266. Resp. Hoc sane prodigium cuilibet videri posse, hominem, qui se Evangelio credere profitetur, ut Rousseavius est, in tam absurdum paradoxum delapsum esse, ut probare ex Evangelio conetur, vel nulla a Christo facta esse miracula, vel ea non fuisse in testimonium ipsius doctrinæ allata. Sed quæ objecta sunt, seorsim consideremus.

267. Respondet ad primum Sanctus Thomas ( III. P. quæst. 43. art. 1. ad 1. ) cum S. Jo. Chrysostomo, *hoc esse intelligendum, quod tunc non acceperunt tale signum, quale petebant, scilicet de cælo, non quod nullum signum eis dederit*, sexcenta enim in Evangelio memorantur; ut proinde intolerabilis esset contradictio, si hoc significaret, nullum a Christo factum esse miraculum (a).

268. Miranda est autem Rousseavii confidentia, dum signum Jonæ prophetæ nihil aliud esse vult, quam Evangelii prædicationem, cum Christus ipse sua verba statim explicuerit de miraculo resurrectionis, e vestigio subdens: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*.

269. Recte etiam Christus Judæos objurgans dixit: *nisi signa* &c., non quia miracula nulla fecerit, sed quia, ut S. Thomas observat ( loco cit. ad 3. ), *miracula intantum diminuunt meritum fidei, inquantum per hoc ostenditur duritia eorum, qui nolunt credere ea, quæ Scripturis divinis probantur, nisi per miracula*. Maldonatus autem putat, hæc verba fuisse a Christo non increpando, sed pronunciando prolata, & legendum esse cum aliquibus: *nisi signa, & prodigia videretis, non credetis*; quasi Regulum, qui petebat, ut ejus filius sanaretur, ita fuerit allocutus: *sanabo filium tuum, ut tu, & multi alii credant*. Ceterum festive plane ex his concludit Rousseavius, noluisse Christum miraculis trahere homines ad fidem, cum hoc ipso in loco Evangelista referat, Christum prodigiose filio Reguli (b) sanitatem reddidisse, quo facto *credidit ipse* ( Regulus ), *& domus ejus tota*. Ut enim Angelicus subdit: *Melius est eis, ut vel per miracula convertantur ad fidem, quam quod omnino in infidelitate permaneant; dicitur enim* I. Cor. XIV. 22. *quod signa data sunt infidelibus, ut scilicet convertantur ad fidem*.

270. Ad secundum. Oportet totum contextum percurrere, ut appareat, quantum Rousseavius a vero ejusdem sensu aberraverit. Primo dicit Evangelista, multitudinem magnam secutam fuisse Jesum, *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*: post autem describit insigne illud miraculum multiplicationis panis, & piscium, quod signum cum vidissent homines, *dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Tertio. Mare pedibus calcans venit in Capharnaum. Hæc omnia miracula in eodem capite descripta, mirum est non vidisse Rousseavium. Quando ergo Judæi Christum interrogant: *quod ergo tu facis signum?* idem est, ac si dicant: quæ hactenus signa fecisti, nondum sufficiunt, ut te filium Dei credamus; nam Moyses majus signum fecit, quam fuerit panis multiplicatio: *patres nostri manducaverunt manna in deserto &c.*, volentes scilicet, ut miraculum multiplicationis panis sæpius renovaret, quo vescerentur otiosi, quemadmodum Hebræi in deserto. Christus autem, non declinata quæstione, sed omnino ad rem de cælesti pane, cujus figura erat manna, sermonem instituit. Carnales enim Judæi tantum de pane terreno cogitabant, & iterum simile miraculum expetebant, dicentes: *Domine, semper da nobis panem hunc*. Quod si Christus miraculum iterare justis de causis recusavit, non propterea concludi potest, ipsum aut nulla miracula edidisse, aut iis noluisse uti, ut Judæos ad se converteret.

271. Ad tertium. Christus ideo reprehendit Apostolos, quia viso miraculo multiplicationis panum, adhuc solliciti erant de cibo, *& cogitabant ad alterutrum dicentes; quia panes non habemus. Quo cognito, ait illi Jesus: quid cogitatis, quia panem non habetis, nondum cognoscitis, nec intelligitis.... nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? dicunt ei: duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? & dicunt ei septem; & dicebat eis: quomodo nondum intelligitis?* scilicet nihil vobis defuturum, quousque mecum eritis? Marci VIII. 16. & seq.

272. Ad ultimum. Falsum est, Christum nulla fecisse miracula in patria sua, & multo magis falsum, non potuisse eum ibi miracula facere; nam apud Matthæum dicitur: *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum*, quia scilicet non credentes primis miraculis indigni erant, ut alia, & majora reciperent. Apud Marcum vero dicitur: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos manibus*

(a) S. Hieronymus in Comment. in hunc loc. Tom. VII. *Sic signum postulant*, inquit, *quasi quæ viderant, signa non fuerint. Sed in alio Evangelista quid petant, plenius explicatur. Volumus a te signum videre de cælo, Marci VIII. 11. vel in morem Eliæ, ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo, contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, &c.* Scilicet non contenti illis miraculis, quæ jam viderant, vel audierant, nova poscebant, & majora.

(b) Textus græcus habet Βασιλικός, idest regius, & fortasse aliquis erat ex regia Herodis familia. Nostra autem vulgata videtur secuta aliam lectionem, quæ habet Βασιλίσκος, *Regulus*.

*bus impositis curavit*. Quod autem dicitur, *non poterat*, S. Thoma interprete ( III. P. quæst. 42. art. 2. ad 1. ) idem est, ac congruum non erat, ut inter incredulos miracula operaretur; quemadmodum Gen. XVIII. 17. *Dixit Dominus: num celare potero Abrahæ; quæ facturus sum?* & XIX. 22. *non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc?*

273. Frustra autem Rousseavius addit, miraculis opus fuisse ad hanc incredulitatem tollendam, si verum est, quod nos dicimus, fidem debuisse miraculis stabiliri. Frustra, inquam; neque enim tenebatur Christus tanto magis miracula multiplicare, quanto incredulitas Judæorum crescebat; & ea jam miracula ediderat, quibus eorum vinci potuisset pertinacia.

174. Objic. 11. Quædam referuntur Christi miracula inutilia, ridicula, & Deo indigna; cujusmodi est mutatio aquæ in vinum, ut convivæ jam ebrii magis inebriarentur *Joann.* II. 19., ficulneæ arefactio, quod fructus intempestive non faceret Marci XI. 13. & *Matth.* XI. 13. & *Matth.* XXI. 19., & dæmonum immissio in porcorum gregem, qui se in mare præcipitarunt *Matth.* VIII. 30. *seq.*

275. Resp. Primo, sanioris criticæ regulam esse, ut si aliquid obscurum sit, per clarius explicetur, non contra. Jam vero miracula habemus insignia, & indubia, quibus Christi divinitas invictissime demonstratur. His ergo innixi debemus etiam alia sapienter, & utiliter facta æstimare, quamquam eorumdem finis nos lateret: non autem, ut adversarii faciunt, ex quo quorumdam miraculorum finis, & utilitas nos lateat, omnia inutilia reputare. Et ulterius potest horum signorum aliqua non incongrua ratio assignari.

276. Miraculum conversionis aquæ in vinum non fuit inutile: eo enim, ut dicitur *Jo.* II. 11. *manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus* (a). Neque vero negotium facessat illa vox *inebriari*, quasi Christus voluerit convivarum ebrietati cooperari. In sacris enim litteris non semper hæc vox sumitur in proprio sensu, sed quandoque significat bibere, quantum natura indiget, in quo sensu hic usurpanda est. Sic *Gen.* XLIII. 34. de fratribus Joseph dicitur: *biberuntque, & inebriati sunt cum eo;* scilicet exhilarati sunt. Et *Prov.* XI. 25. *qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*.

277. Ficulneæ exsiccatio parabola fuit, ut intelligerent Judæi, Synagogam esse delendam, eo quod fructus non tulerit. Non refert, quod, ut dicit S. Marcus, *non erat tempus ficorum;* non enim necesse est parabolas in omnibus ad amussim cum re significata congruere, sed sufficit, si in eo congruant, quod principalius intenditur (b).

278. Ultimum ostendit Dei potentiam in dæmones. Sed aliæ etiam Christo fuerunt causæ id faciendi; puta ut dæmonum expulsio signo magis sensibili rudibus iis pastoribus innotesceret; unde factum est, ut illi in civitatem properantes omnia nunciarent (c).

279. Obj. ultimo ( cum Spinoza, & Wolstono*). Possunt miracula Christi in sensu allegorico intelligi, ut nempe cæcos illuminaverit, cum homines veritatem docuit, infirmos sanaverit, mortuosque suscitaverit, spiritualiter &c. Reipsa Sancti Patres sensu allegorico in explicandis Scripturis sæpius usi sunt, ac inter alios Origenes.

280. Resp. Sanctos Patres utique sensu allegorico usos nonnumquam fuisse, ita tamen ut litteralem non omitterent, qui primo, & præcipue attendi debet. Ceterum in re nostra plusquam evidentissimum est, non posse Christi miracula in sensu allegorico explicari. Quomodo enim Judæi calumniati fuissent, eum in Beelzebub principe dæmoniorum prodigia operari, si nulla operatus fuisset? Quomodo allegorice illud miraculum de multiplicatione panis, & piscium semel; atque iterum factum intelligi poterit? Satis est verba Evangelistæ percurrere, ut appareat, ea nulla machinarum vi ad sensum allegoricum pertrahi posse. Ita enim Marci VIII. 19. & seq. Christus discipulos interrogat: *Quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum sustulistis? dicunt ei duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? & dicunt ei septem.*

281.

(a) *Quis*, inquit S. Athanasius *De Incarnat. Verbi Dei* num. 18. Tom. 1. pag. 40. edit. Patav. 1777. *quis aquarum naturam mutatam, atque in vinum conversam considerans, non credat, hujusce rei auctorem omnium quoque aquarum esse creatorem?*

(b) Aliqui, ut se ab hac difficultate liberarent, illa verba Marci XI. 13. *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων* ita vertenda curarunt: *non enim erat annus ficorum;* quia scilicet licet esset tempus ficorum, annus erat sterilis, & propterea ficulnea inventa est sine fructu. Alii, quibus hæc explicatio non placet, post Einsium Lib. II. *Exercit. Sacr.* cap. 6. ita textum græcum paulisper mutant: *οὗ γὰρ ἦν, ἦν καιρὸς σύκων:* atque ita vertunt; *ubi enim erat* ( Christus ), *erat tempus ficorum*. Sed hæc explicatio, quæ celebri Xaverio Mattei admodum placuit Tom. I. suæ *versionis italicæ lib. poetic. scripturæ sacræ* Dissert. prælim. cap. 5. præterquam quod textum græcum sine fundamento mutat, non parvis est obnoxia difficultatibus. Satius est veterum Patrum, atque Interpretum vestigia sequi, qui in hac parabola mysterium reprobationis Judæorum contineri docent.

(c) Grotius non improbabiliter censet, id fortasse a Christo factum, ut præceptum de non comedenda carne suilla a Gentilibus irrisioni improbe haberi, ostenderet. Notum est illud Juvenalis in Judæos sarcasma: *Nec distare putant humana carne suillam*. Aliqui etiam crediderunt, Christum voluisse eo miraculo punire Judæos, qui contra legem Moysis porcos alebant. Sed S. Thomas in *Comment.* ad hunc locum Matthæi scite observat, porcos illos pertinuisse ad Gentiles, quam sententiam adoptat etiam, atque illustrat P. Calmet pariter in *Comment.*

281. Denique, ut sexcenta alia omittam, quænam amentia est, mystice explicare Christi resurrectionem, quando dicitur expresse, non fuisse inventum corpus ejus in sepulcro, sed solum linteamina, quibus fuerat involutum; apparuisse illum sæpius discipulis, cum eis fuisse per 40. dies conversatum, & locutum, cum eis denique dedisse carnem suam ad palpandum? Si de spirituali, & mystica resurrectione sermo esset, anne Thomas adeo difficilem se præbuisset ad eam credendam? anne pro certo ejusdem argumento voluisset propriorum sensuum experimentum habere? *Sed jam pudet me ista refellere*, dicam cum Sanct. Augustino ( ep. 118. al. 56. cap. 4. ) *cum non puduerit eos ista sentire. Cum vero ausi sint etiam descendere, non jam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt* (a).

## CAPUT IV.

*Ex aliis miraculis post Christi ascensionem in cælum in Ecclesia editis ostenditur veritas divinæ revelationis in N. T.*

282. Stupendum, & irrefragabile certe miraculum fuit prodigiosa S. Pauli conversio, quæ sola sufficeret ad veritatem evangelicæ doctrinæ demonstrandam. Illa autem describitur in *Actibus Apost.* IX. & XXII. scilicet cum spirans minarum, & cædis in discipulos Domini Damascum pergeret, ut si quos invenisset hujus vitæ ( nempe Christianæ ) viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem, subito lux de cælo eum circumfulsit, & ad terram prostratus audivit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ipsi autem interroganti: *Quis es Domine?* responsum fuit: *ego sum Jesu, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Pergit autem sacer textus enarrare, quomodo surrexit Saulus nihil videns: quomodo fuerit introductus Damascum: quomodo ibi ab Anania, Domino eum admonente, repertus, ab eoque visum receperit, & tandem baptizatus fuerit. Post autem factus vas electionis *ingressus in Synagogas prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei*, stupentibus omnibus de tam mirabili, & subita mutatione.

283. Porro ingenium hic acuant Increduli, quantum possunt, atque hujus conversionis naturales causas inquirant; nemini cordato persuadere unquam poterunt, illam sine miraculo factam fuisse. Nam primo eam ipse S. Paulus *Actor.* XXII. exponit, cui non video, cur fides denegari queat. Secundo S. Paulus non ex infima plebe erat, aut idiota, & rudis; sed civis Romanus, & legis doctor, quem proinde decipi tam facile hac in re potuisse, non est suspicandum. Tertio non erat præjudiciis, aut studio religionis Christianæ præoccupatus, imo ejus osor, & persecutor infensissimus. Demum adeo fuit de veritate religionis Christianæ hoc miraculo convictus, ut postea pro ea ubique annuntianda, & propaganda nullis unquam pepercerit laboribus; nec dubitaverit pro Christo Domino omnes persecutiones, flagella, carceres, extremum denique supplicium tolerare.

284. Vir etiam fuit sanctissimis moribus præditus, non pecuniæ cupidus, non ambitione elatus, non denique ullo alio vel minimo vitio coinquinatus; adeo ut ejus accusatores, & inimici nihil ipsi exprobrare unquam potuerint, nisi quod deserta Synagoga Christianam religionem amplexus esset, eamque ubique prædicaret. Si ejusmodi viro in talibus rerum circumstantiis miraculum, suæ conversionis causam, narranti non credimus, nescio cui alteri credendum sit (b).

285. Sed non unum hoc fuit ad confirmandam nostram religionem miraculum editum. Hanc potestatem Christus Dominus Apostolis, eorumque successoribus promiserat Joann. XIV. 12. inquiens: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado*. Et Marci XVI. 17. *in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis... super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Hanc autem divinam professionem fuisse adimpletam, asserit ipse Sanctus Marcus in fine sui Evangelii, inquiens de Apostolis: *illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Et S. Paulus Hebr. II. 4. *Contestante Deo*, inquit, *signis, & portentis, & variis virtutibus*.

286. Id ipsum confirmant ea multa miracula, quæ leguntur in *Actis Apostolorum*; præcipue vero cap. II., ubi describitur donum linguarum Apostolis impertitum: cap. III., ubi Petrus in nomine Jesu Nazareni claudum sanavit, præsente omni populo; unde etiam quinque virorum millia conversa sunt: cap. V., in quo multa Petri, aliorumque Apostolorum signa, & prodigia referuntur:

(a) Voolstonum confutarunt Edmundus Gibson Episcop. Lond. in suis *epist. pastor.* & Stackonsius *le sens litteral de l' Écriture*. Novissime autem Pater Thomas Maria Gerboni Ordin. Prædic. *in Theolog. revelata* tom. 2. lib. 3. qu. 1. artic. 2. provinciam sibi assumpsit singula Christi miracula a calumniis, falsisque interpretationibus Voolstoni vindicandi. Inter veteres Lactantius Lib. IV. *divin. Institution.* eloquenter explicat, quomodo miracula Christi vera fuerint κατα το ῥητον ad *litteram*, & nihilominus mysticam significationem habeant.

(b) Vel hoc solum miraculum satis esse deberet ad obstruendum os Voltairii, aliorumque ejus similium, qui sæpius repetere solent, miracula non videri nisi ab hominibus tardi, & imbecillis ingenii, nulla autem fuisse unquam visa viris doctis, & *spiritibus fortibus*, seu incredulis. Exemplum S. Pauli eos impudentis mendacii aperte convincit; quanquam plura alia ejusdem generis præsto sunt.

tur: cap. IX., ubi Petrus Lyddæ Æneam paralyticum restituit, & in Joppe Tabitham a morte revocavit: cap. XII., ubi refertur prodigiosa Petri liberatio a vinculis: c. XIII. quando Paulus Elymam magum excæcavit: & c. XIV. quando idem Paulus curavit claudum ab utero matris: cap. autem XX. Paulus Troade Eutychum adolescentem a mortuis suscitavit; & cap. XXVII. Paulus exorta tempestate prædixit; solam navim amissum iri, omnes autem secum navigantes salvos futuros, quia ipsi Deus eos donaverat.

287. Ab aliis etiam Apostolis plura fuisse edita prodigia, dubitandum non est: quamvis de eorum actis admodum pauca supersint vetusta historiæ monumenta, quia primi fideles in sævissimis illis, quæ tunc fuerunt, persecutionibus, vix otium scribendi nanciscebantur, multaque eorum, quæ litteris consignata erant, partim hostium vi, partim injuria temporum interierunt.

288. Miracula in Ecclesia etiam post mortem Apostolorum non defuisse, confirmatur plurium Sanct. Patrum testimonio, quos vel deceptos fuisse, vel alios decipere voluisse, nos suspicari non sinit nota ipsorum prudentia, doctrina, & sanctitas (a).

289. Sanct. Irenæus ( libr. II. *contr. hæreses* cap. 32. ) refert sua ætate ( nempe desinente sæcul. II. ) alios dæmonia ejecisse, alios præscientiam habuisse futurorum, alios manuum impositione curasse infirmos, imo & mortuos suscitasse, qui ( inquit S. Pater ) *& perseveraverunt nobiscum multis annis*. Idem testantur Justinus in *Apologia* I., & in *Dial.* cum Tryphone, Tertullianus *ad Scapulam* cap. 2., & 4., tum etiam in *Apologetico* cap. 23. Origenes Lib. I. *Contra Celsum* n. 2. Tom. I. & sæpe alibi, atque alii Patres non pauci. Notum præterea est, vitam Sanct. Gregorii Neocæsariensis Episcopi Sæc. III. fuisse quasi seriem non interruptam miraculorum: unde etiam *Thaumaturgus* fuit appellatus.

290. Atque, ne infinitus sim, ea referre sufficiet, quæ S. Augustinus oculatus testis de miraculis narrat, quæ facta sunt Mediolani in translatione corporum Ss. Gervasii, & Protasii: *Ibi eram*, inquit Sanct. Pater in Serm. 286. *Mediolani eram, facta miracula novi... cœcus notissimus universæ civitati illuminatus est.... Nondum audivimus, quod obierit, forte adhuc vivit; in ipsa eorum basilica, ubi sunt eorum corpora, totam vitam suam serviturum se esse devovit. Nos illum gavisi sumus videntem, reliquimus servientem*. Eadem repetit, & plura addit de miraculis sui temporis Lib. XXII. *de Civit. Dei* cap. 8., tum lib. IX. *Confess.* cap. 7. & alibi. Imo *contra epist. fundamenti* cap. 4. Tom. VII. inter ea vincula, quibus se Ecclesiæ Catholicæ alligatum teneri profitebatur, enumerat etiam miracula. Vid. quoque S. Ambrosius, qui Deo monente eadem corpora Ss. Gervasii, & Protasii reperit, & miraculorum intercessione eorumdem Martyrum editorum testis fuit, in ep. 22. ad Marcellinam sororem suam Classe I. (b).

291. Non is ego sum, qui omnia, quæ a vetustis scriptoribus etiam gravibus miracula referuntur, ita certa esse dixerim, ut piaculum sit de iis dubitare. Melchior Canus ( lib. XI. *de locis theol.* c. 5. ) Theologum admonendum esse putavit, *ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni auctores scripserint, undique esse perfecta; nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt* (c). Quando tamen S. Patres, vel alii prudentes, ac sobrii scriptores ea narrant, quorum testes ipsi fuerunt, quis, nisi scepticus, eis fidem denegabit?

292. Scio præterea, fuisse omni tempore plurima miracula pia fraude, ut dici solet, conficta, iisque non paucos nostrorum Scriptorum libros refertos esse: *quæ res*, inquiebat laud. Canus, *implis quidem non levem subsannandi occasionem præbet, piis vero lacrimandi*. Et multo ante Canum has pias fraudes deplorabat S. Augustinus in Lib. *de mendacio*, in cujus fine ita concludit: *ad sempi-*

(a) Vid. Gabriel Seignenx de Correvon Dissert. *sur la duree du pouvoir miraculeux dans l' Église*, quæ invenitur in 2. tomo operis ab eo versi ex Anglico sermone D. Addison *de la religion Chretienne*. Lausannæ 1757.

(b) Auctor *Encyclopedia Iverdunensis*, T. XXVI. art. *Miracles* horum miraculorum veritatem solide demonstrat; eaque edita fuisse fatetur in testimonium *veritatis, & sanctitatis reliquiarum*; quæ confessio ab homine heterodoxo vix expectanda erat, nisi eam evidentia facti, ut puto, extorsisset. Haud ignoro, quæ Jo. Clericus sub larvato nomine Jo. Phereponi contra hæc miracula scribere non est veritus; sed enim pro meritis castigavit Lud. *Muratorius* in Libr. III. *De Ingeniorum moderatione in religionis negotio*, Cap. 13.

(c) Addit autem, hæc de Beda atque Gregorio jure fortasse, ac vere dicere se posse; quorum ille in *Historia Anglorum*, hic in *Dialogis* quædam scribunt vulgo jactata, & credita, quæ hujus præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Subdit tamen: *Sed quoniam modeste, & circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne in his quidem duobus rejicienda sunt plurima; pauca enim in eis possis arguere, quamvis historiam ecclesiasticam revocari ad severiora judicia contendas, ac si necesse est, in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari, malo*. Non ita porro modeste sentit de aliis scriptoribus, qui Sanctorum vitas commentis, fabulisque contaminarunt; ut dolendum sit, multo severius fuisse a Laertio vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum; quo in numero præcipue recenset auctores librorum, qui *Speculum exemplorum*, & *Legenda aurea* nominantur: *in illo enim*, inquit, *miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas: hunc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi, & prudentis*. Totum illud c. 6. legi meretur, in quo accurate discutit, qui sint probatæ fidei auctores, qui contra non sint.

*piternam salutem nullus ducendus est, opitulante mendacio; non enim malis convertentium moribus ad bonos mores convertendus est*. Tom. VI.

293. Optimum erit, ut equidem puto, tres miraculorum classes distinguere: nam aliqua ita certa sunt, ut nequeant sine temeritate negari. Rursus alia ita falsa apparent, ut illico inter aniles fabulas amandari debeant. Inter has autem duas classes tertia intermedia est plurium miraculorum, de quibus vir prudens judicium suspendet, ut nec temere illa recipiat, nec rursus temere illa repudiet. Istud tamen certum videtur, vix potuisse tot, & tanta miracula fingi, nisi aliqua vera extitissent: quemadmodum nemo de falsis, & adulterinis nummis cudendis cogitasset, nisi multi essent genuini.

294. Concilium Trid. Sess. XXV. *de invocat. venerat. & reliquiis Sanctorum* sapientissime decrevit, *nulla admittenda esse nova miracula, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quae veritati, & pietati consentanea judicaverit*. Quamnam Ecclesia Catholica diligentiam adhibere soleat ad probanda nova Sanctorum miracula, egregie pro more suo exponit Benedictus XIV. in opere *De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione* Lib. IV. Parte I.

295. Ex his patet frustra quosdam acatholicos Ecclesiæ Rom. exprobrare tot, & tanta miracula, vel plane falsa, & ridicula, vel saltem dubia, minimeque probata, quæ ab aliquibus minus caute & creduntur, & evulgantur. Id non Ecclesiæ, sed heteroclitæ quorumdam credulitati tribui debet. Qua in re intolerabilis est, qui sub nomine *Phileleutherii Helvetii* librum edidit *de miraculis* (Edimburgi 1762. in 2.), ubi inutili solertia exquisivit quidquid minus solide, imo plane insulse a quibusdam nostris auctoribus de miraculis scriptum fuit: & omnia non privatis illis scriptoribus, sed plane Ecclesiæ Catholicæ adscribit; cum tamen non ignoraverit, non paucos inter Catholicos sanioris criticæ Theologos (inter quos idem scriptor laudat Melch. Canum, & Lud. Vives) hæc omnia improbare. Longum nimis esset omnes hujus Libri calumnias exponere, & refellere (*a*).

## APPENDIX

### *De quatuor Evangeliorum Apostolica Origine.*

296. Stupendis Christi miraculis, ac veridicis ejus oraculis confirmandis sola universalis, ac constantissima eorum traditio usque ad nos propagata abunde sufficit: ita ut si nulli etiam extarent sacri codices a testibus coævis, & oculatis conscripti, nihilo minus non possent sine maxima temeritate negari, aut in dubium revocari. Reipsa enim fides miraculorum Christi in Ecclesiæ nascentis exordio ubique propagabatur sola testium traditione, cum nulli adhuc essent sacri codices, postea conscripti. Nihilo tamen minus operæ pretium existimamus eorum auctoritatem breviter vindicare contra nuperos incredulos, qui eos ut suppositios rejicere audent. Ut autem breviores simus, de solis quatnor Evangeliis, Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis agemus, in quibus nedum miracula, & vaticinia Jesu Christi, sed potissima etiam Divinæ ipsius Doctrinæ capita continentur (*b*). Et cum nostra disputatio in præsentiarum tan-

(*a*) Instituit hic auctor comparationem inter miracula Pythagoræ, & Apollonii Tyanensis, ac miracula Sancti Francisci, Dominici, & Ignatii Loyolæ, atque simul omnia lectorum risui exponit. Ut autem id facilius obtineat, undequaque corrasit quidquid de iis apud ineptissimos scriptores invenire potuit. Imo plerumque iis utitur libris, qui apostolica censura jure, meritoque proscripti jam fuerant; ut sunt exempl. grat. *Alcoranus Franciscanorum* prohibitus in *Indice Tridentino;* opera Petri de Alva, & Astorga prohibita 24. Novembr. 1655. aliisque hujus furfuris; & dubia certis, falsa veris ubique permiscet. Regula autem generalis, qua utitur ad omnia nostra miracula explodenda, hæc est, quia fiunt in Ecclesia Romana, quæ erroribus, superstitionibus, atque idololatria tota polluta est. *Quod si igitur*, inquit in præfat. pag. 45. *impedire volunt, quominus inania illa commenta rideamus, dicant nobis impostorum, quid laudem sit transubstantiatio, quæ tot mirabiles effectus edit; probent, Deum per sanctissimam suam naturam efficere posse, ut miraculo idololatria stabiliatur, & ritus ineptissimi confirmentur &c.* quasi vero demonstratum jam fuerit, Ecclesiam Rom. esse *Synagogam* Satanæ, in qua nulla miracula fieri possint. Eum quidem non puduit fidenter dicere, id *millies* ostensum fuisse, ac si ingenuus, & sincerus, ut videri vult, reipsa esset, reticere non debuisset, *millies* etiam a nostris fuisse responsum, & plane demonstratum, nostra dogmata semper fuisse credita in ea Ecclesia, quæ innumeris Christi, Apostolorum, aliorumque plurimorum Sanctorum miraculis est illustrata. Sed sufficiat hoc specimen earum ineptiarum, & calumniarum, quæ sine stomacho legi non possunt.

(*b*) Evangeliorum *αὐθεντίαν* plures ex modernis pseudo-philosophis impugnare conati sunt; ut auctor *de l' Analyse de la Rel. Chret.*; auctor item *des questions Encyclopédiques* &c. &c. Sed omnes superasse videtur Nicol. Freretus, sive alius quidam, qui sub ejus nomine ann. 1767. pestilentissimum edidit opus inscriptum *Examen critique des Apologistes de la religion chretienne*, in cujus primis capitibus demonstratum nunquam fuisse contendit, Evangelia esse genuinos eorum, quorum nomina præferunt, fœtus. Hunc librum illico confutavit Bergerius in opere: *la certitude des preuves du Christianisme* Parisiis 1767. Post autem peculiariter *γνησιότητα* Evangeliorum contra Freretum confirmandam susceperunt duo Dominicani, P. Vincent. Fassini in Libro singulari *De apostolica origine Evangeliorum Ecclesiæ Catholicæ* Liburni 1775. & de religione Catholica optime meritus P. Anton. Valsecchi in

tantummodo sit contra Naturalistas, aliosque incredulos, intactas eas controversias relinquemus, quæ nos inter, & acatholicos de nonnullis novi fœderis Libris, vel capitibus vigent.

297. Et quidem Evangelia nostra esse eorum auctorum, quorum nomina præferunt, certos, ac legitimos fœtus, constans, & universalis fuit apud omnes traditio; cujus traditionis origo in ipsis primis Ecclesiæ primordiis invenitur. Nam Papias Hierapolitanus (quem Joannis auditorem, & sodalem Polycarpi fuisse dicit Irenæus) apud Eusebium Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 39. aperte memorat Evangelia Marci, & Matthæi; imo memorat etiam Evangelia Lucæ, ac Joannis, si bene ominatur P. de Magistris *in Dissert. IV. apologet. de LXX. Virali versione* n. 10. videlicet fragmentum, quod Lud. Muratorius ex Codice Biblioth. Ambrosianæ (in Tomo III. *Antiquit. medii ævi* col. 854.) tanquam Caii antiqui scriptoris ediderat, esse Papiæ tribuendum, & esse continuationem textus, quem Eusebius loco mox laud. ejusdem Papiæ recitat: in eo autem fragmento duo Evangelia Lucæ, & Joannis expresse nominantur.

298. Præterea S. Irenæus, *vir apostolicus*, utpote discipulus S. Polycarpi, qui S. Joannis Evangelistæ auditor fuit (*a*) in Lib. III. *contr. Hæreses* c. 1. hæc habet: *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii; cum Petrus, & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum (b) Marcus discipulus, & interpres Petri & ipse, quæ a Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit. Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea & Joannes discipulus Domini, qui & supra pectus ejus recumbebat, & ipse edidit Evangelium*. Et in Lib. cap. XI. n. 8. *Neque autem*, inquit, *plura numero, quam hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia*; cujus numeri mysticas addit rationes. Primum Irenæi locum affert etiam Eusebius Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 8.

299. Irenæo suppar est Tertullianus, qui in Lib. IV. *contra Marcionem* n. 2. (*c*) *Constituimus*, inquit, *in primis Evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere*. Post autem eorumdem nomina profert, addens: *nobis fidem ex Apostolis Joannes, & Matthæus insinuant, ex Apostolis Lucas, & Marcus instaurant*. Tandem ita concludit: *contra Marcion Evangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem; quasi non licuerit illi titulum quoque adfingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere:* quibus verbis genuina nostra Evangelia apocrypho Marcionis opponit. Adulteratum autem, & falsum fuisse Marcionis Evangelium, & integra, ac vera esse nostra Tertullianus n. 4. & sequent. ostendit ex antiquitate, cum nostra Evangelia in Ecclesiis Apostolicis, aliisque vetustis publice legerentur; illud vero Marcionis plerisque nec notum esset, & ab iis, quibus erat notum, etiam damnatum.

300. Quartus antiquæ, & communis traditionis testis est Clemens Alexandrinus, qui apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 15. trium Evangelistarum Marci, Lucæ, & Joannis nomina recenset, atque ordinem, quo Evangelia exarata fuerunt.

301. Quintus demum antiquæ traditionis testis sit Clementis discipulus Origenes, qui initio Sæc. III. magna doctrinæ laude florebat. Ita autem de eo scribit Eusebius Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 25.: *in primo libro expositionum in Evangelium Matthæi, ecclesiastico insistens canoni quatuor duntaxat Evangelia esse testatur his verbis: sicut ex traditione*, inquit, *accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia, quæ sub cælis est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo.... secundum fuisse accipimus Evangelium Marci...... tertium Evangelium Lucæ: postremum vero Evangelium Joannis*. Ita Origenes veterem, & universalem traditionem exponit (*d*).

302. Hæc autem traditio semper in Ecclesia conservata, & propagata fuit; atque ex ea firmissi-

elegantissimo opere italico: *La religion Vincitrice* P. II. Patavii 1776. Accessit demum & Nic. Spedalieri nell' *Analisi dell' esame critico del Sign. Nic. Freret sulle pruove del Cristianesimo*. Romæ 1778. in 4. Horum scriptorum laboribus utemur & nos in hac eadem materia pertractanda; atque ad hos fontes remittemus, qui plura desiderant.

(*a*) Ut ipse scribit in Lib. III. *contr. hær.* c. 3. n. 4.; & etiam apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 20.

(*b*) Christophorsonus legebat: *μετὰ τὴν κατὰ Ματθαῖον ἔκδοσιν Μάρκος* &c. *post editionem evangelii secundum Matthæum Marcus &c.* ne scilicet credatur, a Marco fuisse Evangelium conscriptum post mortem S. Petri, cum Eusebius referat Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 15., non solum eo vivo, sed etiam probante, Marcum conscripsisse Evangelium ex iis, quæ a S. Petro audierat. Confer notationem f. ad hunc locum S. Irenæi, & Petrum Pogginium *De Rom. Sancti Petri itinere* Exercit. XI.

(c) Hoc opus fuit a Tertulliano editum initio Sæc. III.

(*d*) Neque vero quemquam moveat, quod idem Origenes lib. VI. *contra Celsum* num. 36. scribit, *nusquam in Evangeliis in Ecclesia receptis Jesum dici fabrum;* cum tamen id habeatur *Matth.* XIII. 55. & expresse *Marci* VI. 3.; ut enim notat Grotius ad locum *Matth. aut memoria fefellit Origenem, aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt scripturam*. Reipsa in laud. *Matthæi* loco Christus non dicitur *faber*, *sed fabri filius*; observante autem Millio in Proleg. ad N. T. pag. LXVI. etiam apud Marcum multi codices non habent *τέκτων faber*, ut nostra vulgata legit: sed *ὁ τοῦ τέκτονος fabri filius*; quod legisse videtur Origenes. Ceterum Origenes Hom. I. in Lucam quatuor nostra Evangelia genuina ab aliis, quæ tunc circumferebantur, accurate distinguit.

simum argumentum desumebat S. Augustinus contra eos, qui ausi sunt Evangeliorum, aut aliorum N. T. Codicum veram originem aut integritatem in dubium revocare, ita contra Faustum Manichæum concludens Lib. XXXIII. cap. 6. Tom. VIII. *De quo Libro certum erit, cujus sit, si litteræ, quas Apostolorum dicit, & tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est? .... Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum Libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Atque ita pergit exemplis demonstrare ex ecclesiastica traditione indubie evinci, omnes Libros Canonicos esse iis auctoribus tribuendos, quibus semper a fidelibus communi consensu tributi fuerunt.

303. Objicit primo Freretus, fuisse ab ipso Ecclesiæ exordio plures, qui hæc Evangelia, ut apocrypha, respuerent. Et certe Manichæi apud S. Augustinum Lib. XXXII. *contra Faustum* cap. 2. dicebant, totum N. T. non ab Apostolis scriptum fuisse, *sed longo post tempore a quibusdam incerti nominis viris, qui, ne sibi non haberetur fides, scribentibus quæ nescirent, partim Apostolorum nomina, partim eorum, qui Apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus inciderunt, asseverantes secundum eos se scripsisse, quæ scripserint* (a). Et Lib. XLIII. cap. 3. omnia tribuebant *nescio quibus, & ipsis inter se non concordantibus semi-Judæis*. Deinde ut S. Irenæus Lib. III. c. 11. asserit, Ebionæi solo Evangelio secundum Matthæum utebantur; Marcion Evangelium secundum Marcum *circumcidebat*: alii Evangelium secundum Marcum præferebant, Denique Valentiniani utebantur tantummodo Evangelio Joannis. Hoc tamen, S. Augustino teste in Libro de *hæresibus* n. 30. Alogi respuebant.

304. Resp. Non negamus, recensitos hæreticos, aliosque paucos rejecisse vel unum, vel alterum, vel etiam omnia nostra Evangelia. Sed horum paucorum dissensus nullum potest concordi omnium catholicarum Ecclesiarum consensui nocumentum afferre. Cui consensui Catholicorum aliquod etiam pondus addit aliorum pene omnium hæreticorum confessio, qui sacrorum codicum αὐθεντίαν inficiari minime audebant; sed potius ad suos errores tuendos eorumdem sensum pervertebant. Hujus rei testis sit S. Irenæus in Lib. III. cap. 11. n. 7. inquiens: *tanta est autem circa Evangelia hæc firmitas, ut & ipsi hæretici testimonium reddant eis; & ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam*. Imo & Ethnici ipsi, Celsus, Porphyrius, Julianus, qui Religionem Christianam quocumque poterant cavillationum, ac difficultatum genere impugnarunt, nunquam tamen de Evangeliorum αὐθεντίαν litem movere ausi sunt (b).

305. Ulterius qui nostra Evangelia vel fœde truncabant; vel penitus rejiciebant, non aliam plerumque hujus rei causam prætexebant, quam quod essent eorum erroribus adversa, ut videre est apud laudatos supra Irenæum, & Tertullianum, & Augustinum. Hi autem Patres argumento opposito utebantur ad Evangeliorum veritatem demonstrandam, quia scilicet doctrinam continent veræ, & antiquæ traditioni consentaneam; quam traditionem potissimum in Ecclesiis Apostolicis requirendam esse præcipiebant, in primis autem in Ecclesia Romana, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*, ut inquit Tertullianus (*de præscript. adv. Hæret.*); *& ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, ut ait Irenæus laud. Lib. III. c. 3.

306. Quod si aliquas alias causas afferebant rejiciendi Evangelia, ut apocrypha, eæ adeo frivolæ erant, ut merito contemnerentur: ex. gr. quod S. Matthæus de seipso loquatur in tertia persona; plura enim suppetunt exempla etiam profanorum auctorum, qui ita de seipsis nonnunquam locuti sunt, quin tamen ullum de eorumdem operibus dubium suboriatur. Id autem multo magis præstare potuerunt scriptores θεόπνευστοι *inspirati a Deo*, qui ea litteris mandabant, quæ iis Spiritus S. dictabat.

307. Frigidum pariter erat, & levissimum, quod objiciebant primo ex numero Evangeliorum; Apostolus enim, inquiebant, *Rom. II.* 16. nonnisi unum Evangelium agnovisse videtur, dicens; *secundum Evangelium meum*; deinde ex evangeliorum titulo; cur enim, interrogabant, non appellantur Evangelia Matthæi, Marci &c. sed potius Evangelia *secundum Matthæum, secundum Marcum &c.* nisi ut inde cognosceremus, non ipsos Matthæum, Marcum &c. sed aliquos posteriores homines ea Evangelia conscripsisse, secundum quod a Matthæo, Marco &c. audierant.

308.

(a) Repugnat Beausobrius affirmans, quatuor Evangelia, & S. Pauli epistolas fuisse a Manichæis receptas Tom. I. *Hist. Crit. Du Manichée, & du Manichéisme*, P. I. Lib. I. cap. 5. Sed quis S. Augustini testimonium Beausobrii auctoritati non præferat?

(b) Celebris est confessio Juliani apostatæ apud S. Cyrillum Lib. X. contra ipsum, divinitatem scilicet Jesu Christi fuisse a S. Joanne Evangelista luculenter traditam: ita enim Christianos arguebat: *Jesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus ille Joannes .... primus id prodere ausus est.* Quo loco & Freretus revincitur, qui Evangelia suis auctoribus abjudicat, & Sociniani confutantur, qui Christi divinitatem ab Evangelista Joanne luculenter expressam præfracte inficiantur. Facile autem esset concordiam S. Joannis in hoc dogmate cum aliis scriptoribus sacris contra Julianum ostendere, si locus id sineret.

308. Hæ difficultates, si ita appellari possunt, facillime expediuntur, observando cum Origene in fine Tom. V. in *Joannem*, *quod per quatuor scriptum est*, *unum esse Evangelium*, quia omnes unam, eamdemque exponunt Christi doctrinam. Dicuntur autem communiter quatuor Evangelia, quia hæc unica Christi doctrina a quatuor fuit litteris mandata: & ita etiam dicitur proprie Evangelium Christi secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, idest secundum quod a Matthæo &c. litteris traditum est. Sed piget in his levissimis rebus tempus terere (*a*).

309. Dices. Certum est, non multo post Apostolorum ævum plurimas exortas fuisse de sacris Libris controversias, multa Evangelia, multaque alia scripta falso Apostolorum nomine fuisse vulgata (*b*). Ut igitur quædam opera ut genuina reciperentur, alia vero ut apocrypha rejicerentur, ab hominum arbitrio pendebat; nam si in eorum potestate fuisset, qui victi sunt, modo volumina sacra haberemus a nostris omnino diversa, & fortasse longe plura.

310. Resp. Has ipsas controversias indicare, non clausis, ut dici solet, oculis, sed re quam diligentissime perpensa fuisse Sacros, & canonicos Libros ab apocryphis, vel dubiis secretos. In hac autem secretione facienda antiqui Patres traditionem pro regula sumpserunt, ut Eusebius testatur Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 25. & ante Eusebium Origenes apud eumdem Eusebium Lib. VI. cap. 25. Hinc tres constituerunt Sacr. librorum classes. Nam ubi invenerunt, libros quosdam apud omnes Catholicas Ecclesias perpetua traditione ut Canonicos habitos, eosdem ut divinitus inspiratos debita veneratione prosecuti sunt. Ubi contra certis notis de aliorum suppositione constabat, sive quod erroribus, aut fabulis scaterent; sive etiam quod nullibi ut sacri, & divini recepti essent, eos inter apocryphos rejecerunt. Ubi demum res incerta erat, ut quando nonnulli libri in aliquibus Ecclesiis legebantur, in aliis autem non, judicium caute suspendebatur, iique inter ἀντιλεγομένους, hoc est dubios reponebantur (*c*). Ceterum si nostra Evangelia rejicienda essent, quia aliqua apocrypha ab impiis hominibus conficta fuere, quidni & omnes historiæ explodantur, cum multas esse constet falsas, & commentitias? Quidni etiam veræ monetæ repudientur, quia certum est, plures esse adulterinas? Vid. S. Augustinus Lib. XXVIII. *contra Faustum* cap. 6. Tom. VIII.

311. Constat præterea, quanta diligentia majores nostri libros apocryphos, vel corruptos e manibus fidelium eripere semper curaverint, & qua severitate tenebriones illos puniverint, qui sacros libros confingere, vel adulterare ausi sunt. Tertullianus Lib. *de Baptismo* cap. 17. narrat, Presbyterum quemdam in Asia loco motum fuisse, seu dignitate privatum, quod convictus fuerit, aliquam Scripturam sub nomine S. Pauli evulgasse. Ut omittam, quod Hincmarus ( in opusc. *SS. Capitulorum* ad Hincmarum Laudun. c. 18. ) refert, Macedonium Episcopum Constantinop. fuisse ab Anastasio Imperat. urbe pulsum, *quoniam falsavit Evangelia* (*d*).

312. Obj. 2. Veteribus Ecclesiæ Patribus Barnabæ, Clementi Rom. Ignatio, & Polycarpo quatuor nostra Evangelia ignota fuisse videtur; neque enim ea laudant, sed potius alia, quæ modo in apocryphis numerantur. Justinus primus est, qui ea Evangelia noverit, quæ nos pro genuinis habemus. Id autem confirmari potest nonnullis exemplis. Primo Barnabas in sua epist. aliqua verba D. N. J. C. affert, quæ teste Menardo cap. 4. 7. in nostris Evangeliis non inveniuntur. Secundo S. Clemens pariter quædam habet, quæ nonnisi ex libris apocryphis depromere potuit; ut

in

(*a*) Putant aliqui, Evangelistas ipsos proprium nomen suis Evangeliis præfixisse, sed S. Joan. Chrysostomus in Hom. I. in epist. ad Roman. contra opinatus est.

(*b*) Jo. Alb. Fabricius in *Codice Apocrypho N. T.* Tom. I. quinquaginta Evangeliorum titulos collegisse se dicit. Sed non pauci solis verbis differunt. Vid. Remigius Ceillier Tom. I. *Des Auteurs Eccl.* Lib. 3. cap. 2. & P. Calmet Dissert. *in Evang. apocrypha*. Hic tamen observandum est, non omnes hos libros fuisse eodem modo *apocryphos*. Quidam enim erroribus scatebant; & propterea tanquam *absurdi*, & *impii* rejiciebantur, ut loquitur Eusebius Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 25. Sed quædam erant alia scripta minime quidem ab Apostolis edita, quæ tamen nec doctrinam falsam, neque historias Evangeliis genuinis adversas continebant; quæque proinde poterant a Fidelibus legi, & etiam a Patribus allegari: in his præcipue numerantur duo Evangelia *secundum Hebræos*, & *secundum Ægyptios*, quæ diu in aliquibus Ecclesiis recepta fuere.

(*c*) Irridendos plane se præbent nonnulli nostrorum temporum pseudocritici, qui ad elevandam Canonicis sacrorum codicum auctoritatem in scenam adducunt veterem *libellum synodicum*, quem exhibet Jo. Alb. Fabricius *Biblioth. græca* Tomo XI, ubi pag. 198. de Synodo Nicæna hæc habentur: *sacros etiam libros*, & *apocryphos manifestos fecit. In domo enim Dei*, *inferiori loco juxta divinam mensam omnibus collocatis*, *Dominum invocans oravit*, *ut qui divinitus inspirati essent*, *superius; qui autem adulterini*, *inferius* ( *quod* & *factum est* ) *invenirentur*. Quis ignobili isti, fabulisque plenæ sæculi IX. foeturæ fidem adjungat, & non potius Eusebio synchrono, & gravi scriptori, qui etiam Concilii pars non exigua fuit? Neque minus infeliciter conjectatur du Marsais, seu auctor *de l'Analyse de la Rel. Chret.* Christianos, ut bono Religionis consulerent, inter innumera Evangelia secum ipsis discordia, ea quatuor selegisse ut *sincera*, quæ minus secum pugnare viderunt; cetera vero rejecisse, ut *spuria*.

(*d*) Hanc tamen Macedonii culpam merito suspectam habent, imo falsam reputant eruditi; quod nihil de ea apud graviores, & vetustiores scriptores legatur. Et potius creditur, Macedonium injuste fuisse ab Eutychiano Imperat. expulsum, quod Concil. Chalcedonense strenue defenderet.

in 2. epist. ad Cor. n. 12. Christum dicit interrogatum, *quando venturum esset regnum ejus*, respondisse: *cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & masculum cum fœmina, neque mas, neque fœmina*. Quæ verba ex apocrypho Evangelio *secundum Ægyptios* deprompta esse discimus ex Clemente Alexandrino Lib. III. *Stromatum*. Et in eadem epistola n. 5. idem Clemens Roman. hæc habet, quæ in nostris Evangeliis non prostant: *ait enim Dominus; eritis sicuti agni in medio luporum. Respondens autem Petrus ei dicit: Si ergo lupi agnos discerpserint? Dixit Jesus Petro: ne timeant agni post mortem suam lupos &c.* Ac demum num. 8. refert hæc verba Christi, quæ ut conjectatur Grabius, ex Evangelio *secundum Ægyptios* hausta sunt: *Si parvum non servastis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis: qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est*. Tertio S. Ignatius in epist. ad Smyrnæos n. 3. scribit, Christum dixisse discipulis: *apprehendite, & palpate, & videte, quia non sum dæmonium incorporeum*. Hæc autem, observante S. Hieronymo *de Scrip. Eccl. in Paulum*, in Evangelio secundum Hebræos inveniuntur.

313. Neque vero, addit Freretus, ex quo veteres illi Patres nonnulla, imo plura allegent, quæ in nostris Evangeliis habentur, colligere licet, eos fuisse iisdem nostris Evangeliis usos; potuerunt quippe hæc ipsissima depromere ex aliis Evangeliis, quæ nos apocrypha reputamus. Imo iis, & non nostris eos usos fuisse aliquot, ex quo nonnulla addiderint, quæ in nostris desiderantur.

314. Resp. Nullatenus ex allatis exemplis concludi posse veteres Patres usos fuisse Evangeliis apocryphis. Potuerunt enim ea, quæ referunt, & non habentur in nostris Evangeliis, traditione, quæ tunc recens, & admodum vivida erat, certo cognoscere; quemadmodum S. Paulus in *Act. Apost. XX.* 35. hæc Christi verba affert: *beatius est dare quam accipere*, quæ nonnisi ex Apostolorum traditione acceperat, cum nullibi scripta legantur. Neque interest ea, quæ a primis illis Patribus afferuntur, reipsa in quibusdam notis Evangeliis legi; non enim omnia in iis contenta falsa sunt, sed plurima vel ex nostris Evangeliis, vel ex hominum traditione in iis fuere inserta.

315. Præterea nonnumquam Sancti Patres verba Evangeliorum allegabant, non κατὰ λέξιν *litteraliter*, sed potius quantum ad sensum, & aliquando cum adjecta paraphrasi (*a*). Exempla habemus etiam in Patribus Justino posterioribus, & qui tunc scripserunt, quando sola quatuor nostra Evangelia pro genuinis habebantur. Sic S. Jacobus Nissenus Sæc. IV. (pag. 34. edit. Rom. 1756.) hæc verba Christi allegat: *væ illis, qui se efficiunt miseros: vos autem nolite vos efficere miseros*. Manifestum est autem, eum respexisse ad verba Christi *Matth. VI.* 16. *Cum jejunatis, nolite fieri, sicuti hypocritæ tristes &c.* Et rursus pag. 80. *verba parata sunt fieri bona, & beatus erit, per cujus manus venerint; malum quoque paratum est fieri; & væ illi, per cujus manus venerit*. Ubi iterum digitum intendit ad illud Christi Domini, *væ mundo a scandalis*. *Matth.* XVIII. 7. (*b*).

316. Demum etsi daremus, aliqua Evangelia, aut scripta apocrypha fuisse a nonnullis Patribus innocenter deceptis lecta, & pro authenticis allegata, nihil tamen inde veritati nostrorum Evangeliorum demeretur; quandoquidem, ut supra monuimus num. 310. nostra Evangelia authentica esse dicimus ex eo, quod non in una, alterave Ecclesia, sed in omnibus; aut saltem in Apostolicis, aliisque insignioribus publice recepta essent. Quod de aliis apocryphis dici non potest.

317. Quanquam, si rem bene perpendamus, plerumque Sancti Patres Evangeliis illis apocryphis usi sunt, non quasi ea pro genuinis, & Canonicis venerarentur; sed quia antiquæ traditionis testimonium reddere poterant. Sic Origenes *Tract.* VIII. in Matth. *Scriptum est*, inquit, *in Evangelio quodam, quod dicitur secundum Hebræos* (*si tamen placet alicui suscipere illud, non ad auctoritatem, sed ad manifestationem propositæ quæstionis*) &c. Atque hoc sensu S. Hieronymus sæpe Evangelium *secundum Hebræos* allegavit, quod etiam ex hebraico in latinum sermonem vertit.

318. Dices. Mirabile tamen est apud laudatos veteres Patres, Barnabam, Clementem, Ignatium, Polycarpum &c. nunquam occurrere nomina Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: quæ certe non omisissent, si eorum Evangeliis fuissent usi: hæc enim nomina majorem ipsis auctoritatem conciliassent.

319. Resp. Primo in more apud Sanctos Patres positum fuisse, ut Scripturas sive veteris, sive novi testamenti sæpius allegarent sine nomine auctorum, quod infinitis pene eorum testimoniis facile esset ostendere.

320. Deinde parum, aut prorsus nihil nobis obest, a Patribus illis primis Apostolicis non fuisse nomina Evangelistarum expressa, cum certum sit ab iisdem fuisse eorum Evangelia lecta, & sæpius allegata, tanquam verbum divinum. Et quidem utraque epistola S. Clementis ad Corinthios plena est testimoniis trium Evangeliorum Matthæi, Marci, & Lucæ: nam Evangelium S. Joannis nondum in lucem prodierat; plena est etiam testimo-

(*a*) Vid. Menardus in not. ad c. I. *vers. lat. vet. Inter.*

(*b*) Etiam Sanct. Leo in Epistol. 19. cap. 1. hæc Christi verba laudat, quæ modo in Libris sacris non leguntur: *vos autem quæritis de pusillo crescere, & de majore minores esse*. Sed observantibus Balleriniis in nota 10. ea olim legebantur in Evangelio Sanct. Matthæi cap. XX. post vers. 18.

moniis erutis ex epistolis S. Pauli, quod Cotelerius ostendit. Plurima quatuor Evangeliorum loca inveniuntur in epistolis sanctorum Barnabæ, Ignatii, & Polycarpi. Justinus in *Apologia* I. n. 67. consuetum fuisse testatur, in Ecclesiis scripta Apostolorum legi. Et denique Tertullianus *de præscript. adv. Her.* cap. 36. *ipsas authenticas* Apostolorum *litteras* in Ecclesiis Apostolicis fuisse suo tempore recitatas, asserit.

321. Addo, si argumentum Fréreti quidquam valeret, valeret etiam contra Evangelia apocrypha, quibus eos Patres usos fuisse nobis persuadere vult; quemadmodum enim non nominant Evangelia Matthæi, Marci &c.; ita nec nominant alia *secundum Hebræos*, *secundum Ægyptios*, *secundum Thomam*, *vel XII. Apostolos*, *&c.*

322. Obj. 3. Evangelium Matthæi longo tempore post ipsius Matthæi mortem fuisse scriptum, multis argumentis evincitur. Primo ex cap. XXIII. 35. ubi dicitur Zacharias filius Barachiæ occisus inter templum, & altare; hunc enim in obsidione Jerusalem, quæ post mortem Apostolorum contigit, a Zelotis occisum fuisse Josephus narrat Lib. IV. *de bello Judaico* cap. 5. Præterea in eodem Evangelio cap. XVIII. 17. hæc verba leguntur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus:* at vero cum *Ecclesia* vox græca sit, probabiliter id scriptum videtur ab aliquo Hellenista, non a Matthæo, qui hebraice scripsisse dicitur. Est insuper parum verisimile, Matthæum, qui publicanus ipse fuerat, voluisse hoc genus hominum ethnicis æquiparare (*a*). Demum cum in hoc Evangelio sicut etiam in aliis vetus Testamentum, ex græca versione τῶν LXX. adhibeatur, indicium id est, ea non fuisse ab Apostolis, vel ab aliis, qui græce non callebant, sed potius ab Hellenistis elucubrata.

323. Resp. Primam difficultatem non leve negotium facere sacris interpretibus, qui ad eam tollendam diversas ineunt vias. Quidam post S. Hieronymum (in *Comment.* ad hunc loc. Matth.) putant legendum esse Zachariam *filium Jojadæ*, quem populus jubente Joas rege in atrio templi lapidibus interemit, ut legitur 2. *Paralip. XXIV.* 21. Quomodo autem iste Zacharias fuerit appellatus *filius Barachiæ*, alius nodus est, quem non uno modo solvunt. Primo dicunt, Jojadæ patrem fuisse Achiam, adeoque potuisse appellari vel *Jojadum*, vel *Barachiam*, seu *filium Achiæ* (nam vox בר *bar* hebraice significat *filium*). Ita Simon Petrus dictus est *Bar-Jona* filius Jonæ, Nathanael *Bar-tholomeus*, Elymas magus *Bar-Jesu* &c. Secundo hanc nominis immutationem fortasse vitio alicujus exscriptoris contigisse; nam S. Hieronymus testatur, in Evangelio, quo utebantur Nazaræi, fuisse scriptum *filium Jojadæ*. Tertio addunt alii, a S. Matthæo non fuisse positum, nisi nomen Zachariæ, ab aliquo autem imperito additum *filium Barachiæ*.

324. Alii vero contendunt, Christum prophetice cædem illam prænunciasse, quæ post annos circiter 34. contingere debebat. Neque vero obest, inquiunt, tempus præteritum, quo Christus utitur dicens: *occidistis*; nam in prophetiis recte usurpari potest tempus præsens, aut etiam præteritum ad demonstrandam eventus certitudinem. Sic Isaias clamabat: *puer natus est nobis*, prædicens Jesu Christi ortum: cujusmodi exempla afferri possunt bene multa. Nec iterum obest, hunc Zachariam a Josepho non dici Christianum, qualis certe esse debebat, cum a Christo Domino laudetur; potuit enim Josephus id ignorare (*b*).

325. Duæ aliæ objectiones facilius expediuntur, observando, linguam græcam fuisse temporibus Apostolorum apud Judæos notissimam, magnumque usum versionis græcæ LXX. Interpr. Eamdem Christus, & Apostoli sæpius allegarunt; ut in concordia vet. Test. cum Evangelio gentilibus, quibus potissimum annunciandum erat, facilius appareret (*c*).

326. Levissima autem est conjectura ex eo ducta, quod Matthæus non debuerit publicanos, ex quorum genere ipse fuerat, ethnicis æquiparare; in eo enim sita est æquiparatio, ut quemadmodum cum Ethnicis, ita cum publicis peccatoribus, cujusmodi censebantur tunc temporis publicani, commercium vitari deberet.

327. Corollarium 1. Evangelia, aliaque scripta sub ementito Apostolorum nomine vulgata non solum Incredulorum causæ non prosunt, sed re bene perpensa etiam obsunt. Primo enim iis ipsis sanioris critices regulis, quibus libri nothi rejiciuntur, genuini confirmantur. Secundo, licet libri apocryphi plurima falsa, & etiam veritati doctrinæ Christi adversa contineant, omnes tamen, vel fere omnes mire consentiunt in asserendis iis miraculis, quibus Christus divinam suam missionem, & supernam revelationem confirmavit; quod unum

(*a*) Ita Bolingbroekius *dans l'examen important &c.*

(*b*) Hanc postremam sententiam adoptarunt P. Calmet in hunc locum, Tillemontius Tomo I. *Hist. des Emper.* articul. 54., Sam. Basnagius in *Annal.* Tom. I. ad an. V. ante Dominum n. 75., Grotius, Hammondus, Lud. de Dieu, alii. Prima tamen responsio mihi solidior videtur.

(*c*) Videri potest erudita *exercitatio de Christo græce loquente* Dom. Diodati Neap. 1767. ubi etiam in appendice §. I. communem, & veterem opinionem, quod S. Matthæus Chaldaice, seu potius lingua Syro-Chaldaica Evangelium scripserit, evertere nisus est. Et quamquam hæc exercitatio fuerit a multis fortiter oppugnata, dubitari tamen non potest, linguam græcam tempore J. C. fuisse inter Hebræos admodum usitatam. Contra Diodatum legi meretur vir clarissimus Jo. Bern. de Rossi in Universitate Parmensi lingu. orient. Professor in duabus Dissertat. *De lingua propria Christi, & Hebræorum Palestinæ post tempora Machabæa* Parmæ 1772. in 8.

unum in præsentiarum est contra Incredulos controversiæ caput.

328. Corollarium 2. Ex hactenus dictis manifeste sequitur, non solum nostra Evangelia, aliaque Canonica scripta, non fuisse ab aliquo tenebrione conficta, sed neque fuisse in rebus majoris momenti interpolata. Ut enim ratiocinabatur S. Augustinus Lib. XXXII. *contra Faustum* cap. 16. Tom. VIII. *quisquis hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur: maxime quia non una lingua, sed multis eadem scriptura continetur*. Aliud est de quibusdam levioribus mendis, aut variationibus, quæ facile potuerunt aut non deprehendi, aut dissimulari.

329. Coroll. 3. Hinc etiam patet prorsus esse exsibilandum, quod Victor Tununensis habet in *Chronico*, videlicet: *Messala viro Clariss. Cons. Constantinopoli, jubente Anastasio Imperat. sanctissima Evangelia, tanquam ab idiotis Evangelistis composita reprehenduntur, & emendantur* (*a*). Certe hujus enormis facinoris nulla apud aliquem alium gravem auctorem invenitur mentio, si unum Isidorum Hispalensem excipiamus, qui in *Chronico* Victorem exscribens inquit: *Anastasius Acephalorum errorem vindicans Episcopos Chalcedonensis Synodi defensores exilio damnat: Evangelia quoque, tanquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehendit, & emendat*. At vero cum Scriptores orthodoxi multa hujus Imperatoris Eutychianis patribus addicti crimina patefecerint; non prætermisissent profecto eum tam horrendi facinoris accusare, quo ipsa religionis Christianæ fundamenta evellere tentasset.

330. Accedit, non eam esse Victoris Tununensis auctoritatem, ut aliis silentibus in re tam gravi fidem a nobis extorquere possit. Ac demum, etiamsi demus, Anastasium id efficere voluisse, certum est tamen id non effecisse, imo nec efficere potuisse; neque enim poterat omnes codices, qui toto orbe Christiano dispersi erant, prorsus e medio tollere (*b*).

### *MONITUM DISCIPULIS PERNECESSARIUM.*

331. Opportunum duximus, tota hac in dissertatione multos recentiorum impiorum libros propriis eorum titulis nominare; tum eruditionis gratia, ne scilicet juvenes nostri eos a quibusdam sciolis indebita cum laude memorari audientes, insolita Scriptorum nomina mirentur, eorumque auctoritate moveantur; *ut sciamus, qualia sint, in quibus magnifici isti cor exaltant suum* (Sanct. Ambrosius Libro I. in Lucam): tum vero maxime ut ab iis tanquam a venenosis præcavere possint.

332. Et quidem diversi generis hominibus eorum lectio admodum periculosa esse solet. Periculosa est primo iis, qui politioribus quidem litteris exculti sunt, sed profundiora Theologiæ arcana non penetrarunt, nec Religionis fundamenta ita callent, ut possint cum ejus hostibus justo marte decertare. Cum enim isti confinia inter ea dogmata, quæ sine piaculo negari non possunt, & hominum opiniones ignorent, facile contingit, ut a callidis adversariis extra viam abripiantur; eoque facilius, quod plerumque increduli nihil minus velle se simulant, quam Religionem evertere; sed eam duntaxat ab anilibus superstitionibus expurgare se profitentur.

333. Ulterius qui sunt sæcularibus litteris dediti, plurimum solent rationi deferre, auctoritati parum. Hinc iterum facile seducuntur ab incredulis, qui ea præcipue de causa mysteriis bellum indicunt, quod ea non possint a suæ rationis decempeda metiri.

334. Demum in certaminibus theologicis nullo modo exercitati satis luminis non habent, ut possint acuta impiorum sophismata detegere, & eludere, etiam quando vident, Religionis fundamenta iis aperte convelli.

335. Id plane nostris pseudo-philosophis compertum est, adeoque suos Libros eo idiomate, eoque stylo evulgare student, ut etiam a rudibus, imo vel ab ipsis fœminis legi commode possint. Quamobrem auctor sum, ut nemo in theologicis rebus non apprime instructus memoratos contra Religionem libros pervolvere audeat. Dictum est olim sapienter a Quintiliano: *Felices artes, si soli de iis artifices judicarent*: quanto magis id esset in rebus ad Religionem pertinentibus observandum, ubi errare nedum turpe, sed admodum noxium est?

336. Sed & aliud est hominum genus, quibus horum librorum lectio maxime perniciosa esse solet,

(*a*) Hæc Victoris verba post Jac. Basnagium in *Hist. Eccl.* Lib. VIII. cap. 2. §. 8. retulit Jo. Millius in *Prolegomenis* ad N. T. Iis autem abusus est Ant. Collinsius in impio suo libro *de libertate cogitandi* sect. 2. ut nostra Evangelia tanquam corrupta rejicienda esse, ostenderet. Collinsium confutarunt Wesselingius in peculiari Dissert. Trajecti ad Rhenum 1738. & Bentleyus in opere inscripto *La fripponerie laique* pag. 168. & seq.

(*b*) Laud. supra Joan. Millius satis probabile putat, *sophistas, aliosque dicendi magistros, quibus haud parum fastidita forte erat Evangelici styli barbaries, apud Imperatorem egisse, ut Evangeliorum historiam de novo conficiendam, & sermone puriore græco exprimendam curaret, levemque, & impium Principem eorum male sanis consiliis eo usque fuisse obsecutum, ut serio cogitaret de hac Evangeliorum reformatione, seu etiam forte opus ipsum inchoaret. Verum*, subdit, *hujusmodi Evangelia nulla unquam in publicum prodiisse, tam certum est, quam quod certissimum. Ipsum nomen sane novorum Evangeliorum dici haud potest, quantas per universum orientem executurum fuisset tragœdias, quam graves tumultus, nec fortasse sine Imperatoris ipsius cæde sopiendos.*

let, adeoque non tantum jure ecclesiastico, & divino positivo, sed & jure ipso naturæ interdicta. Ii nimirum sunt, qui in fide minime stabiles, fortesque se esse cognoscunt, quique cupiditatibus suis abstracti, & illecti, Religionem non admodum cordi habent, quorum denique interesset ea falsa esse quæ fides docet. *Facile credunt miseri, quod optant:* hinc ad conscientiæ remorsus pacandos, libenter iis argumentis conquiescunt, quibus præcipua Religionis nostræ dogmata, eorum passionibus contraria impugnantur. Multam in controversiis præjudicia vim habent; nulla autem majora sunt præjudicia, quam quæ a passionibus nostris excitantur. Hinc nec quæcumque rerum theologicarum scientia a periculo deceptionis nos immunes aliquando facit; cum nempe passionum halitus mentem obnubilant, & voluntatem corrumpunt.

337. His, aliisque de causis non solum ecclesiastica, sed etiam sæculari potestate impiorum librorum lectio interdici semper consuevit. Præsto sunt vel ex ipsa historia profana antiquissima exempla. Scimus enim Protagoræ libros fuisse olim Atheniensium judicio flammis addictos. Plura etiam Romanæ reipublicæ memorantur decreta contra libros, qui patriam Religionem offendebant. Constantinus Imperat. Arii *Thaliam* cremari jussit, pœna mortis iis comminata, qui impium eum librum occultare præsumerent. Idemque Porphyrii libros comburi curaverat (apud Socratem Libro I. *Hist. Ecclesiast.* cap. 3.) Theodosius junior, ac Valentinianus Augusti scripta Nestorii, aliorumque hæreticorum, ac denique Marcianus Eutychianorum opera cremari jusserunt, ut in P. IV. Synodi Ephesinæ refertur.

338. Majori autem cura, ut par erat, Ecclesiæ Pastores in id semper incubuerunt, ut venenatis pascuis suas oves interdicerent. Et quanquam ea, quæ nunc viget in Ecclesia Romana circa librorum censuram, disciplina recentior sit, a Pio IV., Sancto Pio V., & Clemente VIII. constituta, a Benedicto autem XIV. nova methodo confirmata (vid. ejusd. Pontif. Constitutio *Sollicita* VII. Id. Jul. 1753.) usus tamen perniciosos libros prohibendi in Ecclesia antiquissimus est, imo Apostolis coævus; ut enim legitur Actor. XIX. vers. 19. *Multi eorum, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.*

339. Post Apostolos autem eamdem curam eripiendi libros perniciosos e manibus fidelium semper adhibuerunt Romani Pontifices, ut pluribus exemplis manifestum fieri potest, præcipue autem Gelasii, cujus decretum de libris apocryphis, & caute legendis invenitur in Collect. Labbeana Concilior. Tomo IV., & Gregorii Magni, qui codicis cujusdam lectionem omnibus interdictam esse voluit Lib. VI. Epist. 66.; ad quem locum scite adnotarunt doctissimi editores Benedictini, *agnoscendam esse in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, & consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiæ alumni, Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioquin subditi* (a).

(a) Adi .... sis P. Antonium Valsecchium L. III. *Dei fondamenti della Religione* P. III. c. 3. & ... Theoph. Raynaudum in *Erotemate de malis, ac bonis libris*, Bellarminum *de locis theol.* Lib. III. cap. 20, Getserum *de jure, & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos, & noxios* adv. Franc. Junium Ingolstad 1603. in 4., ejusdemque orationem *de vitanda librorum moribus noxiorum lectione* Tom. XIII. Opp., Jacobi Boileau *δοκίμασιν sive disquisitionem historicam de librorum circa res theologicas approbatione*, Claudium Espencæum in Tract. *de suspectorum librorum lectione* inter ejus opera Parisiis evulgata pag. 618.; Franc. Anton. Zachariam *Storia polemica delle proibizioni de' libri* Romæ 1777., *Recueil des Actes, & memoires du Clergé de France* Tom. I. Tit. IV. *De l'impression, & approbation des livres concernant la Religion.* Extat item præclara Estii oratio *de fugienda lectione librorum Hæretic.* in fine ejusdem Comment. in Sacr. Script. Leges denique saluberrimas in hac materia ab Imperatoribus Carolo VI., & Francisco I., tum etiam ab immortalis nominis Augusta Maria Theresia latas memorat Paulus Joseph. Riegger in suis *Instit. Jurisprudentiæ Eccles.* ann. 1765. Part. I. pag. 143.

SE-

# SECUNDA PARS

## DE FUNDAMENTIS RELIGIONIS CATHOLICO-ROMANAE CONTRA HETERODOXOS.

1. Multiplices incredulorum difficultates contra religionem revelatam hactenus Deo opitulante enodavimus. Unam tamen huic loco reservare opportunum duximus, quia ejus solutio nobis quasi januam aperit ad veram Christi religionem, quam Ecclesia Romano-Catholica profitetur, a falsis Heterodoxorum sectis discernendam.

2. Ita autem objiciunt Christianæ religionis hostes: insignis doctrinæ a Deo revelatæ character esse debet perspicuitas, ut nempe verus, germanusque ejus sensus a quolibet etiam facile percipi queat; doctrina enim ita obscura, ambigua, & æquivoca, ut in quamcumque partem detorqueri possit, certe a Deo revelata non est. At vero in doctrina Christiana, quam cœlestem, & divinam prædicamus, hujusmodi perspicuitatis character non apparet, cum videamus, e prima ipsius origine usque ad hæc nostra tempora, de vero ejusdem sensu lites semper fuisse, & adhuc esse plane immortales: non ergo doctrina potest esse a Deo revelata. Ita Increduli.

3. Sed nihil Catholicis facilius, & nihil, ut puto, difficilius Acatholicis, quam hanc objectionem expedire. Dicimus nos, doctrinam Christi in sacris litteris, atque Apostolicis traditionibus contentam, non semper perspicuam esse posse, cum propter mysteriorum sublimitatem, tum propter alias causas, quas sine perpetuo miraculo Deus impedire non potuisset: Deum tamen huic obscuritati tollendæ nobis facile, ac tutissimum medium suppeditasse, nempe vivum magisterium Ecclesiæ, cui Christus Dominus totius revelationis depositum, & custodiam tradidit, & cui perpetuo se præsto futurum promisit usque ad consummationem sæculi. Ab ea igitur facile est cuicumque fideli etiam rudi, verum, germanumque divinæ revelationis sensum sine ullo erroris periculo addiscere. En itaque insignem illum, quem Increduli jure, meritoque exposcunt, divinæ revelationis characterem, scilicet doctrinæ revelatæ perspicuitatem.

4. Quomodo autem possint Heterodoxi huic ipsi objectioni Incredulorum plene satisfacere, ego equidem non video. Habent illi, quemadmodum & nos, divinam revelationem in sacris litteris utriusque testamenti contentam. Sed primo Apostolicas traditiones rejiciunt, quæ a patribus in filios usque ad nos derivatæ, nobis luculenter patefaciunt doctrinæ ab Apostolis prædicatæ legitimum sensum. Hinc magno se ipsos privant ad veram ejusdem revelationis intelligentiam consequendam adjumento.

5. Deinde dum supremum, & infallibile Ecclesiæ magisterium audire recusant, & unusquisque proprio suo fallibili judicio innititur, necesse omnino est, ut in varias, sibique repugnantes sententias distrahantur, ut nihil plane habeant certi, & determinati, quo tuto pedem figere queant. Hinc illæ obscuritates, æquivocationes, ac perpetuæ controversiæ in divina revelatione, de quibus Increduli merito conqueruntur. In sola igitur Ecclesia nostra verus ille divinæ revelationis character habetur (a). Sed id obiter modo. Aliis enim argumentis operosius demonstrare aggredimur, in sola Ecclesia Romano-catholica Religionis a Christo institutæ vera fundamenta perpetuo fuisse conservata, & adhuc conservari.

6. Ut vero id meliori, quo potest, ordine disponatur, totam hanc secundam partem bifariam dividemus, & primo methodum Heterodoxorum refutabimus in controversiis definiendis, quæ de vera Divinæ revelationis intelligentia exoriuntur; post autem methodum Ecclesiæ Catholicæ omni argumentorum genere confirmabimus. Operæ tamen pretium erit, in antecessum disserere de divinis, & Apostolicis traditionibus, ostendendo supernam revelationem a Deo hominibus factam non in solis utriusque fœderis libris comprehendi, sed etiam orali traditioni fuisse commendatam, ejusque ope in Ecclesia perpetuo conservari. Sit itaque

### DISSERTATIO I.

*In qua demonstratur contra Heterodoxos, Divinam revelationem non solum in sacris litteris, sed etiam in divinis traditionibus contineri.*

Haud exigui momenti, ut prima fronte aliquibus videri potest, ista controversia est; perma-

(a) Hoc argumentum eleganter juxta, ac solidissime pertractat Pater La-Berthonye O. P. in sua XII. *Inst. theologica contra incredulos* Dom. II. *Des Oeuvres pour la defense de la Religion* à Paris 1777. Legi etiam merentur, quæ auctor *de l'histoire de la vie, & des oeuvres de la Mothe-Fenelon* in 2. Amstelod. 1717. de se ipso narrat p. 104. & seq., recte concludens, *aut Deistam esse oportere, aut Catholico-Romanum.*

magni enim interest, quibus fontibus Divina revelatio contineatur, & per quos canales ad nos usque dimanaverit, determinare. Danda est igitur opera, ut hæc materia copiose, atque accurate, ut par est, pertractetur (*a*).

## CAPUT I.

*Quid sit traditio, & quotuplex, & quinam ejus hostes?*

7. Traditionis nomen, si generatim accipiatur, doctrinam significat ab uno alteri traditam sive voce, sive scripto: unde Sanctus Paulus 2. Thessal. II. 15. *Tenete*, inquit, *traditiones*, *quas didicistis*, *sive per sermonem*, *sive per epistolam nostram*.

8. Hic tamen traditionis nomen sumitur pressius pro eo, *quod a Deo revelatum est*, *sed a nullo auctore canonico litteris mandatum* (Franc. Veronius in *Regula fidei* append. §. 4.): seu pro doctrina a Christo, ejusque discipulis viva voce tantum communicata, quamvis postea ab aliis fuerit etiam litteris consignata.

9. Duplex est autem traditionis partitio, altera ratione materiæ, seu objecti, altera ratione principii. Nam ratione materiæ alia est traditio dogmatum fidei, alia præceptorum, quæ mores spectant, & alia demum eorum, quæ ad Ecclesiæ disciplinam pertinent. Quæ divisio satis ex se clara explicatione non indiget.

10. Ratione vero principii dividuntur traditiones in *divinas*, & *ecclesiasticas*. Divinæ iterum distinguuntur in eas, quæ a Christo Domino *immediate* suam originem ducunt, & in eas, quas non a Christo, sed ab Apostolis accepit Ecclesia. Inter primas recensetur traditio Sacramentorum, quæ Christus ipse instituit, atque Apostolis traditione reliquit. Istæ traditiones vocari communiter solent peculiari quadam ratione *Divinæ*, vel etiam *Dominicæ*. Exemplum aliarum traditionum, quæ dicuntur *Apostolicæ*, suppeditat traditio librorum Canonicorum N. T., quæ a Christo Domino *immediate* repeti non potest; diu enim post ejus ascensionem in cœlum hi libri conscripti fuerunt. Sunt tamen & istæ traditiones *Divinæ*, quia ab Apostolis suggerente Spiritu Sancto nobis relictæ sunt; quamvis majoris distinctionis gratia soleant appellari *Apostolicæ*: & hæc distinctio a Patribus etiam Concilii Tridentini Sess. IV. facta fuit (vid. infra num. 13.). Ambæ istæ traditiones constituunt Verbum Dei non scriptum.

11. Aliæ denique sunt *ecclesiasticæ*, quæ nempe præcepta quædam continent, ab Ecclesia sequentibus temporibus imposita; cujusmodi sunt observantia quarumdam festivitatum, abstinentia certis diebus a carnibus, vel etiam a lacticiniis, &c. De his traditionibus ecclesiasticis, nulla nobis in præsentiarum est controversia; quamobrem nec minutiores earum divisiones persequi volumus.

12. Sed tota controversia est de solis traditionibus divinis, & apostolicis, quæ ad fidem, moresque pertinent. Est autem hæc controversia cum Luthero, Calvino, aliisque, qui ante duo sæcula luctuoso schismate ab Ecclesia Catholica desciverunt. Contendunt nempe, totam, quanta est, divinam revelationem in solis litteris contineri, quas proinde unicam fidei nostræ regulam esse volunt (*b*).

13. Contra vero Catholici una cum sacrosancta Trident. Synodo Sess. IV. profitentur veritatem, & disciplinam, quam Dominus noster Jesus Christus Dei filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos prædicari jussit, contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, *quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ*, *ab istis Apostolis Spiritu Sancto dictante*, *quasi per manus traditæ ad nos usque perve*ne-

(*a*) Narrat Sozomenus Lib. VII. *Hist. Ecclesiast.* c. 1. Theodosium Imper. ad finiendas controversias de Trinitate, quæ eo tempore Ecclesiam turbabant, consilio Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani, proposuisse variarum Sectarum principibus, ut ex veterum Doctorum, atque Sacræ Scripturæ Interpretum doctrina, hoc est antiqua Patrum traditione, omnia definirentur; Sectarios vero id detrectasse. Ex qua historia apparet, & veterum Catholicorum morem fuisse, in rebus fidei traditionem consulere, & hæreticorum vitium eamdem respuere.

(*b*) Calvinistæ tamen, qui in Anglia *Episcopales* dicuntur, quia Ecclesiasticam hierarchiam contra *Presbyterianos* vel *Puritanos* conservarunt, apostolicas traditiones nobiscum admittunt, ut videri potest in *præfat.* ad epistolas Jo. Launoii Cantabrigiæ 1699. in fol. tum apud Guill. Beveregium in *præf. ad Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ*. Celebris etiam Molanus Abbas de Lockum Lutheranus non admodum difficilem se in recipiendis traditionibus ostendebat apud Bossuetum Tom. I. *Œuvres posthumes* edit. Amstel. 1353. in 4. p. 70. & seq. ita enim ajebat in suis *privatis cogitationibus de methodo reunionis Ecclesiæ Protestantium cum Ecclesia Romana catholica. De traditionibus, sive verbo Dei non scripto .... res compositu facilis, si dicamus statum controversiæ inter nos* (Protestantes) *& Catholicos non esse, an dentur traditiones, sed an per traditionem acceperit Ecclesia novum aliquem fidei articulum, ad salutem creditu sub æternæ beatitudinis jactura necessarium, in scripturæ neque totidem verbis, neque per bonam consequentiam extantem. Posterius negant Protestantes, non prius: ex quibus moderatiores admittunt, non solum ipsam Sacram Scripturam nos traditioni debere, sed in articulis fundamentalibus genuinum, & orthodoxum Scripturæ sensum, ut multa alia ... ex traditione magis cognoscibilia taceamus &c.* Illi autem ita respondet Bossuetus p. 224. *Si Protestantes consentiunt, scripturæ sensum, aliaque permulta traditione dumtaxat esse cognoscibilia, vix ulla superest difficultas.* Sed & Leibnitius apud eumdem Bossuetum p. 446. ultro fatebatur, *plures* ex Protestantibus non inficiari, aliquas revelationes ad nos pervenisse apostolica traditione.

nerunt. Atque ad earum veritatem magis firmandam, anathema dictum est ei, *qui sciens, & prudens illas contempserit* (a). Quod Ecclesiæ Catholicæ decretum demonstrabit sequens.

## CAPUT II.

*Præter verbum Dei scriptum admittendum est etiam verbum Dei ore traditum; atque hoc necessarium est tum ad orthodoxum Sacræ Scripturæ sensum determinandum, tum etiam ad quædam fidei, morumque dogmata, quæ in sacris litteris non continentur.*

14. Et primo observare juvabit, omnia Religionis nostræ dogmata fuisse a Christo Domino oretenus tradita, non autem scripto consignata. Imo hæc ipsa dogmata ab Apostolis primo oretenus fuerant prædicata, & ab Ecclesia diu sine scripturis illibate conservata. S. Lucas in principio sui Evangelii se ea scribere testatur, quæ illi tradita fuerunt ab iis, qui ab initio illa viderant. Certum pariter est, non omnes Apostolos ea litteris consignasse, quæ populis prædicarunt. Ac demum non omnia Evangelia, aliaque novi testamenti scripta uno, eodemque tempore prodiisse; unde apparet ipso Ecclesiæ nascentis exordio divinarum traditionum usus, easque esse Scriptura Sacra antiquiores.

15. Sed ulterius non omnia ab Apostolis fuisse scripta, verum aliqua solum ore tradita, aperte indicat S. Paulus 2. *ad Thessal.* II. 15. inquiens, *itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quem locum, licet nullo glossemate indigere videatur, ita tamen majoris claritatis gratia commentatur S. Jo. Chrysostomus ( Hom. IV. Tom. XI. pag. 532. ): *Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt* ( Apostoli ) *per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil amplius quære.* Eademque fere habet S. Basilius Lib. *de Spiritu Sancto* c. 29.

16. Quibus testimoniis exploditur commentitia illa quorumdam explicatio, qui contendunt, Apostolum loqui non de dogmatibus fidei, sed de rebus ad externam Ecclesiæ politiam spectantibus; vel Apostoli locutionem non esse accipiendam in *sensu disjunctivo*, sed *copulativo*, quasi diceret: *quæ didicistis tam per epistolam, quam per sermonem*, quia eamdem doctrinam, quo altius fidelium animis imprimeretur, & scripto, & verbis exposuerat. Utraque hæc explicatio & Apostolicæ sententiæ manifestam vim facit, & a Sanctis Joann. Chrysostomo, & Basilio aperte excluditur.

17. Nec minus frivola est aliorum responsio, qui dicunt, ea, quæ ab Apostolo Paulo fuerant Thessalonicensibus sermone tradita, fuisse postea ab aliis auctoribus scripto consignata. Frivola est, inquam, hujusmodi responsio, tum quia omni fundamento caret; tum quia temere supponit, Apostolos quasi ex condicto inter se convenisse, ut quæ unus solum viva voce tradiderat, alter litteris exararet; tum demum quia aliqua fidei dogmata a nullo prorsus sacro auctore fuisse conscripta, inferius allatis exemplis manifeste declarabitur.

18. Similis, & adhuc clarior est alter ejusdem Apostoli locus 2. *ad Timoth.* I. 13. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi.* Quæ verba sic iterum commentatur S. Jo. Chrysostomus inquiens: *non modo per litteras, sed etiam verbis Discipulo quæ essent agenda, dictavit.* Tom. XI. p. 672.

19. Probat. secundo eadem prima pars nonnullis Sanctorum Patrum testimoniis: omnia enim afferre nimis longum esset, & parum utile contra eos, qui traditiones rejicientes etiam parvi faciunt veterum Patrum auctoritatem. Et quidem sufficere deberet S. Ignatius Martyr, qui S. Petro Apostolo post Sanct. Evodium in Cathedra Antiochena successit. Hic, referente Eusebio ( Lib. III. *Histor. Eccles.* cap. 36. ) primos Christianos hortabatur, *ut Apostolorum traditionibus* (b) *tenacius inhærerent, quas quidem* ( subdit Eusebius ) *ad certiorem posteritatis notitiam testi-*

(a) Quia Concilium minime determinavit, quænam sint illæ traditiones, quas Apostoli vel ab ore Christi Domini, vel ab interna Spiritus Sancti inspiratione acceperunt, male infert auctor *Juris publ. Eccl. Cathol. ad Statum Germaniæ* pag. 16. & seq. edit. 1746. anathema ab eodem Concilio ei dictum, *qui traditiones sciens, & prudens contempserit*, esse fulmen *vagum*, quo Protestantes minime feriuntur, cum isti non negent *jus*, nempe admittendas esse tales traditiones, *si extent*, sed solum *factum*, seu tales traditiones existere. Male inquam; ex toto enim illo capite constat, Concilii Trid. mentem fuisse contra Protestantes definire ipsum *factum*, nempe divinas, & apostolicas traditiones existere, licet quænam illæ sint, eo loco determinare noluerit, quod postea præstitit, ubi statuendi dogma, quod in sacris litteris, aut nullatenus, aut saltem non perspicue continebatur, occasio se obtulit; ut Sess. VI. *de Sacramentis*, Sess. XXV. *de Purgatorio*, ac *de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus &c.* Et si Ecclesiæ fulmen declinare possent in hac re Protestantes, illud etiam declinare possent in ceteris omnibus suis erroribus dicendo, paratos se esse ad omnia dogmata recipienda, quæ fuerunt a Christo suæ Ecclesiæ revelata, solum *factum* se negare, scilicet hoc, vel illud dogma fuisse revelatum.

(b) Frigide cavillatur Th. Ittigius in *Histor. Eccles. Sect.* I. cap. 3. in eo, quod Eusebius dicat in numero singulari παράδοσις, maleque verterit Hebr. Valesius in plurali *traditionibus*. Sed quidquid sit, satis liquet, sermonem ibi esse de Apostolorum doctrina, non scripta, sed ore tradita.

*monio suo confirmatas scriptis mandare necessarium dixit*.

20. S. Epiphanius *Hær.* LXI. *Sed & traditione quoque*, ait, *opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt*.

21. Eusebius denique, (ut plures alios nunc omittamus, quorum inferius testimonia opportunius asserentur) de Apostolis loquens Lib. I. *Demonstr. Evangel.* cap. 8. *ad imbecillitatem*, inquit, *multorum se demittentes partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt*.

22. Prob. secunda pars, nempe traditiones esse necessarias ad orthodoxum Sacræ Scripturæ sensum determinandum, de qua tamen plerique adversariorum nobis consentiunt (*a*). Sæpius enim contingit, sive innata quorumdam Scripturæ locorum obscuritate, sive hominum præjudiciis, & perversitate, ut de vero, ac genuino ejusdem Scripturæ sensu controversiæ excitentur. Ad eas autem finiendas nihil aptius esse potest, quam antiqua fidelium traditio: ea enim facile innotescit, quomodo a primis Apostolorum temporibus illa Scripturæ loca fuerint intellecta: eamque esse legitimam ejus interpretationem certo certius colligimus, quæ constanti, & universali majorum traditione semper in Ecclesia viguit.

23. Hanc rationem ita olim proponebat Vincentius Lirinensis in suo *Commonitorio* I. c. 2. *Quis Scripturam Sacram*, inquit, *pro ipsa sua altitudine non uno, eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eumonius; Macedonius, aliter Photinius, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Cælestinus, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ, & apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici, & catholici sensus normam dirigatur* &c. Dignus est locus, qui quamvis prolixus, totus legatur.

24. Idem antea scripserat Eusebius Cæsariensis contra Marcellum Ancyranum cap. 1.; loquens enim de catholicis dogmatibus; *hæc*, inquiebat, *præterquamquod sunt divinis litteris consignata, sunt etiam adhuc majorem in modum confirmata per traditionem Catholicæ Ecclesiæ Dei a finibus ad fines terræ, quæ ex non scripta traditione sacrarum Scripturarum testimonia confirmat, & obsignat*.

25. Plura in hanc rem adducere non est necesse; nam per se clarâ est, & nemo ignorat, verbum Dei fuisse ab Apostolis prædicatum, Ecclesiis traditum, & fusius, ac sæpius fidelibus explicatum, prius quam sacris litteris consignaretur; quo fit omnia omnino sanctæ nostræ religionis dogmata, traditione contineantur, nullumque in verbo Dei scripto reperiri possit, quod etiam traditione non sit propagatum; traditio ergo in subsidium vocata optima erit Sacræ Scripturæ interpres. Unde ipsa experientia constat, in controversiis de dogmatibus fidei, & morum plus esse virium in traditionibus quam in Scripturis, utpote quia traditionum ope facilius verum, & legitimum Scripturarum sensum assequimur.

26. Probat. denique tertia pars, scilicet necessarias esse divinas, atque apostolicas traditiones propter aliqua religionis dogmata, quorum nulla, vel saltem non expressa invenitur in sacris paginis mentio. Certe vel ipsi Calvinistæ, & Lutherani eosdem *fere* ac nos novi Testamenti libros, ut *canonicos*, & divinitus inspiratos agnoscunt, & venerantur. Quod quidem dogma aliorum fundamentum est: sacris enim & canonicis libris sublatis omnem apud ipsos religionem corruere necesse est. At vero totam sacram Scripturam a capite ad calcem evolvant, nobisque ostendant, ubinam divinorum istorum codicum Canon inveniatur, ut propterea concludi possit, etiam capitalem hunc fidei articulum una cum ceteris omnibus scriptum esse. Sane, ut Eusebius Cæsar. Lib. VI. *Histor. Eccles.* Cap. 25., & alibi observat, nonnisi ex traditione Ecclesiarum potuit sacrorum librorum Canon efformari.

27. Mirum est, quantum torqueantur adversarii, ut ab hoc validissimo argumento se expediant. Primo eorum aliqui dicunt, librorum *Canonicitatem* non esse in fidei articulis numerandam (*b*). Secundum divinorum librorum αὐθεντίαν non esse probandam, quia hoc est Religionis nostræ principium; nulla autem scientia sua principia probat (*c*). Tertio Scripturas Sacras ex qualitatibus quibusdam, quæ ipsis natales sunt, satis dignosci, quin ad traditionem confugere indigeamus (*d*).

28. Verum hujusmodi responsionibus causæ suæ infirmitatem Adversarii produnt. Primo enim quid absurdius dici potest, quam Canonem sacrorum librorum ad fidem non pertinere, cum plane totius fidei fundamentum sit? quasi vero eadem prorsus ratione credi sufficiat, hos libros canonicos

(*a*) Vid. Sam. Basnagius Diss. IX. *de Tradit.* n. 8. & 9. Tom. I. *Annalium Politico ecclesiasticorum*.

(*b*) Molinæus in *Clypeo fidei* Sect. 4.

(*c*) Basnagius Diss. IX. n. 12. Tom. I. *Annal. Eccl.*

(*d*) Ita idem Basnagius n. 13., tum duo ministri Calviniani Jo. Claudius, & Petrus Jurius, atque ante istos Calvinus ipse Lib. I. *Institut.* c. 7. contendens, Scripturam non obscuriorem veritatis suæ sensum præferre, quam coloris sui res albas, vel nigras, & saporis suaves, & amaras.

eos esse a sacris scriptoribus divino afflante Spiritu elucubratos, qua credimus, Iliadem, aut Æneidem ad eos auctores pertinere, quorum nomina præseferunt; & non potius divina, supernaturalique fide certum esse omnibus debeat, iisdem divinam revelationem, divinamque auctoritatem contineri (a).

29. Ad hæc cum Adversarii nullam aliam fidei nostræ regulam agnoscant, nisi divinos libros, undenam fidei dogmata haurire, aut probare poterunt, si aliquis eos libros esse genuinos, & authenticos, impune, & citra fidei jacturam negare possit?

30. Alterum vero merum sophisma est: nam principia alicujus scientiæ non probantur, quando vel per se perspicua sunt, vel ab alia scientia sunt demonstrata; at vero de librorum canonicorum authentia, & inspiratione & multa jam exorta sunt dubia, & alia exoriri possunt, ad quæ tollenda nulla alia est via, quam traditio, qua sola eorumdem γνησιότης constet.

31. Ad tertium. Non negamus quidem esse sacris libris quasi impressa divinæ inspirationis vestigia, quibus ab aliis discernantur; sed id non ita luculenter, & certo constat, ut possimus eos, qui idipsum inficiantur, ad incitas redigere, nisi in subsidium advocetur traditio, quemadmodum etiam priscis temporibus factum est. Et sane quis non miretur, ad hanc responsionem confugere Basnagium, cum ibidem (num. 21.) veritate adactus dicat, non omnibus libris canonicis olim debitam venerationem fuisse adhibitam, *propter obscuriores divinitatis notas?* (b).

32. Præter Canonem scripturarum multa sunt alia, quæ Protestantes nobiscum credunt, in sacris autem litteris aut nullatenus, aut saltem aperte non continentur. Hujusmodi sunt perpetua Deiparæ Virginitas contra Helvidium, substitutio Dominicæ in locum Sabbati; licitum esse esum sanguinis, ac suffocati non obstante Apostolico interdicto; ac potissimum valere baptismum collatum ab Hæreticis, malisque hominibus, ac valere quoque eumdem baptismum collatum pueris ante usum rationis, & per solam aquæ infusionem.

33. Et quantum ad hunc baptismi valorem, merito Nicolius (Tom. II. *des œuvres de controv.* ch. 17.) urgebat Protestantes, eos, rejectis traditionibus, nullo modo esse de suo baptismo securos. Nam primo omnes in infantia baptizati sunt; at vero Anabaptistæ, qui pædobaptismum respuunt, nunquam potuerunt expressis, atque apertis Scripturarum testimoniis convinci (c). Præt. Omnes pariter baptizati sunt per aquæ effusionem, & non per immersionem; cum tamen verbum βαπτίζω denotet immersionem; nec ullibi legatur in sacris litteris posse indifferenter *infusionem* adhiberi, aut *immersionem*, & solum hoc constet ex usu, & traditione Ecclesiæ. Tertio. Quomodo ex solis sacris litteris probabunt adversarii, baptismum ab Hæreticis collatum esse validum (d)? Primi autem ipsorum Patres Lutherus, Zuinglius, Calvinus, alii fuerant baptizati in Ecclesia Catholica, quam multarum hæreseon ream esse volunt. Et cum multo minus ex sacris litteris constet, validum esse baptisma a non baptizato collatum, nemo baptizatus ab illis primis invalide baptizatis poterit esse de suo baptismate tutus (e). Ad hæc, cum aliqui eorum credant, baptismum a laicis valide conferri non posse, multo magis sequitur, primos pseudo-reformatores, qui a nostris Sacerdotibus baptizati erant, non fuisse valide baptizatos, cum nostros Sacerdotes, & Episcopos appellent *pseudo-Episcopos, & Sacrificulos*.



(a) Id quidem imprudenter excidit etiam Henr. Holdeno *de resolutione Fidei* Lib. I. capit. 4. pag. 43. edit. Paris. in 8. ann. 1767. imo & alia nonnulla hic auctor adjecit, quibus Scripturæ sacræ dignitatem deprimere visus est, ut traditionis non scriptæ auctoritatem extolleret; de quibus merito reprehensus est ab Argentræo ibid. pag. 453. & seq.

(b) Nec refutari meretur singularis Franc. Turrettini responsio, qui in *Institut. Theol. Elenctice* Loco II. quæst. 16. Scripturæ traditionem a traditione aliorum dogmatum secerni vult, quia illa est *formalis*, & *activa*, & hujusmodi traditiones admitti posse concedit; aliæ autem sunt *passivæ*, & *materiales*; & has explodendas esse vult. Ut enim taceamus de hac inaudita, & parum intelligibili distinctione, facile est demonstratu, eodem modo credi ut dogma fidei quatuor Evangelia esse verbum Dei, ac credantur cetera dogmata, ut proinde si primum creditur ex sola traditione, æquum sit, quædam alia similiter credi.

(c) Pædobaptismum ex antiqua traditione Ecclesiæ potissimum repetit S. Augustinus L. IV. *de baptismo* cap. 24. utens illa regula: *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* Tom. IX. Imo inter adversarios non pauci pædobaptismum aut solum, aut potissimum ex traditione repetunt, ut Jo. Lightfootus in *Horis Hebr.* ad Matth. III. 6. & Sam. Basnagius in *Annalibus politico-Ecclesiasticis* ad annum Christi 29.

(d) Idem S. Augustinus eodem opere *de baptismo* Lib. V. cap. 23. de valore baptismi Hæreticorum loquens, *Apostoli, inquit, nihil quidem exinde præceperunt. Sed miraculo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

(e) Iterum Sanct. Pater in Libro II. *contra epist. Parmeniani* cap. 13. *Alia quæstio est*, inquit, *utrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismum dari, nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Hanc quæstionem rursus movet Lib. VII. *de baptism.* cap. 53., & respondet: *nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt.* Quamvis postea baptismum a non baptizato rite collatum sibi validum videri affirmet.

34. Neque vero respondeant Adversarii, hæc, & similia dogmata contineri in sacris litteris; non quidem totidem syllabis, & expressis verbis; sed *sensu*, atque *analogia*, quam Apostolus *Roman.* XII. 6. indigitat dicens, *sive prophetiam secundum rationem* (græce ἀναλογίαν *fidei*.) (*a*).

35. Non inquam; sæpius enim provocati, ut nobis ostendant, quomodo implicite dogmata superius memorata in sacris litteris contineantur, nihil nisi inania verba dare potuere; sicuti plerumque inane est verbum istud *analogia*, qua ex Scriptura eruere se omnia dogmata profitentur; unusquisque enim in suis placitis statuendis *analogiam fidei* sectari se credit; & ita hæc fidei analogia ad dogmata omnino contraria pertrahitur. Et ulterius, si etiam concederetur, ea in sacris litteris implicite, & subobscure contineri, adhuc tamen necessaria esset traditio, & contra Hæreticos luculenter demonstraretur.

36. Probatur ulterius traditionum usus ex Conciliis, quæ solis Scripturis minime contenta, etiam veterem, constantemque Ecclesiæ traditionem consulendam esse, semper censuerunt. Concilium Nicænum vocem ὁμοούσιον quanquam in Scripturis minime reperiatur, quia tamen a veteribus Ecclesiæ Patribus usurpata fuerat, ad hæresim Arianam condemnandam adhibuit; cui voci etiam Eusebius Cæsariensis consensit, postquam ea nonnullos ex antiquis, disertos, & illustres Episcopos, & Scriptores usos esse cognovit (*b*). Synodus V. in fine definivisse se asserit, *quæ tradita sunt, tam a divinis Scripturis, quam a Ss. Patrum doctrina*: ostendens fidei nostræ dogmata in Scriptura contineri, & Traditione. Synodus VII. in fidei definitione ad Iconomachos damnandos potissimum traditiones adhibuit, ac conclusit: *si quis Ecclesiæ traditiones sive scripto, sive consuetudine valentes non curaverit, anathema*. Synodus vero VIII. Act. X. Can. 1. *Sanctiones*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ per traditionem.... acceptas, servandas, custodiendasque profitemur*. Et facile esset, per omnes Synodos œcumenicas discurrendo, eamdem Ecclesiæ praxim semper ostendere: unde mirum non est, si etiam Tridentina Sess. IV. *Orthodoxorum Patrum exempla secuta, traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentia suscipere, ac venerari* se professa est (*c*).

37. Denique etiam Græcos schismaticos Ecclesiæ Romanæ in traditionibus suscipiendis consentire multis eorum testimoniis allatis ab Arnaldo, & Nicolio perspicue ostensum fuit. ( *Perpétuité de la Foi de l'Église Catholique* T. III. L. VIII. c. 17.

38. Imo si seposito Patrum studio suos ipsos libros polemicos adversarii considerare vellent, in quibus nostrorum dogmatum veritatem adversus Socinianos, aliosque Hæreticos vindicant, se a traditionibus nullatenus abstinere posse videbunt (*d*).

39. Objic. primo. Sacræ litteræ omnem traditionem ἄγραφον non scriptam aperte condemnant. Nam *Deuter.* IV. 2. præcepit Deus, *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor: nec auferetis ex eo*. Simile quid legitur *Apoc.* XXII. 17. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* ( vid. etiam *Deuteron.* XII. 32. & *Proverb.* XXX. 5. & 6. ). Accedit & illud Sanct. Pauli *ad Gal. I.* 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Ac demum Christus Dominus *Matth.* XV. 3. & 6. Pharisæos, quod traditiones sectarentur, acriter objurgat. Vid. etiam Marci VIII. 3. & 7.

40. Resp. Traditiones divino-apostolicas nulla ratione appellari posse additamentum verbo Dei; nihil enim aliud sunt, quam ipsissimum verbum Dei, seu divina revelatio non scripta. Et quemadmodum locis Scripturæ supra laudatis non prohibentur alii canonici libri posterius Deo inspirante exarati, ita nec prohibentur traditiones, quæ ab eodem Spiritu Dei originem trahentes ad nos usque propagatæ sunt; & tota prohibitio eo præcepto sæpius repetita solum falsas, profanasque doctrinas submovet, non eas, quæ verbo Dei sive scripto, sive tradito continentur. Id vidit etiam Grotius, qui ingenue fatetur, nihil inde contra traditiones erui posse ( in *Comment.* ad cit. loc. *Deuter.* ).

41. Sed si rem diligentius considerabimus, non solum hoc præceptum traditionibus non opponitur, sed eas potius confirmant; nedum enim prohibetur additio, verum etiam subtractio verbo Dei: *Nec auferetis ex eo:* auferunt autem, & divinum verbum imminuunt, qui traditiones explodunt (*e*).

42. Christus etiam Pharisæos merito objurgabat, quod falsas, & commentitias traditiones contra mandata Dei sectarentur. Clara sunt hæc Chri-

sti

(*a*) Phil. Marnixius ita respondet epistol. I. inter Epistolas *protestantium virorum* Amstelod. 1084.

(*b*) Vid. Theodoretus *Hist. Eccles.* L. I. c. 8.

(*c*) Jo. Launojo in sua epist. 14. ad Ludov. Maresium incredibili diligentia, & labore per omnia concilia discurrens, continuum traditionis usum erudite ostendit.

(*d*) Id variis exemplis probat Bacchinius *Lettere polemiche* Lett. 2. §. 29. & 30.

(*e*) Etiam apud Judæos veras, & divinas viguisse traditiones a pluribus demonstratum fuit contra Karaitas omnium traditionum ospres. Et quidem ut omittam apocryphum Lib. IV. Esdræ, qui cap. 14. refert, Deum aliqua revelasse Moysi, ut ea palam faceret; a-

sti verba laud. loco *Matth. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Quanquam qualis esset hæc falsa Pharisæorum traditio, non ita facile dictu est; locus enim est obscurus (*a*). Quomodo autem potuisset Christus legitimum traditionum usum reprehendere, cum ipse cœlestem suam doctrinam non scripto, sed orali traditioni totam commendaret?

43. Instat Basnagius: Si Pharisæi, ex quibus *in Cathedra Moysis sedentibus Ecclesia Judaica constabat*, commentitias, & damnabiles traditiones habebant, quidni & Ecclesia Romana eodem modo in traditionibus recipiendis falli poterit? Præstat itaque omnes traditiones a Religione procul ablegare.

44. Respond. Mirum est, non vidisse Basnagium, ex solis Pharisæis minime Ecclesiam Judaicam fuisse conflatam; erant enim Pharisæi una ex tribus Judæorum sectis (vid. Joseph *Antiquit. Judaic.* Lib. XIII. cap. 5.), ut proinde Pharisæorum errores immerito toti Judæorum Ecclesiæ tribuantur. Unde etiam Christus propriam eorum traditionem nuncupavit, *propter traditionem vestram*. Quænam autem consecutio est, si tota erravit in falsis traditionibus suscipiendis Pharisæorum secta, etiam Ecclesiam Catholicam errare posse? Anne putat Basnagius, nihil plus a Christo fuisse Ecclesiæ sponsæ suæ tributum, quam Pharisæi in veteri Synagoga habuerint? Ulterius, cum Christus alibi jusserit, ea omnia esse servanda, & facienda, quæ Scribæ, & Pharisæi super cathedram Moysis sedentes dixerint Matth. XXIII. 2. 3. videtur, has falsas traditiones fuisse ab eis privato sermone evulgatas, non autem ex cathedra prolatas (*b*).

45. Inst. 2. S. Paulus 2. *Tim.* III. 16. *Omnis scriptura*, inquit, *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus:* nullis itaque opus est traditionibus *ἀγράφοις non scriptis*, Præt. quanquam multa a Christo vel facta, vel dicta sunt, præter ea, quæ scripta habemus, admonet nos tamen S. Joannes cap. XX. 30. & seq. ea, quæ scripta sunt, ad salutem sufficere. *Multa quidem*, inquit, *& alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est filius Dei; & ut credentes vitam habeatis æternam;* sufficiunt ergo Scripturæ &c.

46. Resp. ad primum. Si ulla esset hujus argumenti vis, cum Apostolus non loquatur, nisi de Scripturis Veter. Testam. quas nempe Timotheus *ab infantia* didicerat, sequeretur, solum Vetus Testamentum ad salutem sufficere, quod nec adversarii nostri contendunt. Apostolus itaque non dicit, Scripturam *sufficere*, sed *utilem esse;* sufficiet autem, si illi etiam Libri novi Testamenti, & sacræ traditiones adjungantur, quas in hac ipsa epistola Timotheo suo maximopere inculcat, inquiens II: 2., *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Imo in eodem ipsissimo loco Paulus verbum Dei traditum a scripto aperte distinguit, & utrumque ad plenam dogmatum nostrorum fidem necessarium esse, ostendit. Primo enim dicit: *Tu vero permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris*. Hæc ad traditionem ἄγραφον referenda sunt; & postea sequitur: *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu*. Verbum igitur Dei tam scriptum, quam ore traditum Apostolus commendabat Timotheo, ut perfectus esset, ad omne opus bonum instructus.

47. Joannis autem verba intelligenda sunt de miraculis Christi, quæ utique sufficiebant ad ejus divinitatem comprobandam; quanquam enim multo plura fecerat, ea tamen scripsisse satis erat; non autem de doctrina, quasi ea solum, quam S. Joannes in suo Evangelio scripserat, ad salutem sufficeret.

48. Inst. 3. Si Scriptores sacri aliqua omisissent dogmata ad salutem necessaria, imperfecta forent eorum volumina, quod blasphemum est dicere. Rursus, vel hoc factum fuisset eorum incuria, vel ex divino consilio. Primum sine injuria veterum Patrum, quod ea litteris consignare ausi fuerint, quæ Domino prohibente Apostoli non scripserant, addit Basnagius (n. 36.): cum multa in N. Testamento legantur, ex quibus ad salutem nil emolumenti redit, quis credat, fuisse postea alia gravissima omissa, ut mancum, mutilumque esset nostræ fidei objectum in Evangelio contentum?

49. Resp. ad 1. Sacrorum Scriptorum libros perfectos esse, quia ea omnia continent, quæ scripto tradi debebant; non autem quasi nihil omnino ad fidem, moresque pertinens fuerit ab eis prætermissum. Certe Adversarii negare non possunt, aliqua esse ab uno Evangelista scripta, quæ

lia vero, quæ absconderet: David in Psalmo LXXXVII. traditiones aperte insinuat, dicens, *quanta mandavit patribus nostris, nota ea facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera*. S. Hilarius in Psalm. II. *Moyses*, inquit, *quamvis veteris testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis regis secretiora mysteria ... intimaverat*. Idem testatur Origenes Hom. V. in *Num.* Plurima autem harum veterum traditionum exempla suppeditat Jo. Ligthfootus in *Horis Hebraicis*, & potissimum traditionem pædobaptismi in proselytis; unde infert, etiam in novo testamento infantibus rite administrari contra Anabaptistas. Quod idem observavit Sam. Basnagius ad ann. Christi 29. imo & Lutherus in opere *contra Anabaptistas*.

(*a*) Vide Calmet, & auctores ab eo citatos in *Comment.* tum Menochium, & Estium.

(*b*) Confer Melch. Canum Lib. V. *de locis theol.* cap. 3. concl. 3.

quæ fuerunt ab aliis omissa; anne propterea erunt aliorum Evangelia imperfecta?

50. Ad 2. Sine dubio tenendum est, utique divino consilio, & inspiratione factum esse, ut plurima ad fidem, moresque spectantia scriberentur, alia vero nonnisi viva voce traderentur: divinorum autem consiliorum rationes nemo certo cognoscere præsumat. Sed id fortasse factum est, ut fideles Pastorum vocibus facilius aures accommodarent, cum intelligerent, & genuinum Scripturæ sensum, & nonnulla dogmata iis fuisse commendata, quæ fidelibus deinde traderent, juxta præceptum Apostoli Timotheo datum: *quæ a me audisti* (a).

51. Nec propterea accusandi sunt Sancti Patres, & veteres ecclesiastici scriptores, si ea scriptis consignarunt, quæ Apostoli sola voce tradiderant; nam consilium divinum non erat, ut hæc a nullo prorsus scriberentur, sed solum ne scriberentur a sacris auctoribus, ut proinde non essent pars verbi Dei scripti, sed solum traditi. Vid. testimonium S. Ignatii relatum sup. n. 19.

52. Quæ postremo loco addit Basnagius, levissimæ conjecturæ sunt, ex divinorum consiliorum ignoratione ductæ. Quid ille diceret, si quis pari temeritate, ac ille usus, sciscitaretur ab ipso; eccur minuta quædam, quæ fidei nihil conferre videntur, adeo perspicue, & distincte exarata sint; quædam vero fidei dogmata subobscure, & implicite (nam id negare non possunt vel ipsi traditionum hostes), ita ut de iis lites vigeant immortales? Adoranda sunt, non perscrutanda divina consilia. *Cedat curiositas fidei*, inquit Tertullianus (*de præscript. Heretic.* capit. 14.). Non omnia voce tradita, certum est: quare id Deus voluerit, ignotum.

53. Obj. 2. Sanctus Irenæus omnes traditiones excludit. Nam Lib. III. cap. 1. inquit: *Non per alios dispositionem salutis cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc prædicaverunt, postea vero Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.* Unde sic colligitur: Irenæus, ait, omnia scripto mandata esse, quæ Apostoli prædicarunt; atqui Apostoli nihil de necessariis ad salutem in suis prædicationibus omiserunt: ergo &c. Ulterius eodem Lib. c. 2. Hæreticos reprehendit quod *in scripturis inveniri non posse veritatem assererent ab his, qui nesciunt traditionem*, quod id ipsum est, quod nos dicimus. Demum Lib. IV. cap. 34. *Legite*, inquit, *diligentius id, quod ab Apostolis est Evangelium vobis datum, & legite diligentius Prophetas, & invenietis universam actionem, & omnem passionem Domini nostri prædictam in ipsis:* supervacaneæ ergo sunt traditiones.

54. Resp. ad 1. Eorum verborum hunc esse sensum: non diversa, seu contraria fuisse ab Apostolis scripta, ac prædicata, sed eadem fuisse scripta, quæ prædicata. *Nec enim*, subdit immediate, *fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum;* quo loco Marcionitas perstringit, Evangelii corruptores, & mutilatores, qui docuisse videntur, diversa, & contraria fuisse ab Apostolis prædicata, & scripta (b). Non autem vult Irenæus ita omnia fuisse ab Apostolis scripto exarata, ut prorsus nihil aliud prædicaverint, ad nos orali traditione propagandum; hoc enim nedum alienum est ab ejusdem scopo, sed etiam ejus perpetuæ doctrinæ contrarium. Ex pluribus locis unus pro traditionibus asserendis sufficiat Lib. III. cap. 4. *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli, quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerunt omnia, quæ sunt veritatis..... Quid enim & si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oportet ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Ibidem etiam ostendit, multas esse nationes fideles, apud quas sola traditione sine sacris libris religio conservabatur (c).

55. In alio loco (Lib. III. cap. 2.) tantum abest, ut nobis sit contrarius Irenæus, quin potius mirifice favet. Hæreticos enim exagitat, *qui cum ex*

(a) Vid. sup. n. 46. & Melch. Canum L. III. *de loc. theol.* cap. 3. ubi multas hujus rei rationes affert. Sed & illud addendum videtur, a Christo Domino fuisse omnibus Apostolis solum præceptum, ut Evangelium prædicarent *Marci* XVI. 15.; quod omnes reipsa præstiterunt. Quidam autem etiam scripserunt, variis de causis ad id faciendum impulsi, ut exponit Eusebius Lib. III. *Hist. Eccles.* cap. 24.

(b) Vid. Tertullianus Lib. II. *contr. Marc.* & Epiphanius *Hær.* XLII.

(c) Plura vid. ap. Renatum Massuet Diss. III. prælim. art. 3. & Nicolaum le Nourry Dissert. IV. in Irenæum art. 5. Sed non erit abs re breviter adnotare, quæ S. Lugdunensis Episcopus, & Martyr de iis nationibus, quæ sine sacris litteris solam traditionem sequebantur, ibidem subdit: *Hanc fidem*, inquit, *qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conservationem propter fidem, perquam sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitia, & castitate, & sapientia: Quibus si aliquis annunciaverit, ea quæ ab hæreticis inventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longe longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt; quodcumque eorum portentiloquium est.*

*ex Scripturis arguuntur*, ad traditionem confugiunt, quasi *non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.... Quum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successores Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, qui adversantur traditioni;* quibus verbis cæcus est, qui non videat, a S. Irenæo, primisque Patribus consuevisse Hæreticis non minus traditiones, quam Scripturas objici. Neque hic locum habet subtilis illa heterodoxorum evasio, qui nomine traditionis intelligi volunt sacras litteras per manus fidelium in ecclesiis traditas; luce enim clarius apparet, hic traditiones Scripturis opponi.

56. Ultimum tam leve est, ut vix responsione sit dignum. Agit S. Pater contra Marcionitas, *aliosque illis similes, ab altero Deo dicentes esse prophetas*; quorum crassissimum errorem ut convincat, eos hortatur, ut Evangelium cum Prophetis diligenter conferant; & cum istis Christi actionem, doctrinam, & passionem prædictam invenerint, concludant, eumdem prorsus esse veteris, novæque legis auctorem.

57. Obj. tertio. Tertullianus Lib. *adv. Hermogen.* cap. 22. *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat, & facta... scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum*, ex quo loco dupliciter contra traditiones ita colligi potest. Primo manifestum est, Tertullianum postremis hisce verbis digitum intendere ad loca Scripturæ superius num. 39. allegata; ergo ea ita intelligenda sunt, ut vetitum sit quodcumque etiam minimum verbo Dei scripto additamentum. Secundo, nullum esset Tertulliani argumentum contra Hermogenem, si censuisset, alium esse præter Scripturam nostrorum dogmatum fontem. Præt. Idem Tertullianus Lib. *de Resurr. carnis* cap. 3. *Aufer*, inquit, *Hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt:* censet ergo ex solis Scripturis esse inter Christianos controversias fidei dirimendas. Et cap. 47. Hæreticos ad traditiones confugientes appellat *lucifugas Scripturarum*. Demum *non recipio*, inquit Apellem alloquens Lib. *de carne Christi* cap. 7. *quod extra Scripturam de tuo infers:* ergo &c.

58. Resp. Generaliter Tertullianum falsas hominum traditiones rejicere, non divinas, & apostolicas, quas sexcentis in locis commendat; sæpius enim ad confutandos Hæreticos non solum Scripturis, sed etiam traditionibus utitur; & inter alia celebris est illa regula, quam in aureo suo libro *de Præscriptione Hæreticorum* tradit (a), videlicet non esse ad *Scripturas provocandum, nec in iis constituendum certamen*, sed potius quærendum esse, quænam Ecclesiæ sint ab Apostolis fundatæ, vel Apostolicarum soboles, & ab eis desumendam esse *veritatem Scripturarum, & expositionum, & omnium Traditionum Christianarum* (Idem repetit etiam cap. 20. & seq. & Lib. IV. *contr. Marc.* cap. 5.). Et postea ita rem contra Hæreticos concludit: *In summa, si constat, id verius, quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*. His præmissis, haud difficile erit mentem Tertulliani explicare.

59. Et quidem primo in loco objecto arguit Hermogenis temeritatem, qui iis Scripturæ verbis, *In principio creavit Deus cælum, & terram*, aliquid addere ausus fuerat, ipsi Scripturæ, & orthodoxæ traditioni contrarium; scilicet creasse Deum cælum, & terram non ex nihilo, sed ex aliqua *subjacente materia*, quam nomine *principii* significari volebat. Propterea dicit Africanus Doctor: *Adoro Scripturæ plenitudinem*, idest, non recipio, quod illi Hermogenes de suo addidit. Postea subdit: *Si non est scriptum* (Hermogenis additamentum) *timeat væ illud adjicientibus destinatum*; hoc est non ex eo solum, quia non est scriptum, sed quia insuper nullum habet nedum in sacris litteris, sed neque in veris traditionibus fundamentum, imo est utrisque contrarium. Hoc autem Tertulliani argumentum, ideo falsum aliquid reputetur, quia in sacris litteris non invenitur scriptum, si generaliter sumatur, certe infirmum est, non autem in ea causa, quam Tertullianus cum Hermogene habebat. Is enim cælum, & terram ex subjacente materia creatam fuisse somniabat, quod nedum in scripturis non reperitur, sed & absurdum per se est, & sacris litteris, & veræ traditioni oppositum.

60. Quod vero alibi (*de Resurrect. carnis* cap. 5.) dixit: *Aufer hæreticis* &c. est intelligendum per exclusionem falsarum rationum, quibus hæretici quidam ex Philosophia carnis resurrectionem contra Scripturas impugnabant, non autem per exclusionem veræ, & divinæ traditionis, quæ numquam sacris litteris opponitur, unde subdit, cogendos esse Hæreticos, *ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant:* hoc est ablegandas esse rationes philosophicas, ubi de mysteriis agitur, quale est illud resurrectionis carnis, de quo ibidem disputabat; non autem vult, una cum falsis rationibus etiam veras traditiones esse eliminandas. Ideo autem Hæreticos appellat *lucifugas Scripturarum*, quia verum, & genuinum Scripturarum sensum, *ipsius solis radio scriptum*, ut ipse inquit corrumpebant.

61. Postremis verbis (*de carne Christi* cap. 7.) significat Tertullianus, se non recipere Apellis

(a) Qui teste Fleury *Hist. Eccles.* Lib. V. n. 28. inter utiliores Tertulliani libros recensetur.

lis explicationem, quia de ipsius ingenio contra Scripturas prodibat: contendebat enim hic Hæreticus, Christum veram carnem non habuisse, & propterea illa verba *Matth. XII. 47. Ecce mater tua, & fratres tui*, solum tentandi gratia Christo fuisse dicta, comminiscebatur.

62. Obj. quarto. Origenes *Hom. I.* in *Jeremiam* Tom. II. *Necesse est nobis*, inquit, *Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri, & enarrationes sine iis testibus non habent fidem*. Et Tract. XXIII. in Matth. n. 18. (Tomo III. p. 481.) *Debemus, ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus, in doctrinâ proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem proferimus, sensum*. Si itaque nihil affirmandum est sine Scripturarum testimonio, supervacaneæ sunt traditiones.

63. Resp. ad 1. Id ab Origene fuisse dictum non generaliter de omnibus fidei nostræ dogmatibus, sed singulariter de ea re, quam præ manibus habebat, scilicet de quibusdam veterum Prophetarum oraculis Servatori nostro accommodandis; in quo certe nulli usui Christianorum traditio esse poterat: sed quando actum est de aliis fidei dogmatibus, quorum vel nulla, vel non satis clara erat in sacris litteris mentio, ad traditionem, tanquam ad fidei regulam confugit. Sic de prædobaptismo in cap. VI. epist. ad Rom. Tom. IV. *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis accepit traditionem etiam parvulis baptismum dandi*. Quid clarius? Et apud Eusebium Libro VI. *Hist. Eccles.* cap. 25. *Sicut traditiones*, inquit, *accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia, quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur*.

64. Alio autem in loco non ea mens est Origenis, ut nonnisi Scripturas rejectis Traditionibus adhibere debeamus; sed ut ablegatis arbitrariis, & alienis interpretationibus, verus, & genuinus Scripturæ sensus teneatur; quare e vestigio subdit: *Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non est sanctificatum; sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus &c.* Ceterum *in Comment.* in Matthæum n. 45. (Tom. III. p. 864.) de Hæreticis loquens, *illis*, inquit, *credere non debemus, nec exire a prima, & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis*.

65. Obj. quinto. S. Cyprianus Stephano Rom. Pontifici traditionem allegauti de non rebaptizandis hæreticis, ita respondet epist. 74. *ad Pompejum: Unde est ista traditio? . . . . ea facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur ... Si ergo aut in Evangelio, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur, ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur . . . servetur divina hæc, & sancta traditio*. Nullam ergo aliam traditionem agnoscebat Cyprianus, quam quæ in Scripturis continetur.

66. Resp. S. Cyprianum suis præjudiciis abreptum, traditionem a S. Stephano allegatam de non iterando Hæreticorum baptismate repudiasse, tanquam apocrypham, & sacris litteris contrariam; unde Stephano illud adaptabat a Christo dictum Pharisæis *Marci* VII. 8.: *relinquentes mandatum Dei, tenetis traditionem hominum*, vel, ut ipse legebat, *rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis*. Illi insuper contrariam traditionem objiciebat, quam divinam, & apostolicam reputabat, & concludebat, eum *Sacramentum divinæ traditionis impugnare*. In quo S. Martyr vehementer quidem erravit, humanæ fragilitatis nobis relinquens exemplum, non tamen veras traditiones explosit (*a*). Id patet ex alia S. Martyris epistola 73. *ad Jubajanum*, ubi inquit: *Si rejectis humanæ contentionis erroribus ad Evangelicam auctoritatem atque ad Apostolicam traditionem sincera, ac religiosa fide revertamur, intelligemus &c.*

67. Firmilianus etiam (qui Sancto Cypriano consentiens, traditionem Ecclesiæ Romanæ de non rebaptizandis Hereticis respuebat) alibi veras traditiones, ut fidei, morumque regulam statuit, ita enim in sua epistola inquiebat: *Nos veritatem, & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritates opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a Christo, & ab Apostolis traditum est*. Ex quibus patet, utramque litigantium partem in veris traditionibus admittendis convenisse.

68. Obj. 6. S. Athanasius initio *Orationis contra gentes* (Tom. I. edit. Patav. 1777.). *Sanctæ*, inquit, *& divinæ Scripturæ satis sunt ad veritatem indicandam*: quod iterum repetit in epist. I. *ad Serapionem* num. 19. tum in Lib. I. *de Incarnatione Christi* contra Apollinaristas n. 6. (Tom. I. P. II. p. 739.), ubi Apollinaristas redarguens, *aut igitur*, inquit, *divinas negate Scripturas, aut si eas admittitis, ne præterea, quæ scripta sunt, alia proferre excogitetis insanabili fallacia verba*: Præterea in fragmento epist. XXXIX. *Festalis* (Tom. I. P. II. p. 777.) postquam libros canonicos utriusque Testamenti recensuit: *Hi sunt*, inquit, *salutis fontes, ut qui sitit, eorum eloquiis impleatur: in his solis pietatis doctrina docetur*. Gemina inveniuntur in Sy-

(*a*) Facilior esset hujus difficultatis solutio, si cum P. Raym. Missorio Ord. Minorit. in lib. cui titulus *In duas celeberrimas epistolas Ss. Firmiliani, & Cypriani &c. Disputationes criticæ &c.* dicere liceret, totam hanc Stephanum inter, & Cyprianum controversiam esse fictitiam. Sed vir non minus styli elegantia, quam doctrina eximius eruditorum hac in re suffragia obtinere non potuit. Vid. ejus Concellita P. Sbaralea in opere inscripto *Germana S. Cypriani &c. opinio de hæreticorum baptismo, &c.*

*Synopsi sacræ Scripturæ*; quod tamen opus, sit nec ne Sancti Athanasii, dubitatur.

69. Resp. Hæc, & alia hujus generis bene multa, quæ nedum ex S. Athanasio, sed etiam ex aliis Patribus afferri possunt, esse intelligenda non universaliter de omnibus nostræ Religionis dogmatibus, sed de iis solum, de quibus tunc agebatur cum Hæreticis, quæque satis clare, & evidenter ex solis Scripturis demonstrari poterant. Et quidem in *Orat. contra gentes* agit de Dei unitate, & vanitate idolorum, ad quæ demonstranda *sufficere* dixit *sacras, & inspiratas Scripturas*. In *epistola ad Serapionem* agit contra Arianos & Pneumatomachos, qui variis cavillationibus divinitatem Filii, & Spiritus S. in sacris litteris luculenter expressam evertere moliebantur; unde sophisticis ipsorum interrogationibus respondet, ut *ea tantum, quæ Scripturis continentur, satis habeant: siquidem omnino sufficiunt, quæ in hanc rem proferunt exempla*. Non autem ibi sacras traditiones excludit, quibus non semel S. Athanasius feliciter usus est ad Filii, & Spiritus Sancti tuendam divinitatem.

70. Contra Apollinarem vero certum est, sufficere Scripturas, ad ostendendam veram Christi carnem; quanquam Apollinaristarum errores etiam traditioni contrarios ibidem ostendit, subdens: *Dei Ecclesia non ita accepit, neque ita tradidit, &c.*

71. Demum in *epistola Festeli* solum libros canonicos, & genuinos falsis, & apocryphis Hæreticorum libris opponit, eosque *fontes esse* dicit *salutares*, &c. non traditionum, sed librorum apocryphorum exclusione.

72. Verum veras, divinasque traditiones nunquam fuisse a S. Athanasio rejectas, vel ex solo primo testimonio objecto luculenter colligi potest, si integrum, totumque reddatur. Ita enim pergit: *extent quoque plurimi ea de re libri a beatis nostris Magistris conscripti, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodammodo intelliget, & eam, quam expetit, cognitionem consequi poterit*. Et in vita S. Antonii n. 89. postremam hujus Sancti orationem ad Monachos refert, qua inter alia eos hortabatur, *ut servarent Patrum traditionem*.

73. Obj. 7. S. Basilius in *Asceticis* (a) cap. *de vera ac pia fide* ait, argumentum infidelitatis esse, aut eorum, *quæ scripta sunt, aliquid rejicere, aut eorum, quæ non scripta sunt, introducere*. Et epist. 80. *Stemus*, inquit, *arbitratui inspiratæ a Deo scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia*. Ac denique epist. 189. n. 3. *Sed criminando*, ait, *objiciunt, non sic suam habere consuetudinem, nec Scripturam assentiri. Quid igitur ad hoc quoque nos? Non putamus æquum esse, ut vigentem apud ipsos consuetudinem rectæ doctrinæ legem, & normam ducamus. Etenim si valet ad rectæ doctrinæ demonstrationem consuetudo, licet & nobis proferre, & usitatum apud nos morem opponere. Quod si hunc illi rejiciunt, neque nobis prorsus illos sequi necesse est. Itaque Scriptura divinitus inspirata nobis sit arbitra, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis verbis consona, ad eos accedat omnino veritatis suffragium* (b).

74. Resp. ad 1. S. Basilium per ea, *quæ scripta non sunt*, & quæ dicit *nefas esse introducere*, intelligere traditiones falsas, & Scripturæ contrarias; nam veras, & Apostolicas traditiones passim & ipse recipit, & Hæreticis objicit. Nam in Lib. *de Spiritu S.* cap. 27. *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex traditione Apostolorum, quæ utraque eadem ad pietatem vim habent*. Et cap. 29. Macedonianis objicientibus Spiritus S. divinitatem in Scripturis non inveniri, ita respondet: *Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere*.

75. Ad 2. Recte, sapienterque S. Doctor *standam esse arbitratui S. Scripturæ* dicebat in controversia tunc enata, an unam, vel tres divinas *hypostases* prædicari oporteret. Unam *hypostasim* prædicabant Latini, maxime suæ consuetudini innixi; cui Latinorum consuetudini contrariam consuetudinem Græcorum ipse opponebat; postea autem prætermissa utriusque partis consuetudine item hanc ex Scripturis definiendam esse censebat (c). Idem præstitit S. Basilius etiam in aliis casibus, in quibus Hæretici falsas suas traditiones veris, & Apostolicis objiciebant. Ne scilicet contentioni serram diutius reciprocaret, argumentum ex traditione desumptum aliquando prætermisit, quo tamen alibi, ubi opportuna se se offerebat occasio, efficaciter usus est (d).

76. Obj. 8. Quædam S. Cyrilli Jerosolym. loca (e) *Catech. IV. Divinorum*, inquit, *sanctorumque fidei Sacramentorum nihil ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi debet*. Et

Cath.

(a) Nonnulli ap. Sozomenum Lib. III. c. 14. hunc librum Eustachio Sebasteno tribuerunt.

(b) Basilio maxime triumphat Schultetus in *Medulla Theol.* P. IV.

(c) Quamquam tota hæc Latinorum, Græcorumque dissensio pura, putaque erat λογομαχία. *Res profecto ridicula, vel potius miseranda*, inquit S. Gregorius Nazianz. Orat. XXI. n. 35. Tom. I. p. 410. novæ edit. PP. Maurin. Paris. 1778. *diversa fidei speciem præbuit levis illa, & jejuna de vocum sono altercatio.*

(d) Vid. Præf. in Tom. III. Opp. S. Basilii §. 6. n. 3. & 4. ubi nonnulla alia S. Basilii loca explicantur.

(e) Quæ magno studio collegit Rivetus III. *Critici Sacri cap.* 9.

*Cath. XII. Nisi Prophetarum de singulis acceperis testimonia, ne credas assertionibus.* Alia plura sunt, sed generis ejusdem (*a*).

77. Resp. Sanctum Cyrillum velle solum, omnes simboli articulos, quos ibi explicandos susceperat, ex Scripturis esse confirmandos; non autem propterea censuit, traditiones non esse necessarias, sive ad verum, germanumque sacrarum Scripturarum sensum investigandum, sive ad quædam dogmata, quæ in Scripturis non inveniuntur, stabilienda. Annon fidei dogma, imo & fundamentum sunt libri sacri? Hos vero non aliunde, quam ab Ecclesia, quæ traditionis est custos, accipiendos esse vult. *Disce quoque*, ait *Catech. IV. studiose ab Ecclesia, quinam sint Vet. Test. libri, qui vero novi, neque mihi legas quidquam apocryphum.*

78. Obj. 9. Theophilus Alex. epist. I. ( alias II. ) *Paschalis. Diabolici*, inquit, *spiritus est, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum.*

79. Resp. Si id ex apocryphis traditionibus contra Scripturas eruatur, *conc.*, si ex vero traditionis fonte dimanet, *nego*. Agebat Theophilus eo loco contra Origenem, qui, ut Theophilus putabat, superbia intumescens absurda opinionum monstra contra Scripturas invexerat, *ignorans, quod dæmoniaci spiritus esset instinctus, sophismata humanarum mentium sequi, & aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum;* ex quibus verbis apparet, illam particulam *extra* Theophilo idem sonare, ac *contra*.

80. Obj. decimo. S. Hieronymus pluribus in locis traditiones explodit. Primo in *Ps. XXXVI.* ubi exponens illa verba: *Dominus narrabit in Scripturis populorum, & principum. Quomodo*, inquit, *narrabit? non verbo, sed scripto.* Secundo in cap. I. *Micheæ*, ubi ait: *Ecclesia Christi... non est egressa de finibus suis, idest de Scripturis sanctis, sed cæptam retinet possessionem.* Tertio in cap. I. *Aggæi*, inquiens: *Sed & alia, quæ absque auctoritate, & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica, sponte reperiuntur, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Quarto in cap. XXIII. *Matth.* his verbis: *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Demum in cap. I. *epist. ad Titum*, dicens: *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem.*

81. Resp. ad 1. Commentarium in Psalmos saniorum criticorum judicio S. Hieronymo abjudicari (*b*). Quanquam illius Commentatoris scopus non alius esse videtur, quam apocryphas, & S. Litteris contrarias traditiones rejicere. In aliis autem locis S. Doctor non veras, sed falsas Traditiones respuit.

82. Nam in cap. I. *Micheæ* Hæreticos reprehendit, qui futilibus, vanisque traditionibus innixi dogmata Scripturis contraria invehebant, quos propterea allegorice dicit, *non in Scripturis, sed in vicinia Scripturarum domum suam non risu, sed planctu dignam, & lacrymis construxisse.*

83. In cap. I. *Aggæi* Montanistas indigitat, qui vanas suas observantias falso apostolicæ traditionis prætextu communire satagebant; unde etiam dicit, *quasi traditione apostolica.*

84. In cap. XXIII. *Matt.* falsam nonnullorum traditionem irridet, qui ex quibusdam apocryphorum somniis Zachariam, qui occisus fuit inter templum, & altare, patrem Joannis esse comminiscebantur.

85. In postremo loco garrulos appellat Judæos, qui sine ullo Scripturarum fundamento, imo contra ipsas Scripturas, nascentem Dei Ecclesiam subvertere moliebantur.

86. At vero quanti Hieronymus fecerit traditiones, liquet ex ejus operibus, in quibus sæpius Hæreticis divinas, & apostolicas traditiones opponit; cum in *Dial. adv. Luciferianos* agens de manuum impositione cap. 4. inquit: *Exigis, ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Et cap. 8. Episcopos Afros, qui rebaptizabant, errorem deposuisse ait, Ecclesiæ traditionibus inhærendo. Ac demum contra Helvidium: *Numquid non possum*, inquit, *totam veterum Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Justinum Martyrem, multosque alios apostolicos, & eloquentes viros?* Et infinitus essem, si omnia loca, in quibus S. Doctor traditiones laudat, coacervare vellem.

87. Obj. undecimo ex S. Jo. Chrysostomo, qui in Ps. XCV. ita habet: *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat;* & Hom. XLIX. in Matt. *Nonnisi ad Scripturas divinas refugium esset*, ait, *volentium agnoscere fidei veritatem.* Demum Hom. XIII. in epistol. 2. ad Cor. Scripturam vocat *exactam rerum omnium lancem, normam, & amussim.*

88. Resp. Primo loco excludi a S. Jo. Chrysostomo futiles, & commentitias traditiones, non autem solidas, & in veritate fundatas, quod ex his

(*a*) Albertinus Lib. II. de *Eucharistia*, Rivetus Lib. III. *Crit. Sacri*, Crocus *Censur. Scriptor.* p. 228. Hottingerus in *Elencho scriptor. suppos.* Hulsemannus in *Patrologia* p. 1037. aliique Protestantes *Catecheseon* libros esse supposititios, aut variatos ostendere conati; sed frustra, ut videre est ap. Ceillier Tom. VI. *des auteurs Eccles.* p. 486. Joannem Grancolas in præfat. *Catecheseon* lingua gallica ab eodem edit. Natal. Alexandrum Sæc. IV. cap. 6. art. 12. aliosque.

(*b*) Vid. Ceillier Tomo X. *des Auteurs Eccles.* p. 309.

his verbis præcedentibus colligitur: *Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione*.

89. Quod autem secundo loco objectum est, restringi debet ad id, de quo ibi S. Joannes agebat, scilicet ad Antichristi tempora, de quibus nihil aliud scimus, quam quod Deus nobis in sacris Litteris revelare voluit: non autem id est generaliter ad omnia dogmata traducendum. Ceterum communis modo inter Criticos opinio est, opus imperfectum in S. Matth. falso S. Jo. Chrys. attribui.

90. In eo autem, quod postremo loco objectum est, adversariorum fides desideratur: non enim Scripturam, sed *divinarum legum sententiam* vocat *exactam rerum omnium lancem, ac normam, & amussim* (a). Sed de ejus mente vide, quæ superius dicta sunt n. 15. & 18.

91. Obj. 12. ex S. Augustino, qui Lib. II. *de Doctrin. Christ.* cap. 9. n. 14. *In iis*, inquit, *quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi:* supervacaneæ ergo sunt traditiones. Præt. Tract. XLIX. in Joan. *Electa sunt*, inquit, *quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur*. Demum Lib. II. *de peccat. mer., & remiss.* cap. 36. n. 59. *Ubi*, inquit, *de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio*. Quibus similia tradit in epist. 190. alias 157. ad Optatum cap. 5. inquiens: *ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperta Divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit*.

92. Resp. ad primum, Augustinum esse explicandum de iis præcipuis fidei, morumque præceptis, quæ ab unoquoque fideli sunt *explicite* credenda, vel facienda, non autem de omnibus omnino fidei, morumque capitibus: nonnulla enim esse vel credenda, vel facienda, quæ vel solum obscure, & *implicite*, vel nulla prorsus ratione continentur in sacris litteris, non ignoravit S. Pater, qui Lib. V. *de Bapt.* cap. 23. Tom. IX. ita scribit: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis bene præcepta creduntur, quanquam scripta non reperiantur*. Et epist. 164. al. 99. ad Evodium cap. 3. Tom. II. loquens de Adamo, quem fuisse a doloribus inferni liberatum a Christo, ita subdit: *quod cum non inaniter credidisse credendum est, undecumque illud traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas*. Non ergo putavit Sanctus Doctor, omnia pertinentia ad fidem, & ad mores esse scripta. Lib. autem II. *cont. Jul.* c. 10. Tomo X. catholicorum auctoritate Sanctorum peccati originalis propagationem probat: *Quod invenerunt in Ecclesia*, inquit, *tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*.

93. In secundo loco objecto agit de Christi miraculis, ex quibus ea scripta sunt, quæ ad nostram Religionem confirmandam plane sufficerent. Vide sup. n. 47.

94. Tertius, & quartus locus ad eas quæstiones referendus est, pro quibus definiendis nihil neque ex sacris litteris, neque ex traditione suppetit, cujusmodi esse putabat Augustinus quæstionem de origine animarum; de qua in utroque loco disputabat.

95. Inst. S. Augustinus Lib. XI. *cont. Faustum* cap. 5. de sanctorum Patrum operibus loquens, in quibus traditiones contineri dicuntur, *Liberum*, inquit, *ibi habet Lector, auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit*. Et consonat S. Thomas I. P. q. 1. art. 8. ad 1. dicens: *Sacra doctrina utitur auctoritate canonicæ scripturæ proprie ex necessitate argumentando; auctoritatibus vero aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter*.

96. Resp. Tam Augustinum, quam Angelicum intelligi debere de Patribus divisim acceptis, & inter se non consentientibus, non autem quando unanimi fere consensu, aperte, frequenter, constanter vel Scripturæ sensum exponunt, vel aliquod dogma fidei propugnant; tunc enim solum veram traditionem constituunt; ut cap. seq. latius ostendetur.

97. Obj. 13. Lactantius traditionum usum respuit: inquit enim Lib. II. *Div. Inst.* cap. 8. *Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur; sed hoc eos fallit, quod Majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia Minores vocantur, aut illi desipuerint, quia Majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum, ut quomodo illi, quæ falsa invenerant, posteris tradiderant; sic nos, qui verum invenimus, posteris meliora tradamus?*

98. Resp. Lactantium loqui de Gentilium Philosophorum erroribus, quos aliqui imprudentes, eorum auctoritate præoccupati sine ullo examine sequebantur; unde caput ita exorditur: *Oportet in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus niti ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam usu rationis expertem*.

Quæ

(a) Hæc sunt S. Patris verba: ϗ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἀπαρφων ἔχοντας, καὶ γνώμονα καὶ κανόνα, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν: *idque, cum exactam rerum omnium lancem, ac normam, & amussim habeamus, nempe divinarum rerum sententiam*. Tomo X. p. 537.

Quæ quidem recte dicta sunt a Lactantio Gentilibus, qui solam rationem ducem sequebantur: sed vel ipsis nostris Adversariis minime sufficere viderentur, quando de Religionis Christianæ mysteriis agitur, quæ certe non ex rationis penu, sed ex divino verbo depromi debent.

99. Obj. 14. Traditionum usus magnam præbet erroris occasionem; nihil enim familiarius errantibus, quam traditionem prætexere. Celebris est Eusebii locus de Papa (Lib. III. *Hist. Eccles.* cap. ult.). *Idem scriptor*, inquit, *alia nonnulla nudæ vocis traditione ad se pervenisse testatur*, *novas quasdam Servatoris parabolas*, *ac prædicationes*, *aliaque nonnulla fabulis propiora*. Ex hoc traditionis fonte Millenariorum prodigiosa figmenta fluxerunt. Marcion a S. Matthiæ discipulis se fuisse instructum gloriabatur (apud Clementem Alex. Lib. VI. *Stromatum*). Attamen contra Christi divinitatem traditionem allegabat, quam ab Apostolis usque ad Victorem R. Pont. viguisse dicebat (apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 27.) Polycrates cum Asiaticis Episcopis Quartodecimanis contra Victorem R. P. antiquam Apostolorum traditionem jactabat; similiterque Afri rebaptizantes contra Stephanum traditione potissimum se tuebantur; multisque aliis exemplis ostendi potest, traditiones esse *veluti Pandoræ pyxidem*, *cujus operculo omne genus corruptelarum*, *abusuum*, *& superstitionum in Ecclesia inventum fuit* (a).

100. Resp. primo, Hæreticos sæpius Scripturis, quam traditione fuisse abusos, dicente S. Augustino initio Tract. XVIII. in Joan. *Hæreses non aliunde venire*, *quam ex Scripturis male intellectis*: nec tamen adversarii inde concludunt, Scripturas esse eliminandas, imo potius debemus ita colligere: Hæretici in desperatæ suæ causæ patrocinium traditione simul, & Scripturis abutebantur; ergo ratum, firmumque erat apud omnes, traditiones non minus, quam sacras litteras esse fidei nostræ regulam, quamvis utrisque male abuterentur (b).

101. Resp. secundo, esse certas notas, quibus veræ, apostolicæ, & divinæ traditiones a falsis, & commentitiis secernantur; & illam in primis, quam sæpius Vincentius Lirinensis inculcat, ut id reputemus vere a Christo, & Apostolis descendere, *quod ubique*, *quod ab omnibus traditum est* .... *ut sequamur universitatem*, *antiquitatem*, *consensionem* (*Commonit.* I. c. 3.). Quæ traditiones hujusmodi characteribus insignitæ non sunt, aut pro apocryphis, aut saltem pro dubiis haberi debent, quod capite sequenti uberius declarabitur.

102. Inst. (cum Basnagio n. 26.) Tutius, & utilius sacra fidei, morumque dogmata litteris, quam hominum memoriæ commendata fuissent; nam *verba volant*, *sed scripta manent*. Hinc nullos ex profanis Legislatoribus traditioni suas leges commendasse legitur.

103. Resp. Id verum esse, si dumtaxat humanis adminiculis innitamur, quemadmodum profani Legislatores; non autem si præcipua nostra fiducia in divinæ providentiæ præsidio quiescat, cui æque facile fuit sive per litteras, sive per traditiones pura, & incorrupta suæ Religionis dogmata ad ultimos homines continua successione propagare. Et sane si potuit per bis mille annos ante Moysem sola traditione divina Religio in populo electo servari, cur non poterunt etiam nonnulla dogmata eadem divina providentia custodiri?

104. Obj. 15. cum Harduino, qui contendit (c), Ecclesiam non indigere operibus SS. PP. quæ ipse omnia apocrypha esse demonstrare conatur: *Cur quæret*, inquit, *Ecclesia ad definiendam aliquam de fide controversiam*, *quid senserit Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *& alii? An debet Ecclesia ab illis doceri? Nonne ab illa, si & Catholici*, *& Doctores fuerunt*, *ipsi didicerunt? Oblitane est ipsa*, *quod illos docuerit?* Eversa autem Patrum auctoritate, corruit etiam traditio, quæ illi innititur.

105. Resp. Ut nihil dicamus de paradoxis, & ridiculis Harduini somniis de omnium veterum monumentorum suppositione, quæ operis dispendium esset refutare, argumentum ipsius putidus est paralogismus. Utique Sancti Patres suam de fide doctrinam ab Apostolis, & primitiva Ecclesia acceperunt, sed eamdem postea incorruptam, & puram ad nos usque transmiserunt. Præclare S. Augustinus Libro I. contra Julianum cap. 7. num. 31. de Patribus loquens, *ex qua* (Ecclesia) inquit, *generati sunt*, *ut hæc discerent*, *ejus Patres facti sunt*, *ut hæc docerent*. Cumque nulla amplius a Deo fiat nova revelatio, quæ tota a Salvatore nostro & a Spiritu Sancto Apostolis facta est, Ecclesia nostrorum temporum non aliter cognoscit, quæ fuerit ista revelatio, nisi consultis sacris litteris, & traditione, in quibus tota, quanta est, continetur.

106. Obj. 16. Certum est multas olim in Ecclesia obtinuisse traditiones, quæ postea tractu temporis obsoleverunt, ut usus lactis, & mellis prægustandi in baptismate, quam memorat Tertullianus *de corona militis* c. 4. & Lib. I. *contr. Marc.* c. 14. trina immersio in eodem baptismate, communio sub utraque specie; canones pœnitentiales, & aliæ plurimæ: imprimis autem illa de Eucharistia tradenda parvulis; quam S. Augu-

(a) Ita scurriliter Mart. Chemnitius in *Examine Conc. Trid.* P. I. Lib. 2.

(b) Nonnulla errorum exempla, in quos aliqui Scripturis male innixi, non ita pridem lapsi sunt, insinuat eruditissimus Bened. Bacchinius *Lettere polemiche contro il Sig. Giacomo Picenio* Lett. 2. §. 20.

(c) In *proleg. ad Censuram Script. veterum*, quæ juxta autographum prodierunt Londini an. 1766. in 8. pag. 58.

gustinus Libro I. *de peccat. mer.*, & *remis.* c. 24. ac duo Romani Pontifices Innocentius I. & Gelasius apostolicam esse, atque ad salutem pertinere, putarunt.

107. Resp. Alias esse traditiones spectantes ad disciplinam, alias ad fidem, & mores. Primæ mutabiles sunt, aliæ constantes, & immutabiles, nec unam ex his posterioribus Adversarii afferre potuerunt, quæ temporis vetustate obsoleverit. Primi generis, non autem secundi, sunt omnes recensitæ traditiones, unde justis de causis cessare potuerunt.

108. Quantum vero pertinet ad Eucharistiam, quæ olim parvulis dabatur, respondet Cardinal. Norisius ( in *Vindiciis Augustin.* cap. 4. §. 4. ) Romanos Pontifices, & Augustinum non censuisse, Eucharistiam esse parvulis necessariam ad salutem, sed potius baptismum; qui tamen ex veteri Ecclesiæ disciplina non conferebatur sine Eucharistia. Nimirum Sanct. Doctor contra Pelagianos necessitatem baptismi hoc argumento *ad hominem* ostendebat: Pelagiani credunt, sumptionem Eucharistiæ esse necessariam ad salutem propter illa Christi verba Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* at vero Eucharistia non datur sine baptismate: ergo &c.

109. Natalis autem Alexander ( Dissert. XVI. in Sæc. II. §. 22. ) observat, potius rem, & virtutem Eucharistiæ, quæ in conjunctione, & *incorporatione* cum Christo posita est, quam ipsam Eucharistiæ sumptionem, fuisse judicatam parvulis necessariam. Sane S. Fulgentius ( *in resp. ad quæstiones Ferrandi Diaconi* epist. XII. cap. 11. num. 25. edit. Paris. in 4. 1684. ) affirmat, pueros baptizatos salvari, etiamsi Eucharistiam non sumpserint; & ex S. Augustini auctoritate, quam ibi allegat, dicit, ambigendum non esse, *tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenitur.*

110. Hinc sapienter Concilium Trident. Sess. XXI. cap. 4. docet, *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem .... neque ideo tamen damnandam esse antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, credendum esse.* Unde etiam Canone quarto anathemate eos percellit, qui dixerint, *parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerunt, necessariam esse Eucharistiæ communionem.*

111. Objicies ult. ( cum Riveto in Tractat. *de usu Patrum* cap. 6. ). Etiamsi detur existere traditiones divinas, & apostolicas, dici nullatenus potest, eas esse verbum Dei, cum nihil aliud contineant, quam testimonium hominum, & cum homines isti, qui traditionis sunt testes, utut veteres, docti, graves, non fuerint tamen divinæ inspirationis lumine illustrati, testimonium infallibile nobis suppeditare non possunt.

112. Resp. Nullatenus negari, aut in dubium revocari posse, doctrinam fidei avita traditione ad nos usque propagatam esse vere, & proprie verbum Dei: est enim illud ipsum verbum divinum, quod Christus Apostolis tradidit, vel iis Spiritus Sanctus suggessit. Apostoli autem toti mundo prædicando annunciarunt, atque Ecclesiæ reliquerunt. Neque vero obest, quod testimonio veterum Patrum, quod utique humanum est, non divinum, innitatur. Si enim hæc ratio obesset, etiam de verbo Dei scripto dubitari similiter posset, cum non in codice autographo illud legamus, sed in libris manu hominum non inspiratorum exscriptum, vel impressum, aut etiam in alienas linguas conversum. Verum, ut Theologi recte monent, distinguendum est *motivum formale* nostræ fidei ab ejusdem *motivi formalis applicatione*. Motivum est divina revelatio scripto, vel traditione contenta, applicatio motivi est ipsius revelationis cognitio, quæ a nobis acquiritur per lectionem, vel auditionem verbi Dei, tam in sacris codicibus, quam in veteribus Ecclesiæ monumentis (*a*).

113. Testimonium vero Ss. Patrum, quamvis humanum, & per se fallibile sit, si divisim accipiatur, si tamen consideretur, prout pleno consensu, ubique, & semper nobis aliquam fidei, morumque veritatem suppeditat, tale est, ut nos plenissime certos reddere debeat, eam, & non aliam fuisse apud ipsos, & apud omnes, ubique, & omni tempore Ecclesiæ fidem. Ipsi enim quod acceperunt ab aliis, suis coævis tradiderunt, & posteris reliquerunt.

114. Neque vero quis objiciat cum Dallæo, & Patres aliquando errasse, & sibi ipsis repugnasse, & sæpe suam doctrinam non ita perspicue exposuisse, ut plene de eorum mente nobis constare possit. Non inquam: breviter enim respondemus, hæc omnia, etiamsi vera essent, ad rem nostram non

(*a*) Hæc rudiori Minerva, & breviter exposita sunt pro solutione difficultatis Rivetianæ. Suis autem locis accurate, copioseque ostenditur, applicationem motivi formalis fieri per Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, proponentis ad credendum dogmata sive in sacris litteris, sive in divinis traditionibus contenta.

non pertinere; agimus enim hic de veri nominis traditionibus, quales non habentur, nisi quando Patres omnes, vel fere omnes de aliqua doctrina inter se omnino consentiunt. Et tunc nullus est locus privatis aliorum erroribus, vel controversiis, aut obscuritati.

## CAPUT III.

### *De notis, quibus veræ traditiones divinæ a falsis distinguantur.*

115. Traditionum osores hoc potissimum objicere solent, quod non facile sit divinas ab humanis, & veras a falsis secernere. At vero si infallibilem Ecclesiæ vocem, ut par est, audire vellent, omnis illico sublata esset difficultas. Ut enim inferius ostendemus, ipsi a Deo suprema auctoritas collata fuit, quemadmodum de genuino sacr. scripturarum canone, earumque vero sensu, ita etiam de variis traditionibus, & legitima earumdem interpretatione infallibiliter judicandi.

116. Hujus supremæ, atque infallibilis potestatis firmissima suo loco afferemus documenta. Sed hic tantum observamus breviter, omnium traditionum divinarum, atque apostolicarum depositum penes Ecclesiam esse, prout loquuntur S. Irenæus supra num. 54., & Tertullianus num. 58. laudati; imo & alii Patres. Sed ante illos idipsum manifeste indicat Sanct. Apostolus Paulus commendans Timotheo hoc sacrarum traditionum *depositum* ( vid. supra n. 18. & 46. ) quod etiam aliis Episcopis eum inculcasse, dubitari non potest. Si autem Ecclesia a Deo constituta est sacr. traditionum custos, ad eam utique pertinebit veras & genuinas a spuriis secernere.

117. Hoc autem jure sibi divinitus collato semper Ecclesiam usam fuisse in Conciliis œcumenicis usque ad postremum Tridentinum, superius ostendimus num. 36., ut proinde facillimum unicuique sit hoc modo divinas, & apostolicas traditiones a falsis, vel humanis secernere.

118. Neque audiendus est Basnagius, qui ( Dissert. IX. num. 32. ) non veretur hanc nostram sententiam appellare *certo certius absurdissimam*. Hujus autem tam exaggeratæ assertionis hanc potissimum affert rationem, quia, inquit, *Concilia, Patresque quid adire juvat, si germanus traditionis sensus sit penes solam præsentem Ecclesiam?*

119. Non, inquam, est audiendus Basnagius, cum tota ejus objectio ex ignorantia nostræ doctrinæ oriatur. Cum enim dicimus, ad Ecclesiam præsentem pertinere judicium de veris traditionibus, ac germano earumdem sensu, non arbitramur, id ab Ecclesia præstari posse sine ullo veterum Patrum, ac Conciliorum examine, quo antiqua doctrina ad nos usque traditionis ope derivata dignoscatur. Sed solum contendimus, peculiarem Spiritus Sancti opem semper Ecclesiæ præsto esse, ne in hoc examine instituendo erret, prout Christus Dominus, qui eam suo sanguine fundavit, ac perpetuo regit, Apostolis sæpius promisit. Qua sola observatione liquet, non esse supervacaneum Sanctorum Patrum, veterum Conciliorum, totiusque antiquitatis studium; objectionemque Basnagii levissimam esse, ex supina, atque affectata rerum nostrarum ignoratione ortam.

120. Sed insuper non negamus, licere cuilibet privato de traditionum veritate, genere, ac sensu certarum regularum criterio judicare. Negamus solum, hoc privatorum judicium utut summa diligentia peractum, esse infallibile: ac volumus, id a quolibet privato fieri non aliter debere, quam cum omnimoda Ecclesiæ magisterio subjectione. Sed hæc obiter; latius enim, & accuratius suo loco tractabuntur. Nunc de regulis, quibus etiam fideles privati haud difficulter discernere possunt diversa traditionum genera, breviter dicere aggredimur.

121. Prima regula ad determinandas veras traditiones a falsis ea est, quam Vincentius Lirinensis in *Commonit.* I. c. 3. proponit, ut id reputemus ex divina traditione certo descendere, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus traditum est:* Hinc error Millenariorum in veris traditionibus numerari non potest, quia nec ubique, nec semper, nec ab omnibus patrocinium invenit, ut ostendetur suo loco.

122. Hoc autem non ita presse intelligi debet, quasi ad veram traditionem constituendam necessarius sit veterum consensus *omnino unanimis*; nam paucorum dissensus veris traditionibus minime officit. Hinc ita prosequitur idem Lirinensis interrogans: *quid si in ipsa vetustate duorum, aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur?* Respondet autem: *tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inscientiæ, si quæ sunt universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat*. Quod si hujusmodi decreta non inveniantur, *tunc*, subdit, *operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat, interrogetque sententiam eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus, & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione, & fide permanentes magistri probabiles extiterunt: & quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum*.

123. Observavit etiam sapienter Card. Perronius ( in epist. ad Casaubonum observat. 3. ), ut *doctrina aliqua a sanctis Patribus pro catholica, & orthodoxa universim tradita, esse credatur; non esse necesse eam in omnibus Patrum monumentis reperiri. Neque enim omnes scripsere de omnibus, nec omnia ad nos eorum scripta pervenere. Doctrinæ alicujus pro catholica haben-*

*bendæ id erit certissimum indicium, cum regionis cujusque clarissimi Patres ad confirmandam eam consentiunt: nec quisquam, nisi deterioris, aut suspectioris notæ ab ea dissenserit. Sic S. Augustinus adversus Pelagianos undecim, Synodus autem Ephesina adversus Nestorium decem Patribus, usque illustribus, in doctrinam unam conspirantibus in medium adductis universæ Ecclesiæ consensum se se repræsentare judicavit.*

124. In hac tamen Patrum conspiratione istud quoque attendendum est, an veritatem, in quam conspirant, ut fidei dogma, proposuerint, & contra sentientes in hæreticorum numero habuerint, tunc enim plusquam manifestum est, id non aliunde, quam ex traditione divina descendere; nam fidei dogmata omnia ex divina revelatione oriuntur; nec ulla post Apostolorum tempora Ecclesiæ nova facta est revelatio. Hujusmodi traditioni divinæ debemus dogmata de perpetua Deiparæ Virginitate, quia Helvidius eam negans, reputatus est Hæreticus; de Episcoporum potestate, & de precibus pro defunctis, quia Aerius utrumque negans damnatus est; de successione Rom. Pontificis in totius Ecclesiæ primatum, quia qui illi parere detrectarunt, habiti sunt, ut schismatici; & alia hujus generis.

125. Regula Secunda. In traditionibus divinis, quæ ad fidem spectant, nulla unquam mutatio admitti potest, quia fides est invariabilis; sed in iis, quæ spectant ad mores, aliqua inveniri possunt, quæ ad tempus certum, & determinatum restricta fuisse, apostolica traditione docemur. Exemplum est in illo præcepto, quod Apostoli ex divina inspiratione constituerunt Act. XV. 28. seq. dicentes: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis .... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato*. Cum autem postea fuerit hoc præceptum in tota Ecclesia abolitum, credere omnino oportet, traditione apostolica fuisse fideles edoctos, illud ad prima nascentis Ecclesiæ tempora tantum pertinuisse. Alias quis unquam ausus fuisset, præceptum hoc ab Apostolis ex Spiritus S. inspiratione factum violare? (*a*).

126. Regula tertia est quam S. August. initio epist. LIV. ad Januarium exponit, ut *illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis .... commendata, atque statuta retineri*.

127. Hinc quarta exsurgit regula, quam pariter S. Augustinus præscribit Lib. IV. *de Baptismo* cap. 24. Tom. IX., scilicet *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*. Hanc regulam Sanct. Pater in laud. mox epist. LIV. ad Januarium cap. 6. deducit ex iis verbis Sanct. Pauli I. Corinth. XI. 34. *Cetera autem, cum venero, ordinabo*. Infert enim Sanct. Pater, ab ipso Sancto Paulo ordinatum fuisse, quod in Ecclesia de sumptione Eucharistiæ *nulla morum diversitate varietur*. Et sane eorum, quæ post Apostolos invecta sunt, epocha facile reperitur, & plerumque in universa Ecclesia obtinere non potuerunt. Ex hac regula liquet, ex traditione apostolica omnino descendere, quæ Ecclesia de Sacramentorum materia, & forma, ac de Missæ Sacrificio docet, & ubique observat. Idem dicatur de jejunio antepaschali, de pædobaptismo, ac de pluribus aliis.

128. Quinta regula est, ut id, quod in Ecclesia ubique observatur, humanam autem superat potestatem, nonnisi ex divina institutione dimanare credatur, quæ perpetua traditione conservata fuerit. Sic potestas, qua Ecclesia, ubi necessitas, aut publica utilitas postulat, uti solet, vota dissolvendi, aut juramenta relaxandi, nonnisi a Deo, cui vota nuncupantur, & juramenta fiunt, oriri potuit; traditione autem edocemur, eam fuisse collatam Ecclesiæ quando Christus Dominus primum Petro Apostolorum Principi, deinde etiam ceteris Apostolis claves regni cœlorum dedit, ut possent solvere, & ligare super terram, Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. (*b*).

## DISSERTATIO II.

*Exponitur Systema Acatholicorum de judicandis controversiis fidei.*

1. Verbum Dei esse fidei nostræ regulam firmissimam, & inconcussam, nos inter, & Protestantes omnino convenit; sed magna oritur controversia, quæ totam continet causam deplorandi illius schismatis, quod ante duo sæcula magno religionis damno factum est, quinam scilicet sit legitimus, & supremus verbi Dei interpres, a quo proinde omnes, quæ de Scripturarum sensu nascuntur, quæstiones componi, & finiri queant. Nos catholicam Ecclesiam, ut supremum omnium litium tribunal veneramur; atque hanc unicam esse viam dicimus, eamque facillimam, qua omnes de fide controversiæ, numero infinitæ, & ad solvendum intricatissimæ, quas spiritus cavillationis & dudum jam excitavit, & adhuc excitare non cessat, finiri queant (*c*).

2. Contra vero Protestantes hanc Ecclesiæ aucto-

(*a*) Vid. Nat. Alexander Diss. X. in Sæc. I., & Melch. Canus Lib. 11. *de locis theol.* c. 18. resp. ad 4.

(*b*) De traditionibus imprimis consulendi sunt Melchior Canus Lib. III. *de locis theologicis*, Nat. Alexander Dissert. XVI. in Sæc. II. in qua & Riveti Tractatus *de Patrum auctoritate*, & Dallæi libri *de vero Patrum usu* refelluntur, deinde passim omnes controversiarum tractatores.

(*c*) Origenes Lib. III. *contra Celsum* num. 11. Tom. I. *jam ab initio fuisse de sensu librorum, qui divini*

ctoritatem, veluti tyrannicum jugum execrantur, & unicuique libertatem ex animis concedi volunt, ut illud sequatur, quod verbo Dei conforme esse perspexerit.

3. Cum autem ab iis sciscitamur, quomodo examine instituto possit tandem veritas secure determinari, tunc in varias distrahuntur sententias. Quidam verbum Dei adeo ex se clarum esse, & perspicuum dicunt, ut nullo alio judice opus sit, ac proinde inferunt, *solam Sac. Scripturam judicem esse, normam, & regulam agnosci, ad quam ceu ad lydium lapidem omnia dogmata exigenda sunt, & judicanda* (*a*). Alii addunt spiritum privatum dictantem eis, quinam genuinus, & quinam spurius sit revelationis sensus. Quidam arbitrium judicandi fidei dogmata soli rationi attribuerunt. Alii denique absurde quidem, sed tamen Protestantium systemati omnino consentanee, nullum esse dixerunt fidei quæstionum judicem, sed unicuique liberum esse de quolibet dogmate, prout sibi visum fuerit, sentire, & *Tolerantismum*, seu *Indifferentismum* invexere.

4. Hæc varia Protestantium systematis puncta a nobis explodenda sunt; ut inde postea supremam, atque infallibilem fidei, morumque controversias judicandi potestatem Ecclesiæ vindicemus. Primo autem ostendimus, quam vana sit, & intuta via examinis ad veritatem in religionis negotio certo inveniendam.

## CAPUT I.

*Ostenditur*, viam examinis *in determinandis articulis fidei nec esse omnibus possibilem, nec tutam*.

5. Certum plane est, plerosque nostræ Religionis articulos etiam a rudibus *explicite* credi oportere; omnes autem omnino, saltem *implicite*: frustra enim eos revelasset Deus, qui *docet nos utilia* (Isaiæ XLVIII. 17.), si ipsos credere necessarium non esset. At vero torqueant se, quantum volunt Adversarii, nunquam explicare nobis poterunt, quomodo rudes, ac idiotæ *via examinis* ad certam dogmatum nostrorum cognitionem pervenire queant; ad talem nempe, ut de iis actum fidei elicere possint.

6. Primo enim, si nostræ Religionis dogmata rite, ut par est, examinare vellent, deberent sacras litteras a capite ad calcem attente legere, perscrutari, atque intelligere: 2. cum versiones non sint a Deo inspiratæ, deberent primos, & originarios fontes consulere; ad quod requiritur perfecta linguarum græcæ, & hebraicæ peritia: 3. cum nulla sit hæresis, quæ aliqua sacrorum codicum loca in sui patrocinium non advocet, deberent idiotæ hæc loca, quibus abutuntur hæretici, cognoscere, & cum aliis conferre, ut verum, ac legitimum divini verbi sensum eruerent. At vero dicant bona fide Adversarii, quisnam idiotarum hæc omnia præstare potis sit?

7. Solent quidem Heterodoxi dogmata in suis catechismis comprehensa aliquibus Sacræ Scripturæ testimoniis breviter communire, quibus rudes contentos, & convictos esse volunt. Sed idne est, *examinis via* ad certam eorum cognitionem pervenire? Examinaruntne, aut possunt illi rudes examinare, an testimonia illa sint ex libris canonicis deprompta? 2. an sint primigeniæ revelationi in originalibus textibus conformia? 3. noverunine, atque expenderunt omnes interpretationes, quibus alii doctissimi viri eadem loca explicant? 4. revocaruntne ad trutinam alia ejusdem Sacræ Scripturæ loca, quæ illis opponi videntur? Opus hoc est laboris, & difficultatis plenum, quod otium requirit, ingenii acumen, multam lectionem, peritiam linguarum, notitiam hæresum, aliaque plurima, quæ rudibus, imo iis omnibus, qui multis hujus vitæ negotiis occupantur, omnino desunt. Hi tamen maximam hominum partem constituunt, ut nonnisi paucissimi inveniantur, qui sint hujusmodi adjumentis ad examen necessariis instructi.

8. Hinc, nisi lucem in meridie negare velint, Adversarii confiteri debebunt, fideles apud ipsos, non secus ac apud nos, paucissimis exceptis, nullo prorsus examine uti, sed sola auctoritate duci in religionis negotio. Cum hoc tamen discrimine, quod Catholici in credendo nituntur auctoritate Ecclesiæ, quam nec fallere, nec falli posse, sibi certo persuasere: quo fit, ut eorum fides, quamvis cæca, sit tamen *rationabilis*; nihil enim magis rationi consonum, quam infallibili Ecclesiæ auctoritati cæcam fidem adhibere. Acatholici vero credunt sine examine; & fidunt auctoritati suorum Pastorum, quos & falli, & fallere posse, non ignorant. Talem autem fidem rationabilem esse nemo dixerit (*b*).

9. Soli igitur in sacris disciplinis eruditi, omnibusque necessariis adjumentis instructi, possunt, instituto examine, veritatem nostrorum dogmatum inquirere. Sed hi paucissimi sunt, & si suæ prudentiæ tantummodo innitantur, metuere semper de-

*esse creduntur; inter fideles dissidia*, notat; idque variis exemplis declarat.

(*a*) *In formula Lutheranorum* apud Hieronym. Kromagerum *in locis Ante-Syncretisticis* antit. 5.

(*b*) Hoc invictum argumentum contra *viam examinis* insinuatum invenio a Sanct. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 9. ad 1., ubi inquit: *veritas fidei in Sacra Scriptura diffuse continetur, & variis modis, & in quibusdam obscure; ita quod ad eliciendam fidei veritatem requiritur longum studium, & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem: quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt*. Confer Petrum Nicolium in *Operibus controversiæ*, ubi hanc rationem incredibili vi, & eloquentia urget.

debent, ne quocumque etiam diligentissimo instituto examine fallantur. Sciunt enim, se homines esse errori obnoxios; vident controversias de fide pene omnes esse multis difficultatibus implexas: non ignorant, alios ingenio, & doctrina præstantes in diversas, ac contrarias abire sententias: quomodo ergo sibi solis fidentes ad eum certitudinis gradum pervenire poterunt, qui ad actum fidei eliciendum est necessarius?

10. Id ipsum adhuc evidentius apparebit, si cohærenter ad Acatholicorum principia animadvertimus, fieri posse, ut rudis fæmina verum sacræ scripturæ sensum felicius assequatur, quam multi alii docti, & sapientes, imo quam integræ Synodi, ac tota ipsa Ecclesia. Id confessus est Joann. Claudius in suo colloquio cum Bossueto (*a*); & aperte ex ipsorum systemate fuit. Cum enim velint, nullam esse in Ecclesia tota auctoritatem prorsus infallibilem interpretandi verbum Dei, consequenter docent, vel ipsas definitiones Conciliorum quorumcumque non esse acceptandas, nisi postquam instituto examine constiterit, eas esse verbo Dei conformes (*b*). Si quis ergo eas putet non esse verbo Dei consonas, easdem rejicere poterit, & consequenter existimare, se melius germanum Sacræ Scripturæ sensum assecutum fuisse, quam integras, & universales Synodos.

11. Rursus, si illæ falli possunt, cur quilibet privatus, & singularis homo, utut doctissimus, idem de se ipso non metuat? Ac proinde *via examinis*, si tuta non est, quando tota simul Ecclesia eidem insistens aliquod dogma definit, multo minus tuta erit, quando viri privati, quamvis doctissimi, ea utuntur, tamquam regula ad dogmata fidei invenienda, & determinanda. Quo tandem fiet, ut tota nostra sanctissima religio in incerto fluctuet, neque ulla de ejus dogmatibus haberi possit firma, & stabilis fides.

12. Accedit, hoc dogmatum nostræ Religionis examen in systemate Adversariorum, ex solo verbo Dei scripto fieri oportere, quod unicam esse dicunt fidei nostræ infallibilem regulam, & judicem; si enim ratiocinia humana admisceant, cum hæc non sint verbum Dei, non amplius eam, quæ requiritur in rebus fidei, certitudinem consequi poterunt. At vero nihil minus apparet in examinibus, quæ de religionis dogmatibus ipsi instituunt, & sæpius provocati a Catholicis, ut ex solis, atque expressis sacræ Scripturæ verbis manifeste ostendant, vel unum dogma a Romana Ecclesia creditum esse falsum, aut unum ex novis ipsorum doctrinæ capitibus esse articulum fidei ad salutem necessarium, hactenus huic tam justæ petitioni satisfacere non potuerunt. Semper enim ad hæc probanda utuntur interpretationibus, consequentiis, & ratiociniis, quæ non sunt ipsum verbum Dei infallibile, sed verba, & cogitationes hominum, in quibus proinde se falli posse prudenter metuere deberent (*c*).

13. Neque vero nobis regerant, etiam apud Catholicos, imo apud ipsos S. Patres hanc methodum obtinere. Libenter enim id concedimus; at in eo apparet discrimen, quod nostra fides non innitatur hujusmodi ratiociniis, vel interpretationibus, sed judicio Ecclesiæ, cui Spiritus Sanctus præsto semper est, ne erret. Contra autem A-

(*a*) Vid. *La Conference de M. Bossuet avec M. Claude* Tom. IV. *des Oeuvres* de M. Bossuet. Claudius quidem id postea emollire conatus est, dicens, se *de falsis Synodis* locutum esse, quæ hominibus improbis, atque hypocritis constant. Bossuetus tamen facile demonstravit, id etiam de *veris*, & canonice celebratis Synodis ab ipso fuisse concessum, & concedi debuisse. Vid. *Reflexions sur un ecrit de M. Claude* pag. 581. in eodem Tom. IV. Et certe ex principiis Protestantium tunc demum cognoscemus, Synodos esse *veras*, & legitime celebratas, quando peracto examine comperiemus, ab iis ita esse intellectas, & explicatas sacras litteras, quemadmodum eas intelligendas, atque explicandas esse nobis videtur; ut proinde quilibet ita ratiocinari debeat: *ego judico hunc, & non alium esse Sacr. Scripturæ sensum; atqui hæc Synodus mecum consentit, aut a me dissentit: ergo hæc Synodus est vera, aut est falsa*. Et sic etiam de tota Ecclesia colligere debent, quicumque volunt, ex doctrina cognoscendam esse *veram* Ecclesiam, doctrinam autem proprio examini subjiciunt. Confer Nicolium Tom. III. *des Oeuvres de controverse* c. 6. & seq.

(*b*) Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 9. postquam visus esset Conciliorum auctoritatem venerari, ita demum statuit: *quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio: quales homines interfuerint; deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari, idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii: neque tamen, quod dixi, impediat*. En quomodo debeat quilibet de Conciliis ipsis judicare.

(*c*) Præstat hoc aliquo exemplo confirmare. Catechesis Heidelbergensis Domini. XXVIII. q. 7. loquens de communione sub utraque specie, *Christus*, inquit, *me, & omnes de poculo distributo bibere jussit in sui memoriam*. Si autem sciscitemur, ubinam scriptum sit, *omnes fideles* jussos esse de poculo bibere, allegantur statim verba Christi Matth. XXVI. 27.: *bibite ex eo omnes*. At vero, reponentibus Catholicis, hæc verba spectare ad Apostolos, non autem ad omnes fideles, provocant ad locum Pauli I. ad Corinth. XI. 23. & seq. Quod si iterum cogantur, ut ex Pauli expressis verbis nos doceant, mandatum esse *omnibus fidelibus* de calice bibere, hærebunt, & ad ratiocinia, & consequentias confugient. Et ita se res habet in omnibus plane controversiis, ut ostenderunt nostri Theologi, ac inter alios Hadrianus, & Petrus Fratres de Walenburch in *Methodo Augustiniana* P. II. cap. 3. Multa quidem conferunt, ut ostendant in Scripturæ interpretatione posse nos uti ratiociniis, etiam philosophicis, nec ego repugno. Sed tamen semper verum est, eos non sequi solam, & nudam Sac. Scripturam, quæ est verbum Dei infallibile, ut ad capiendos imperitos profiteri non desinunt; sed suas interpretationes, & ratiocinia, quæ humanæ sunt cogitationes errori obnoxiæ.

Acatholicorum fides iis tota inniti debet, cum tamen agnoscant, *omnes homines natura sua esse mendaces, & ipsa vanitate vaniores;* ut loquitur Confessio eorum Belgica art. 6.

14. Ex quibus omnibus manifeste consequitur, *viam examinis* maximæ fidelium parti esse prorsus impossibilem, iis autem paucissimis, qui eam insistere possunt, minime esse tutam: ut proinde fideles omnes non alio modo esse queant in sua fide, & religione securi, quam si infallibili Ecclesiæ auctoritati innitantur.

15. Adversarii cum nullatenus valeant se ab hujusmodi laqueis extricare, nos iisdem involvere conantur, eadem argumenta contra nos retorquentes, ut ostendant, eadem prorsus ratione non posse nos tuto pervenire ad cognitionem infallibilis Ecclesiæ auctoritatis, cui nostram fidem committimus. Primo enim, inquiunt, examinare deberemus, an Ecclesia Christi infallibili hac polleat auctoritate: secundo an illa Ecclesia, quæ hoc summum privilegium sibi vindicat, sit Romana, vel alia quædam ex iis multis communionibus, quarum quælibet se veram Christi Ecclesiam esse jactat: utrumque autem examen esse rudibus impossibile, doctis autem minime tutum. Hinc colligunt, si *via examinis*, ut impossibilis, & minime tuta rejiciatur, *pyrrhonismum* in religionem invehi oportere (*a*).

16. Sed primo aperte liquet, apud nos nonnisi hanc unam esse controversiam discutiendam, apud adversarios autem innumeras, eas scilicet omnes, quæ quotidie exoriuntur, & quæ exorientur in posterum. Nos superata hac prima difficultate, ab Ecclesiæ oraculis omnia facile, ac tuto discimus: illi in singulis, ut ita dicam, passibus nova semper, & insuperabilia inveniunt obstacula; ut proinde vel ex hoc capite magnum appareat nos inter, ac illos discrimen.

17. Deinde ut cognoscamus, veram Christi Ecclesiam infallibili pollere judicandi auctoritate in controversiis fidei, & morum definiendis, præter perspicuas, & sæpius iteratas Christi promissiones, vel sola rudibus, aliisque sufficere potest vetustissima, & perpetua ejusdem Ecclesiæ consuetudo, qua exortas controversias fidei ad suum tribunal vocavit, & invocato Spiritus Sancti auxilio definivit; & ita quidem, ut fideles ad plenam suis definitionibus præstandam obedientiam adigeret; reluctantes vero anathemate percussos e sinu suo ejiceret. Accedit etiam vel ipsa sana ratio, quæ nobis dictat, debere aliquem supremum, & infallibilem esse controversiarum judicem, sine quo nulla esse potest in fide unitas, & concordia, imo nec certitudo; hoc autem judicium nulli alii melius, & tutius tribui posse, quam universo Ecclesiæ pastorum cœtui. Quis enim de ipso tam arroganter præsumat, & credat, se posse facilius verum Scripturæ sensum assequi, quam tot Ecclesiæ Patres, tot Pastores, & Doctores, qui Ecclesiam Christi a primo ejus ortu usque ad nostra tempora illustrarunt, & gubernarunt?

18. Quod autem hæc vera Christiana Ecclesia sit Romano-catholica; etiam facile demonstratur a Theologis ex notis, & characteribus veræ Ecclesiæ. Interim tamen, ut res compendio agatur, rudibus sufficit breviter observare, illam esse Ecclesiam a Christo fundatam, quæ suos Pastores perpetua serie usque ad Sanctum Petrum nunnerat, quæ proinde omnibus aliis Ecclesiis est antiquior, quæ non ex separatione ab aliqua alia formata fuit; sed potius aliæ ab ipsa se separantes formatæ fuerunt. Et hoc adeo patens est, ut quotiescumque contingit, aliquos ex variis, & multis Heterodoxorum sectis ejurata hæresi veram Ecclesiam quærere, non ad aliam accedant, quam ad Romanam.

19. Mirum autem est, quod dicant viam auctoritatis ad pyrrhonismum ducere, cum potius evidentissimum sit, nulla alia ratione posse hunc pyrrhonismum evitari, quam se committendo infallibili Ecclesiæ judicio. Ut enim inquiebat S. Augustinus *contra epistol. fundamenti* cap. 4. *turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*. Et iterum (*De utilit. credendi* cap. 16. Tom. VIII.) postquam multa de Ecclesiæ auctoritate dixisset, ita rectissime ratiocinatur: *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero.... non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes attollamur in Deum*. Ac demum, cum ostendisset, hoc auctoritatis culmen esse in Ecclesia Romana, ita concludit: *cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ*.

20. Quæ Sancti Doctoris verba nobis obviam suppeditant rationem, ut seposita etiam quæstione de infallibili Ecclesiæ auctoritate, vel ipsum sequamur sanum, & communem hominum sensum, qui certe dictat, ut potius iis definitionibus inhæreamus, quæ a Pastoribus simul congregatis post diligens, & maturum examen eduntur, quam ut unusquisque re per se ipsum examinata proprium suum judicium judicio omnium aliorum præferat. *Via* ergo *auctoritatis*, quam Ecclesia sem-

(*a*) Hoc potissimum modo Jo. Claudius vim argumenti sibi a Bossueto, & Nicolio propositi declinare conabatur. Jo. autem Frid. Cotta in *Supplem.* ad Tom. XII. *Loc. theolog.* Jo. Gerhardi §. 28. ut hanc difficultatem augeat, fingit *Ecclesiæ vocem in Pontificiorum systemate tam vagum, atque ambiguum significatum habere, ut ubicum illius auctoritas resideat, nullo modo appareat*. Sed omnes Catholici nomine *Ecclesia infallibilis* in definiendis dogmatibus non aliud intelligunt, quam cœtum Pastorum vel dispersorum, vel in conciliis congregatorum, ut inferius ostendetur.

semper obtinuit, & adhuc obtinet, tum ipsi rationi conformior, tum multitudini fidelium sola accommodata, ac denique tutior, imo sola tuta apparet: contra autem *via examinis* & multis impossibilis est, & præsumptionis, temeritatis ac periculi plena apparet.

21. Objiciunt autem primo exemplum Christi, & Apostolorum, qui in religionis negotio omnia examinanda esse nos docuerunt. Christus enim nunquam soli voluit suæ auctoritati credi, sed turbas remittebat ad examen miraculorum, ac prophetiarum veter. testament.; ut Matth. XI. 4. & seq., & Jo. V. 39. Sic etiam egerunt Christi discipuli, in quorum divinis scriptis perpetuo testimonia veterum Prophetarum allegata legimus. Et Sanctus Paulus Act. XVIII. 10. & sequ. Beroensium diligentiam laudat, qui *susceperant verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*.

22. Respond. Christum Jesum debuisse primo suam divinam missionem, auctoritatemque ostendere; & tunc examini erat locus. Constituta autem hac sua suprema auctoritate, non amplius licuisse ea in examen vocare, quæ ille credenda, & agenda tradebat. Hinc Joann. VIII. 12. & seq. dicebat: *ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Ceterum falsum omnino est, Christum Dominum non exegisse aliquando, ut suo testimonio plenam fidem turbæ adhiberent. Cum enim Pharisæi ausi essent illi objicere loc. cit., *tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus, & dixit eis: etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum... & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*.

23. Jesu Christi exemplum imitatur Ecclesia, & primo contra Incredulos veritatem divinæ revelationis ex miraculis potissimum, & prophetiis invicte demonstrat. Deinde ex promissionibus sibi a Christo Domino factis ostendit infallibilem illam, & supremam potestatem, qua semper usa est, & sine qua unitas religionis servari non potest. Ex quo autem sint, & semper fuerint filii rebelles, & tenebrarum, qui has veritates agnoscere recusant, non propterea de iis dubitare possumus, aut excusare, qui non credunt; sicut inexcusabiles erant obcæcati Pharisæi, qui Jesu Christi testimonium audire recusabant.

24. Idem dicendum est de Apostolis. Ceterum tam ipsi, quam eorum sanctissimus Magister, aliter se gerebant cum iis, qui divinæ revelationi jam aures præbuerant. Nam Joann. VIII. 5. *dicebat Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Unde Sanct. Augustinus in Lib. *de utilitate credendi* cap. 14. potissimum exemplo Christi ita revincebat Manichæos: *fide ille ducebat; vos ratione ducitis; clamabat ille, ut crederetur, vos reclamatis: laudabat credentes ille; vos objurgatis*.

25. Id ipsum præstiterunt Apostoli. Judæos enim, ac Gentiles incredulos miraculis, prophetiis veter. testam., omnique alio argumentorum genere ad veram Religionem perducere satagebant. Postquam autem ei nomen jam dedissent, tunc non amplius cum ipsis disceptabant, sed potius præcipiebant dicentes: *visum est Spiritui Sancto, & nobis* &c. Actor. XV. 28.

26. Quod autem objectum fuit de Beroensibus, ita explicatur a Bossueto (in *colloquio* cum Claudio) ut tunc Beroensibus licuerit examinare, quando Ecclesiæ auctoritati nondum collum submiserant. *Susceperant* quidem *verbum cum aviditate*, idest libenter audierant, quæ a Paulo, & Sila prædicabantur: nondum tamen ea penitus credebant, sed scrutabantur Scripturas, an ita se haberent; quod in iis adhuc Catechumenis non solum tolerari, sed laudari etiam debebat.

27. Quod si quis omnino contendat, jam tum Beroenses fuisse fideles, tunc dicendum est, eos fuisse scrutatos Scripturas: *non quod dubitarent de veritate Pauli, & Silæ, sed ut prophetica scripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur; & haberent, unde alios convincerent*. Verba sunt Hugonis Grotii celebris inter Protestantes Scripturæ interpretis ad hunc locum. Et certe nisi hæc, & similia loca ita explicentur, illud consequetur absurdum, non solum Ecclesiæ definitiones esse examini subjiciendas, sed etiam quæcumque Apostoli, imo & ipse Jesus Christus docuerunt.

28. Obj. 2. Jure ipso naturæ potest unusquisque, ac debet ea diligenter examinare, quæ ad salutem suam pertinent. Hinc Lactantius L. II. *Divin. Institut.* postquam multa dixisset ad evertendam *Majorum* auctoritatem, qua decepti Ethnici superstitionem sectabantur, ita concludit cap. 8. *Oportet in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus magis niti ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere.... Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur*. Plura ibidem habet lectu dignissima.

29. Respond. Hoc jus examinis, non solum in religione, sed & in aliis etiam quibuscumque rebus, nonnisi iis tribui posse, qui omnibus ad certum judicium ferendum instructi sunt præsidiis. Iis autem maximam hominum partem carere jam ostensum est. Imo quantumcumque sint aliqui in sacris litteris, rebusque theologicis periti, adhuc tamen non sine summa arrogantiæ nota præsumerent ea examinare, quæ Ecclesia,

in

in qua tot semper fuerunt, & adhuc sunt, Pastores docti, pii, ac diligentissimi, & cui demum infallibilis Spiritus Sancti præsentia præsto est, accurato præmisso examine jam definivit.

30. Verba autem Lactantii ad hanc rem minime spectant; quia *Majores* illi, de quibus loquitur, & quorum auctoritate Ethnici se tuebantur, non erant nisi homines errori obnoxii, qui aliis dictis *Minoribus* nonnisi temporis vetustate præcellebant; unde merito subdebat: *sed hoc eos fallit, quod Majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia Minores vocantur, aut illi desipuerint, quia Majores nominantur*. Nos autem credimus *Majoribus* nostris, scilicet Ecclesiæ Pastoribus, qui Spiritus Sancti gratia ita reguntur, ut falli nequeant. Et sane, nisi ita intelligatur Lactantius, posset aliquis incredulus eadem fallacia etiam Apostolorum auctoritatem labefactare, & convellere.

31. Obj. 3. Methodus est inversa, & præpostera, ut prius cognoscamus Ecclesiam, deinde veram Jesu Christi doctrinam; nam illa demum est vera Christi Ecclesia, quæ veram ejus doctrinam profitetur; unde etiam idem Christus Dominus ita Apostolis præcepit Matth. XXVIII. 19.: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ostendens, prius esse homines in vera doctrina instruendos, deinde Ecclesiæ per baptismum aggregandos.

32. Respond. Subtilem hanc cavillationem vel ex eo solo corruere, quod, ut supra ostensum est, hac methodo *examinis* vix homines docti, indocti autem ne vix quidem possent veram Christi Ecclesiam agnoscere. Verba autem Christi Jesu significant, adultos (nam de parvulis alia est ratio) docendos esse de articulis necessariis fidei, & morum, non via examinis, aut discussionis, vel instructionis; nisi forte circumstantiæ id cum aliquibus per indulgentiam fieri postulent. Id autem adhuc servatur in Ecclesia, quæ a Catechumenis exigit ante baptismum professionem fidei, inter cujus articulos etiam ille continetur, ut credant Ecclesiam. Præclare Sanct. Augustinus *de utilitate credendi* cap. 9., postquam improbasset methodum hæreticorum, qui *Catholicam Ecclesiam maxime criminantur, quod illis, qui ad eam veniunt, præcipit, ut credant; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur*: ita subdit: *vera religio, nisi credantur ea, quæ quisque postea, si se bene gesserit, dignusque fuerit, assequatur, atque percipiat, & omnino sine quodam auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest* (a).

33. Inst. Si ita res se habet, poterit quilibet in secta, in qua natus est, & educatus, tranquille permanere; quod idem est, ac religionis *indifferentismum* invehere.

34. Respond. Id minime consequi. Nam primo debet quilibet, & facile potest veritatem Religionis Christianæ evidenter cognoscere. Præterea debet inquirere, quænam inter tot Christianorum communiones sit legitima, ac vera Christi Ecclesia. Porro ad hæc duo examinanda præsto sunt firmissima, & evidentia argumenta, quæ vocantur *credibilitatis motiva*, quæ etiam rudes, si eam, quam par est, diligentiam adhibere voluerint, haud difficulter intelligere possunt. His autem duobus inventis potest jam quilibet in Ecclesia Catholica secure, & tranquille vivere; quin necesse sit, omnia, & singula hujus Ecclesiæ dogmata ad examen revocare; quod non solum rudium, sed etiam doctissimorum hominum ingenium, & facultatem superat.

35. Obj. 4. Hæc *via auctoritatis* religionem Christianam exponit ludibrio infidelium, quia homines expoliat ratione, & libertate examinandi; 2. ad *fanaticismum* ducit, ut cuilibet enthusiastæ credere debeamus: 3. ignorantiæ fons est, & origo, cum nullam industriam exigat: 4. tyrannidem, & crudelem intolerantiam secum affert.

36. Resp. Primum falsum esse, ipsa quotidiana experientia demonstrat. Nam primo Adversarii ipsi, velint nolint, fateri coguntur, non solum prioribus temporibus, sed etiam sub ipsa pseudo-reformatione, ac postea, maximam hominum partem, sine examine credere: 2. & primis Ecclesiæ sæculis, & etiam posterioribus Religionem nostram feliciter in quatuor orbis partibus propagatam fuisse sine examine, & sola virorum Apostolicorum prædicatione. 3. Fateri insuper debent Adversarii, semel ac aliquid in divinis eloquiis revelatum inveniatur, illud certissime credendum esse, nec ulli licere rationes inquirere, an illud verum sit; nec tamen dicent propterea, nos ratione ex poliari, quia nunquam melius nostra ratione utimur, quam quando eam divinæ revelationi subjicimus. Nihil insuper magis rationi consentaneum, quam a Christo fundatore nostræ Religionis aliquem fuisse relictum vivum judicem controversiarum, sine quo ejusdem religionis unitas, & puritas conservari non poterat.

37. Nihil etiam magis falsum est, quam *viam auctoritatis*, qualem nos agnoscimus, ad *fanaticismum* ducere. Ubi enim quæso est, aut esse potest *fanaticismi* periculum, quando ea dogmata credimus, quæ universa Ecclesia longo, ac diligenti præmisso examine fidelibus credenda proponit? Nam præterquamquod evidentes habemus, ac sæpius repetitas promissiones, *Spiritum Sanctum cum ea permansurum in æternum*, nonne

(a) Hanc Sanct. Doctoris sententiam, qua viam examinis improbari quilibet videt, ab injusta Joann. Phereponi, seu Joann. Clerici censura vindicavit Lamindus Pritanius, nempe Lud. Muratorius: Lib. I. *de ingeniorum moderatione in religionis negotio* cap. 5.

ne ratio ipsa dictat, multo magis esse a *periculo fanaticismi* remotos, qui pluribus, doctisque Pastoribus una simul rem diligentissime examinantibus credunt, quam qui unice suis fallacibus inquisitionibus fidunt? Et ubinam integras sectas *Quachesorum*, *Anabaptistarum*, *Davidicorum*, *Inspiratorum*, seu *Neo-prophetarum Cebennensium*, aliorumque similium nasci, & propagari vidimus, nisi apud eos, qui repudiato tutissimo Ecclesiæ judicio fidei nostræ capita in examen vocare præsumpserunt? (*a*).

38. Infallibilem porro, quam nos veneramur Ecclesiæ auctoritatem, non esse ignorantiæ fontem, aut asylum, ut adversarii perperam objiciunt, satis demonstrant tot, quæ jam prodierunt, & quotidie prodeunt Catholicorum scripta doctrinæ, & eruditionis plena; quod ab Heterodoxorum æquitate minime negatum iri speramus. Nam primo vastissimus est rerum ab Ecclesia minime definitarum campus, in quo eruditorum ingenium liberrime spatiari potest. Deinde Ecclesia non prohibet viris doctis, vel de ipsis dogmatibus prudenter disputare; ita tamen ut proprium judicium ejusdem definitionibus dociles subjiciant *in obsequium fidei*.

39. Injusta demum est *tyrannidis*, aut *intolerantiæ* querimonia. Quemadmodum enim Religio sancta exigit, ut nostrum intellectum in captivitatem redigamus, quotiescumque aliquid invenimus a Deo revelatum, quin tamen eam tyrannidis accusemus, ita nec tyrannidis accusari potest Ecclesia, dum filiis suis ea credere jubet, quæ a Spiritu Sancto edocta divinitus esse revelata certo, & infallibiliter cognoscit. Quod si auctoritate sibi a Deo concessa in filios inobedientes, ac rebelles pœnis salutaribus quandoque animadvertit, id facit, *ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. I. Corinth. V. 5.

## CAPUT II.

*Ostenditur, perperam Heterodoxos ad Scripturæ sacræ perspicuitatem confugere*, ut viam examinis *omnibus possibilem reddant*.

40. Et primo, etiamsi liberaliter concedere vellemus, quod adversarii contendunt, omnes articulos fidei, & morum ad salutem necessarios, ita perspicue in sacris litteris contineri, ut nemo, qui illas diligenter, atque attente legat, eosdem ignorare queat, multæ tamen adhuc superessent difficultates rudibus plane insuperabiles de *Canone* librorum sacrorum, de fidelitate versionum, de varietatibus codicum, atque editionum, de apparentibus antilogiis, ac potissimum quænam sint loca clariora, & quænam obscuriora, ut recte conciliari possint. Hæc autem, atque id genus plura homines non solum rudes, sed etiam doctos, si prudentes sunt, ancipites facere debent, ac trepidos, ne in rebus maximi momenti cum æterno suæ salutis dispendio a veritate aberrent: neque hæc justa anxietas alio modo tolli posse videtur, quam infallibili Ecclesiæ auctoritate (*b*).

41. Sed præterea S. Scripturam non esse ubique, & in omnibus articulis ex se sola perspicuam, multis, gravibusque momentis evincitur. Nam primo S. Petrus 2. epistol. III. 16. loquens de epistolis S. Pauli ait, in iis *esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem*. Hæc autem difficilia intellectu spectare ad salutem ex eo liquet, quod indo-

(*a*) Nihil frequentius in ore Protestantium, quam *fanaticismi plena omnia esse in systemate Romanensium*, ut ait Jo. Frid. Cotta in *Supplem.* ad Lib. XII. *Loc. Theol.* Joann. Gerhardi §. 30.; sed si adversarii rem hanc pacato animo tantisper considerare velint, facile videbunt nullam majorem esse falsitatem; cum nobis Catholicis non liceat privatas nostras opiniones in rebus fidei sequi, sed omnes teneamur Ecclesiam sanctam audire. Surdis autem auribus prætereunda non est illa ejusdem Cottæ, aliorumque ei similium calumnia plane intolerabilis, scilicet *a cordatioribus Pontificiorum non dissimulari, Deismum primos suos natales Ecclesiæ Romanæ debere*. Quis Catholicorum hoc unquam dixit, aut dicere potuit? Primi, & celebriores hujus impietatis coriphæi, & propagatores, Hobbesius, Spinoza, Tolandus, Voolsthonus, Collinsius, Pælius, Rousseavius erantne in Ecclesia Catholica nati, & educati? Anne Deismus minus serpit in Communionibus Protestantium præsertim in Anglia, quam in Communione Romana? Ego vero (pace adversariorum dixerim) potius censeo, examinis libertate a Luthero, Calvino, aliisque pseudo-reformatoribus concessa, ostium immane fuisse huic hominum pesti apertum; tunc enim discessum est a primæva simplicitate credendi, & de omnibus disputando, omnia confusa sunt, & perturbata. Hinc multi nescientes, cui crederent, prorsus nihil credere maluerunt. Sane Laur. Moshemius in *Histor. Ecclesiast.* Tom. V. pag. 302. edit. Yverd. 1776. candide fatetur temporibus Cromvvellianis fuisse *epocham Deistarum* in Anglia sub Sidneyo, Nevillio, Martinio, & Arringonio; quando scilicet cuilibet permissum erat, quidlibet credere, ac profiteri. Sed hæc obiter.

(*b*) Ex quo Scriptura sacra debeat esse in rebus ad salutem necessariis omnino clara, Remonstrantes bene collegisse videntur, omnia ea dogmata, quæ in sacris litteris non omnino perspicue continentur, utut verissima, minime esse ad salutem necessaria. Addebant postea, omnia ea dogmata, de quibus inter varias Christianorum Communiones disputatur, non omnino perspicue contineri in sacris litteris; unde consequens erat nonnisi paucissima Religionis nostræ dogmata, ea scilicet sola, de quibus nulla est inter Christianos controversia, esse ad salutem necessaria. Videri potest id latius explicatum in *Institutionibus theol.* Sim. Episcopi, & in præfat. quam illis præmisit Arnoldus Poelemburgius. Nescio, quomodo defensores claritatis sacr. scripturarum possint solide hanc Remonstrantium doctrinam refellere.

docti, & instabiles ea depravare dicuntur *ad suam ipsorum perditionem*; quod de rebus levioris momenti dici non posset. Præterea Actor. VIII. 31. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum ingenue Philippo confessus est, se Scripturas, quas legebat, minime assequi: *Et quomodo*, inquit, *possum* (intelligere), *si non aliquis ostenderit mihi?* (*a*) Demum Discipuli Christi Domini non semel fassi sunt, parabolas, & doctrinam Magistri sui sibi impervias esse. Matth. XIII. 36. *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri*. Et Lucæ XXIII. 34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur*.

42. Id ipsum Sancti Patres tanquam certissimum habuerunt, & propterea eorum plurimi, ut Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, magno labore sacras litteras commentariis illustrare studuerunt; cui labori certe supersedere potuissent, si genuinum Scripturarum sensum facile omnibus pervium esse putassent, ut sola lectione opus esset. Audiatur inter alios S. Hieronymus, qui postquam totum ferme vitæ suæ tempus in studio sacrarum litterarum consumpserat, earumdem obscuritatem variis allatis exemplis demonstrat in Epistol. LIII. atque in eos graviter invehitur, qui sacras litteras adeo faciles esse credunt, ut possit quilibet eas per se intelligere, & explicare: *Quod medicorum est*, inquit, *promittunt medici; tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant* (*scribimus indocti, doctique poemata passim*). *Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*, & in Epist. CXXI. ad Algasiam qu. 8. *omnem epistolam S. Pauli ad Romanos nimiis obscuritatibus involutam esse*, scribit. S. autem Augustinus Epist. LV. (alias CXIX. in fine) humiliter fatebatur, se *in ipsis sanctis scripturis multo nescire plura, quam scire* (*b*).

43. Quid? quod vel ipsi Adversarii velint nolint hanc Scripturæ obscuritatem agnoscere, & fateri cogantur? Si enim esset *per se certissima, facillima, apertissima sui interpres*, ut Lutherus vanissime loquitur (in præfat. *articul. a Leone X. damnat.*), ut quid ejus asseclæ eam tot laboriosissimis commentariis illustrare conati sunt? Ut quid prioribus minime contenti, novos semper in lucem emittunt? Ulterius, quomodo in tanta Scripturæ luce, adeo ejus interpretes a se ipsis dissentiunt? Unde oriri potuit inter ipsos Protestantes, qui Scripturæ perspicuitatem prædicant, tanta opinionum, errorumque diversitas? Sane, ut acute Nicolius observat (*Præjugés legitimes contre les Calvinistes* cap. 16.) videtur Deus voluisse sensibili, funestaque experientia prædicatores perspicuitatis Scripturarum confundere, permittendo, ut de omnibus fere iis Religionis dogmatibus, quæ evidenter in Scripturis contineri jactant, mire inter se dissentientes luctarentur, omnesque ferme jam obsoletas hæreses suscitarent. His animadversis nemo negaverit, illud sapienter olim fuisse a Nat. Alexandro dictum (Diss. XVI. in Sæc. II. §. 12.): *Obscuram esse Scripturam sacram, res est adeo evidens, ut nullum sit Hæreticorum commentum isto insanius* (*c*).

44. Quanquam si etiam Scriptura sacra ubique esset perspicua, tamen dirimendis omnibus quæstionibus fidei non sufficeret; quod vel ipso quotidiano rerum usu evidenter apparet. Nemo enim, qui Theologiam vel a limine salutaverit, i-

(*a*) De hoc Eunucho vid. S. Hieronymus epist. LIII. ad Paulinum num. 5. ubi inquit: *Ego, ut de me interim loquar, nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior; qui ... tantus amator legis, divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret, & tamen, cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & sanctus est, ac de discipulo magister: plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam in aurato Synagogæ templo reperit. Hæc a me perstricta sunt breviter ... ut intelligeres, te in scripturis sanctis, sine prævio, & monstrante semitam, non posse ingredi.*

(*b*) Multa alia SS. PP. testimonia si quis desiderat, adeat celebrem Jacobum Coccium *in Thesauro Catholico*, quem a Lutheri castris ad Rom. Ecclesiam reversus edidit Coloniæ 1599. continet autem ingentem testimoniorum ex SS. Patribus copiam: *Opus infinitæ lectionis*, ut eum vocat Card. Bona in *Notitia auctorum* præmissa *tractatui de divina Psalmodia*. Idem autem sapientissimus Cardinalis vitio vertit Coccio, quod inter *veros Auctores, & supposititios nullum statuerit discrimen*.

(*c*) Jo. Augustus Ernesti in opusc. *de difficultatibus novi Testam. recte interpretandis* qu. 209. edit. Lugd. Batav. 1764. *Hic non dissimulabo*, inquit, *sed pro me feram ingenue, ex quo tempore cœperim discernere posse sonos verborum a rebus, & sensum, cogitationemque verbi a sensu, & cogitatione rei; multo magis autem ex quo cœperim aliquid in interpretando videre, in dies mihi difficiliorem visam esse legitimam, & justam interpretationem N. T. multoque difficiliorem, atque impeditiorem, quam Homeri, Thucydidis, Polybii, aliorumque græcorum scriptorum. Neque in eo me falli arbitror, &c.* Ita doctissimus iste Lutheranus. Neque vero alii fucum facere possunt subtili illa distinctione, quam Jo. David Michaelis affert in *Compendio Theol. dogmaticæ* Gottingæ anno 1760 in 8. concedens esse aliquam obscuritatem, sed non *ambiguitatem*, obscuritatem *rerum*, non *verborum*. Ex citatis enim eorum dissidiis satis evincitur, talem esse Scripturæ obscuritatem, ut ea sola non possint controversiæ fidei omnino definiri. Memorabile est, quod Lutherus in Lib. I. contra Zuinglium, & Œcolampadium olim scribebat: *Si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc fiunt, ut ad conservandam fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

ignorare potest ingentem illam controversiarum segetem, quæ tum inter Catholicos, & Protestantes, tum inter Protestantes ipsos, longo jam temporis intervallo vigent: quælibet pars Scripturas sibi patrocinari gloriatur: quæ uni testimonia clara videntur, ab altero reputantur obscura: quæ ab istis in suæ causæ patrocinium afferuntur, ab aliis diverso, & sæpe contrario sensu explicantur; & nulla affulget spes, futurum aliquando harum, & similium controversiarum finem. Sic ex. gr. nihil clarius Catholicis simul, & Lutheranis videtur his verbis: *hoc est corpus meum*, pro adstruenda reali Christi præsentia in Eucharistia; nihil tamen hactenus profecerunt cum Calvinistis, quibus persuasum est, ea esse figurate accipienda. Catholici insuper, Lutherani, & Calvinistæ jam a duobus sæculis cum Socinianis pro vera, & consubstantiali Verbi divinitate pugnant, quam in sacris litteris luculenter contineri merito credunt; nec tamen controversia sublata est, quia nullum adversarii admittunt supremum judicem, qui de vero ac legitimo Scripturarum sensu sententiam irrevocabilem ferat.

45. Hanc rationem diserte pro more suo proponit Vincentius Lirinensis in *Commonit. I.* cap. 2. inquiens: *Forsitan requiret aliquis, num sit perfectus Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno, eodemque sensu universi accipiunt*, &c. Vide supra Dissert. I. n. 23.

46. Obj. 1. Deus ipse tantam esse Scripturarum perspicuitatem testatur, ut plane nullo interprete, aut judice ad eas intelligendas opus sit. Nam Deut. XXX. 11. *Mandatum hoc*, inquit, *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*. Quæ verba S. Paulus Rom. X. 8. Evangelio accommodat, inquiens: *quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus*. Ulterius Psal. XVIII. 9. dicitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Psal. item CXVIII. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Ac demum Proverb. VI. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux*. Idem confirmat in novo Test. Apostolorum Princeps 2. epist. I. 19. inquiens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco:* ergo &c.

47. Resp. ad primum, ibi sermonem esse de præceptis populo Israelitico datis, quæ dicuntur non esse supra vires hominum, neque admodum difficilia; sive ut cognoscantur, sive ut adimpleantur, adjuvante nimirum gratia Dei, quæ Israelitis in vet. Testam. non deerat, per fidem in Christum venturum. Quanquam etiam in hujusmodi præceptis intelligendis aliquam oriri posse difficultatem, indicavit ipse Moyses Deuter. XVII. 8. & seq., jubens, ut si aliquid difficile, & ambiguum oriretur, judicium deferretur ad Sacerdotes. Et Christus Dominus Matth. XV. 3. & seq. Pharisæos reprehendit, quod quartum Decalogi præceptum prave intelligerent.

48. Sed quidquid sit, male ex hoc loco quispiam colligeret, omnem Scripturam esse intellectu facillimam; nam multa alia sunt obscura, & impervia, quibus explicandis, & intelligendis, & multo labore opus est, & duce aliquo, qui sine ullo erroris periculo nos dirigat. Certe in vet. Test. omnia nostræ religionis dogmata perspicue contineri, nec adversarii ipsi contendunt.

49. S. autem Paulus ibi loquitur non de omnibus, & singulis Religionis nostræ dogmatibus, sed generatim de fide in Jesum Christum, quæ salutis nostræ radix est, ac fundamentum; & vult, hanc fidem facilem esse propter luculentissima ejusdem Servatoris nostri miracula, unde illico subdit: *quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris:* credendo scilicet alia etiam mysteria ab ipso revelata, & observando omnia ipsius mandata, in quibus certo determinandis multæ, & magnæ oriuntur controversiæ, nunquam finiendæ, nisi præter Scripturas, vivi Judicis, nempe Ecclesiæ oraculum audiatur.

50. Ad alia loca hæc una est responsio. Scripturæ dicuntur *lucidæ*, imo *lucerna*, & *lumen*, non quia ipsæ ubique in se claræ sint, & sine ullo alio adminiculo ad omnes fidei controversias finiendas sufficiant; sed quia adjuncta recta infallibilis Ecclesiæ interpretatione nos illuminant, & ad viam mandatorum inoffenso pede percurrendam nos dirigunt. Hinc idem Rex Propheta, qui dixerat: *lucerna pedibus meis verbum tuum*, ibidem lumen Dei flagitat, ut Scripturas cognoscere possit: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas:* ac tandem ita concludit: *Declaratio sermonum tuorum illuminat*.

51. S. autem Petrus in loco objecto vult, præter argumenta a se memorata, quæ Christi divinitatem ostendebant, scilicet vocem Patris auditam in monte Thabor &c., esse alia etiam firmiora, saltem respectu Judæorum, quæ ex Propheticis vet. Testamenti oraculis depromebantur. Ceterum comparatio lucernæ lucentis in caliginoso loco potius ostendit, per propheticum sermonem non omnem sublatam esse obscuritatem; quemadmodum per lucernam non omnis tollitur in loco caliginoso obscuritas.

52. Dices. Si aliqua est in Scripturis obscuritas, nonnisi respectu eorum est, qui pravis cordis affectibus obcæcati, ejus splendentissimam lucem videre non possunt; quod Christus iis verbis indicat Matth. XI. 25. *Abscondisti hæc a sapien-*

*ti-*

*tibus*, *&* *prudentibus*, *&* *revelasti ea parvulis*. Et Paulus 1. Cor. II. 14. *Animalis homo non percipit ea*, *quæ sunt Spiritus Dei*. *Spiritualis autem judicat omnia*; tum 2. Cor. IV. 3. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum*, *in iis*, *qui pereunt*, *est opertum*, *in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*, *ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*. Ac denique S. Petrus cum dixisset 2. epist. III. 16. quædam esse in epistolis S. Pauli difficilia intellectu, quo sensu id accipi velit, statim exponit, subdens: *quæ indocti*, *&* *instabiles depravant*. Non ergo in se, sed solum indoctorum, & instabilium hominum respectu quædam sunt in Scriptura difficultates. Hinc Christus dicebat Joann. VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus* ( Dei ) *facere*, *cognoscet de doctrina*, *utrum ex Deo sit*.

53. Resp. primo. Etiamsi liberaliter Adversariis daremus, Scripturas nonnisi iis obscuras esse, qui pravis affectibus, aut præjudiciis in transversum aguntur, hoc tamen sufficeret, ne Scripturæ solæ dici possent legitimus fidei controversiarum judex; semper enim posset aliquis merito dubitare, an taliter comparatus sit, ut veram Scripturarum intelligentiam consequatur. *Quoniam multi*, inquit apposite S. Augustinus ( *de util. cred.* cap. 15. n. 33. ) *sapientes videri volunt*; *neque utrum stulti sint*, *dignoscere facile est*.

54. Sed ulterius a vero, & obvio objectorum verborum sensu aberrant Adversarii; neque enim iis in locis ( excepto ultimo ex Epist. 2. S. Petri ) de obscuritate, vel perspicuitate Evangelii sermo est, sed in primo loco gratia fidei significatur, quam Deus parvulis, hoc est humilibus, concessit, denegavit vero prudentibus, & sapientibus, nempe scientia sæculari inflatis, & superbis.

55. Quos autem Apostolus 1. Cor. II. *animales homines* vocat, ii sunt parvuli in Christo, lacte nutriendi, ut evidentissime patet ex subsequentibus verbis cap. III. 2. *lac vobis potum dedi*, *non escam*; *nondum enim poteratis*, *sed ne nunc quidem potestis*; *adhuc enim carnales estis*. Spirituales vero sunt jam perfecti, quibus propterea ad Gal. VI. 1. jubet, ut alios instruant. *Vos*, *qui spirituales estis*, *instruite hujusmodi &c.* Non ergo, ut Adversarii volunt, homines animales sunt impii, & pravis affectibus perturbati; neque spirituales omnia omnino Scripturæ loca intelligunt, ut de nullo debeant errore timere.

56. Alio loco 2. Cor. IV. Apostolus non agit de intelligentia Scripturarum, sed de Evangelii receptione; & significat, non omnes quidem recipere Evangelium, id autem non ex sua culpa eorum, quorum mentes ita excæcatæ erant, ut radiantem Evangelii lucem non viderent.

57. Postremum denique S. Petri locum præpostere omnino Adversarii explicant; duo enim dicit satis inter se distincta. Primo esse quædam in Paulinis epistolis intellectu difficilia, idque absolute, & respectu omnium. Tum hæc loca difficilia ab indoctis, instabilibusque hominibus depravari. Sane Magnus Augustinus neque indoctus erat, neque instabilis; fatetur autem *de fide*, *&* *oper.* cap. 15. & 16. locum illum Apostoli 1. Corinth. III. 12.: *si quis superædificat super fundamentum &c.* obscurissimum esse, & ex iis unum, quæ S. Petrus esse intellectu difficilia dixerat.

58. Ad illud, quod additum est ex cap. VII. S. Joannis, facilis est responsio: inter alia enim, quæ ad voluntatem Dei faciendam requiruntur, est debita, & perfecta obedientia Pastoribus ab ipso constitutis, ut Ecclesiam Dei regant; juxta illud Matth. XVIII. 17. *Si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut Ethnicus*, *&* *Publicanus*. Et Lucæ X. 16. *Qui vos audit*, *me audit*. Ad cognoscendam igitur veram Christi doctrinam, docilitas Ecclesiæ magisterio in primis necessaria est.

59. Inst. 2. Hoc interest vetus inter, & novum Test. quod illud erat liber signatus, ut dicitur Isaiæ cap. XXIX. 11. & seq. novum autem Testam. est liber apertus, ut dicitur *Apoc.* V. 5. ergo &c.

60. Resp. Discrimen, quod inter vetus, novumque Testamentum intercedit, in eo situm esse, quod in veteri fœdere omnia in figura contingebant; & propterea liber *signatus* dicebatur; in novo solutis signaculis ab Agno apertus est liber, cum nempe adveniente veritate figuræ cessarunt; non ita tamen liber apertus est, ut omnia possint ab unoquoque sine Ecclesiæ magisterio intelligi, & explicari.

61. Obj. 2. Sancti Patres Scripturam esse ita perspicuam dicunt, ut quilibet possit sine alterius ope omnia nostræ Religionis dogmata in ea invenire. Nam primo S. Jo. Chrysostomus Concione III. *de Lazaro* Tom. I. adeo manifesta, & clara esse dicit, quæ Apostoli, & Prophetæ tradiderunt, *ut per se quisque discere possit ea*, *quæ dicuntur*, *ex sola lectione*, & infra: *cui enim non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt?* Item ( Hom. III. in 2. Ep. ad Thessal. ) *Quid opus est*, inquit, *sermone? omnia sunt dilucida*, *&* *recta*. Accedit S. Augustinus, qui in Ps. VIII. num. 8. Deum dicit, *inclinasse Scripturas sacras usque ad infantium & lactentium capacitatem*; & in Epist. 137. ( alias 2. n. 3. ) postquam dixit, magnum esse Christianarum litterarum profunditatem, illico subdit: *non quod ad ea*, *quæ necessaria sunt saluti*, *tanta in eis perveniatur difficultate*; *sed cum quisque ibi fidem tenuerit*, *sine qua pie*, *recteque non vivitur*, *tam multa*, *tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata*, *intelligenda proficientibus restant*, *tantaque non solum in verbis*, *quibus ista dicta sunt*, *verum etiam in rebus*, *quæ intelligendæ sunt*, *latet altitudo sapientiæ*, *ut annosissimis*, *acutissimis*, *flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat*, *quod eadem Scriptura quodam loco habet* ( Ecclesiastici XVIII. 6. ) *Cum consummaverit homo*, *tunc in-*

*incipit*. Ubi distinguit Augustinus res ad salutem necessarias, easque posse a quolibet in Scripturis cognosci docet; & mysteria ad fidem non pertinentia, & hæc sola impervia esse dicit. Et in Lib. II. *de Doctrin. Christ.* cap. 6. obscura quædam in Scriptura esse concedit, vult tamen, eadem posse ex aliis locis clarioribus perspicue intelligi. *Magnifice*, inquit, *& salubriter Spiritus Sanctus Scripturas sacras modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*. Unde adversarii inferunt, loca Scripturæ obscura posse facile intelligi, si juxta Hermeneuticæ regulas, per alia clariora explicentur. Ac demum in fine Lib. II. *de peccat. meritis, & remissione* hæc habet: *ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque monumentis, cohibere se debet humana præsumptio . . . Illud tamen credo, quod etiam hic divinorum auctoritas esset, si homo id sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset*.

62. Resp. Ad mentem Sanctorum Patrum Scripturas esse perspicuas in historiis, moralibusque præceptis, & etiam, si placet, in præcipuis fidei dogmatibus, quæ a nemine ignorari possunt; non tamen ubique, & in omnibus, quæ Pastoribus, & Doctoribus, aliisque præcipuis Ecclesiæ membris nota esse debent, & certa. Non aliam esse S. Jo. Chrysostomi mentem, liquet ex contextu; ubi enim eorum prætextum refellens, qui a Scripturis legendis se excusabant, quod eas non intelligerent, inquit: *Quis audiens, beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo corde, ceteraque hujusmodi, egebit præceptore, ut aliquid eorum discat, quæ dicuntur? Verum signa, miracula, historiæ non cuivis nota, manifestaque sunt?* En quæ clara in Scripturis, manifestaque sunt. Sed haud ignorans S. Pater, alia esse obscuriora, pro iis intelligendis aliam regulam deinde tradit, subdens: *Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem &c.* Quod si Doctores, & interpretes inter se non consentiant, quid aliud restat, nisi Ecclesiam omnium Doctorum magistram audire? Idem est etiam sensus aliorum verborum (ex Hom. III. in epist. 2. ad Thessal.); ita enim pergit: *Quænam ea obscuritas, dic quæso? Annon sunt historiæ? Nosti, quæ sunt clara, & dilucida, ut de iis, quæ sunt obscura, perconteris*.

63. Ad 2. Dico, mentem S. Augustini esse, ea, quæ ad salutem pertinent, posse sine tanta difficultate in sacris litteris intelligi, si tamen Ecclesiæ magisterium audiamus, non autem si eo rejecto nostræ rationis lumen duntaxat sequamur. Id enim sexcentis in locis S. Pater insinuat; ex quibus pauca pro temporis angustia seligam. Libro III. *de doctr. Christ.* c. 2. *Cum verba propria*, inquit, *faciunt ambiguam Scripturam .... consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit*. Lib. I. *cont. Cresconium* cap. 33. *Quisquis*, ait, *falli metuit obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat*: ac demum celebratissimum est illud S. Patris dictum *contra Epist. Fundamenti* cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*.

64. Cohærenter ad firmissima hæc S. Doctoris principia explicari debent ejus testimonia objecta. Nempe primo dicit ad ea, quæ sunt saluti necessaria, *sine tanta difficultate* perveniri posse, quia si quæ est in istis obscuritas, ex doctrina Ecclesiæ tollitur: contra autem in aliis, quorum cognitio ad salutem necessaria non est, Ecclesia tacente, multæ, & insuperabiles occurrunt difficultates. Secundo verissimum est, locis obscurioribus lucem ab aliis clarioribus affundi. Sed nisi Ecclesiam ducem habeamus tantum, & infallibilem, facile continget, ut erremus, maxime cum utraque litigantium pars loca sibi propitia clariora vocare soleat, infesta vero obscuriora. Quanquam S. Pater ibi non agit de articulis fidei, sed potius de illis quæstionibus, in quibus nulla est Ecclesiæ definitio. Postrema verba S. Patris spectant ad illam quæstionem tunc maxime agitatam de origine animæ, in qua recte monebat, cohibendam esse humanam præsumptionem, cum nihil expresse revelatum, vel ab Ecclesia definitum esset (*a*).

65. Ceterum Scripturarum obscuritatem sæpius agnoscit, & fatetur S. Augustinus. Ea satis sint, quæ in Lib. XII. *Confess.* cap. 14. habet: *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis; sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*.

66. Cum autem postremo Adversarii ad tollendam quamcumque ex sacris litteris obscuritatem ad Hermeneuticæ regulas confugiunt, eas quidem ad sacrarum Scripturarum intelligentiam plurimum valere concedimus, sed omnino ad fidei certitudinem sufficere inficiamur, nisi aliquod lumen præsto sit, cum traditiones, tum maxime ecclesiasticarum definitionem, ut de vero, genuinoque Scripturarum sensu certi esse omnino possimus (*b*).

67. Dices (cum Luthero *in assert. articul. a* Leo-

(*a*) Vid. Card. Norisius in *Vindiciis August.* cap. 4. §. 3.

(*b*) Etiam Lud. Wotzogenius collationem plurium locorum sufficere negabat, & ulterius requiri dicebat linguarum usum, quem optimum esse Scripturæ interpretem putabat. Gravem quidem contra ipsum censu-

*Leone X. damnatorum* ). Sancti Patres quidquid, vel contra hæreticos disputando, vel Orthodoxos in concionibus admonendo proferebant, semper Scripturarum testimoniis communire satagebant: quod frustra ab iis factum fuisset, nisi Scripturæ per se perspicuæ forent, vel saltem clariores iis dogmatibus, quæ probare conabantur, alias magis notum ex minus noto probassent.

68. Resp. Primo multa esse in Scripturis satis clara, & manifesta, quamvis non omnia sint hujusmodi; in aliis vero obscurioribus Sancti Patres Scripturam perpetuo allegabant, ut ostenderent, doctrinam Ecclesiæ, quam explicabant, a sacris litteris non esse alienam. Ceterum ubicumque dubium de sacrarum litterarum sensu oriebatur, non ad alium judicem confugiebant, quam ad Ecclesiam. Unus sufficiat Origenes, quo nemo diutius, aut laboriosius Scripturis illustrandis insudavit; at vero Tract. XXIX. in Matthæum quotiescumque de alicujus loci Scripturarum sensu ambigitur, non aliter credendum esse statuit, *nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis*. Addere possemus etiam testimonium Ruffini, qui in *Hist. Eccl.* Lib. II. cap. 9. loquens de Ss. Patribus Basilio, & Gregorio Nazianzeno, *Soli*, inquit, *divinæ scripturæ voluminibus operam dabant, eorumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis, & auctoritate sequebantur; quos & ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat*.

69. Obj. 3. Scriptura sacra, cum sit verbum Dei, debet esse omnibus suis numeris absoluta; atqui talis non esset, imo inperfectissima foret, si aliqua laboraret obscuritate; hoc enim reputari solet vitium in quolibet scriptore non leve: ergo &c. Ulterius Deus in sacra Scriptura suam nobis revelare voluntatem dignatus est, quo salutem consequi possimus ( 2. Tim. III. 15. & Joan. XX. 31. ): quamobrem non incongrue appellatur epistola Dei ad homines; ab aliis vero comparatur tabulæ topographicæ, qua viator ad iter secure peragendum dirigitur: atqui absurdum est voluisse Deum nobis suam voluntatem ita revelare, ut nihil intelligamus: ergo &c.

70. Resp. Ad primum, hac difficultate premi etiam Adversarios, qui nimia evidentia coacti fatentur, sacras litteras saltem in articulis non necessariis esse aliquando obscuras (*a*). Certe ipsi nobiscum dicent, non sacræ Scripturæ vitio, sed aliis, & quidem multis ex causis ejusdem obscuritatem oriri. Oritur primo ex rerum, quas continet, profunditate; cum enim mysteria Trinitatis, peccati originalis, Incarnationis, prædestinationis, reprobationis, & similia humanæ mentis aciem superent, necesse est, ea loca obscura esse, in quibus de iis agitur. Secunda, & quidem non exigua obscuritatis Scripturarum causa est imperfecta, quæ modo superest, earum linguarum peritia, in quibus primo sacri libri exarati sunt; phrasium item, & idiotismorum, quorum usus jam a longo tempore obsolevit. Tertia causa est metaphorarum, ac troporum frequentia. Quartam constituunt nonnullæ apparentes antilogiæ. Additur denique hominum perversitas, qui vel ipsis, quæ sunt omnino perspicua, variis, & distortis interpretationibus tenebras offundere nituntur; adeo ut nisi vivus aliquis judex existat, nullus unquam futurus sit controversiarum finis. Quid clarius, amabo, his paucis verbis: *Hoc est corpus meum?* Et tamen diverso prorsus, & contrario sensu a Catholicis, ab Evangelicis, a Pseudo-reformatis, a Socinianis intelliguntur; & licet ubique non pauci homines hactenus floruerint omni sacrarum scientiarum genere peritissimi, nondum tamen consentire inter se potuerunt. Quod si in loco, qui adeo clarus videtur, tanta est doctissimorum hominum dissensio, quid erit postea de aliis, certe multo obscurioribus, dicendum?

71. Ad 2. Deus sufficienter, imo luculentissime suam nobis voluntatem, & omnia Religionis mysteria revelasse censendus est, ex quo nobis dederit Ecclesiam sui verbi interpretem, nostramque magistram; nihil quippe fieri poterat melius ad omnes in fide controversias tollendas. Quantacumque enim claritate libri sacri pollerent, nunquam defuissent homines indociles, qui pravis interpretationibus controversias suscitarent. Hinc sapienter Synodus Tridentina Sessione IV., *ad coercenda petulantia ingenia decrevit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Hinc patet, quo sensu sacra Scriptura appellari possit epistola Dei ad homines, vel tabula nos in nostræ salutis itinere dirigens, scilicet adjuncto Ecclesiæ magisterio, non autem seposito.

CA-

ram tulit Labadias, sed sibi non defuit Wotzogenius edita *Censura Censuræ*, pluresque invenit suæ sententiæ adstipulatores. Nec ipsi ergo Adversarii inter se satis conveniunt, quid ad rectam Scripturæ intelligentiam opus sit.

(*a*) Joan. Gerardus in cap. 6. *Loci I. Theologici* confitetur, *quædam in Scripturis obscurius dicta, & intellectu esse difficiliora*. Ita quoque Franc. Terrettinus in *Institut. Theolog. elenchticæ* Tom. I. quæst. 17. addens, etiam res ad salutem necessarias non ubique perspicue tradi, sed aliqua esse δυσνόητα difficilia intellectu, quæ tamen alibi planissime dicta inveniri ex suis præjudiciis contendit. Ita demum omnes fere Acatholici.

## CAPUT III.

*Solvuntur quædam objectiones, quibus Heterodoxi probare nituntur, solam sacram Scripturam esse omnium controversiarum fidei, morumque judicem.*

72. Obj. I. Ad solam Scripturam in fidei quæstionibus definiendis confugiendum esse ipsæ sacræ litteræ aperte testantur. Nam Joan. V. 39. Christus ad finiendam controversiam de se ipso cum Judæis exortam, illos ad Scripturas remittit. *Scrutamini Scripturas ... & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Eo plane modo, quo Judæi ipsi olim dixerant Nicodemo Joan. VII. 52. *scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa Propheta non surgit* (a). Præterea idem Christus non alium proponit judicem, quam verbum suum. *Sermo*, inquit Joan. XII. 48. *quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.*

73. Resp. Ad primum, dubium esse, an verbum illud *scrutamini* debeat modo imperativo intelligi, ut sibi Adversarii pro certo sumunt, an vero in præsenti indicativo; quasi dicat Christus: *Consulatis scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; obcæcati non videtis; quia illæ sunt; quæ testimonium perhibent de me.* Nec difficultas tollitur ex fonte græco, ubi habetur ἐρευνᾶτε, quæ pariter vox sive imperativo, sive indicativo tempori respondet (b).

74. Sed etiamsi concedatur, id dictum esse imperativo modo, non sequitur, Scripturam esse a Christo propositam, tanquam controversiarum judicem *absolute*, sed solum *hypothetice*; quando scilicet cum iis Adversariis res agitur, qui nihil aliud audire se profitentur, quam Scripturam. Christus enim & doctrina, & miraculis, & testimonio Joannis divinam suam missionem comprobaverat, sed frustra; quapropter Judæos incredulos provocat ad Scripturas, quibus solis inhærere se profitebantur, ut ex prophetiis in ea contentis tandem convincerentur. Eodem plane modo Ecclesia cum hæreticis agit; auctoritate, qua pollet, controversias cum ipsis exortas verbo Dei tam scripto, quam tradito inhærens definit: sed quia indociles inveniuntur, qui aures ei præbere nolunt, non dedignatur per suos Doctores etiam ex Scripturis cum iis contendere, ostendens, se a divina revelatione ne latum quidem unguem in suis definitionibus aberrasse, Apostolum imitata dicentem 1. Cor. IX. 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.* Sed quando cum suis filiis obedientibus agit, Apostolorum pariter exemplum sequitur, qui exorta controversia legalium, primo magnam fieri conquisitionem permiserunt Act. cap. XV. 2. & seq. post autem re definita ad omnes fideles decretum transmiserunt, quo nullus amplius relinquebatur disceptandi locus, sed cæca ab omnibus obedientia exigebatur.

75. Verba autem Christi Domini Joan. XII. solum significant, omnium nostrorum dogmatum, morumque regulam esse divinum verbum, sive litteris scriptum, sive ore traditum, ad cujus normam in novissimo die omnes judicandi sumus. Hoc tamen non excludit vivum, ac infallibilem controversiarum judicem. Imo sicut Christus in novissimo die erit nostrarum actionum judex, utrum scilicet cum verbi sui norma concordent; ita oportebat etiam in terris esse aliquem judicem, qui ejus vice fungens de fide nostra, & moribus sententiam ferret, an scilicet verbo Dei concordent.

76. Obj. Sancti Patres exortis controversiis non ad alium judicem provocabant, quam ad Scripturas. Celebre inter alia est illud S. Augustini Maximino dictum Lib. II. contra ipsum c. 14. Tom. VIII. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tamquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed utriusque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Similia habet *de unic. Eccl.* c. 3. Consentiunt vero S. Basilius epist. 80. Optatus Milevitanus Lib. V. *adv. Parmenianum* c. 3. S. Athanasius epist. *de Synodo Arimin.* S. Ambrosius Lib. I. *de fide* cap. 4. aliique.

77. Resp. Id merito factum a S. Patribus, & etiam a nobis fieri, quotiescumque controversia cum iis est, qui Ecclesiæ definitionibus acquiescere renuunt, & solas Scripturas audire volunt; oportet enim cum eis de aliquo principio convenire, ex quo argumenta desumantur. Id tamen non probat, S. Aug. aliisque Patribus non fuisse de infallibili Ecclesiæ auctoritate quæstionibus definiendis persuasum. Sic Protestantes, quando ipsis disputandum est cum Judæis, ad solas Scripturas Vet. Test. se conferunt; quia eas solas Judæi admittunt: anne propterea quis infert eos novi Test. Canonicos Libros respuere? Ceterum quando S. Aug. contra Pelagianos disputabat, antequam facto schismate ab Ecclesia se separassent, Ecclesiæ definitione controversiam finitam esse dicebat (Serm. 132. *de Verbis Dom.* al. 2. in fine): *Jam de hac causa* (contra Pelagianos) *duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquandiu finiatur error.* Et incipiendo ab Apostolorum ævo perpetuus inter fideles usus obti-

(a) Idest magnus ille Propheta in lege promissus: ex Galilæa enim etiam alii Prophetæ fuerunt, ut Jonas.

(b) Erasmus in Comment. *Non minus Græcis*, inquit, *quam nobis incertum est, utrum scrutamini imperandi modo dictum sit, an indicandi.* Beza autem, Cameronius, aliique Heterodoxi in tempore indicativo hanc vocem accipiunt. Vid. *Synopsis Critic.* ad hunc locum.

tinuit, ut exortis majoris momenti controversiis, Ecclesiæ oraculum coactis Synodis audiretur.

## CAPUT IV.

*Ostenditur, spiritum privatum non esse tutum sacræ Scripturæ interpretem.*

78. Inter varias hominum sectas, quæ excusso semel catholicæ Ecclesiæ jugo, una post aliam continua successione prodiere, non omnino incelebris est illa, quæ medio circiter superiore sæculo in Anglia, Gregorio Foxio obstetricante erupit, & *Quakerorum*, seu *Tremulorum* dicta est, quod, cum se Spiritu divino afflatos putabant, toto corpore contremiscerent. Hæc secta, Magistratibus frustra invitis, non paucos nacta est proselytes, præcipue ex quo a celebri inter eos Rob. Barclaio meliorem in formam redacta fuit (*a*). Major eorum pars in Pensilvaniam migravit, quam provinciam in America Carolus II. Angliæ Rex Penno donaverat magno Quakerorum patrono (*b*). Eorum capitale dogma erat, Spiritum S. unicuique verum, germanumque Scripturæ sensum intime manifestare, eo fere modo, quo scriptoribus sacris primitus revelando dictavit.

79. A Quakeris in hac parte non differunt novi illi *Inspirati*, sive Neoprophetæ Cebennenses, quorum historiam una cum scriptis amebæis in eorum causa editis Jo. Georgius Walchius refert (*c*).

80. Sed, quod ad nos magis pertinet, Protestantium plerique, dum nullum alium controversiarum fidei judicem præter Scripturam sacram agnoscunt, in Quakerorum deliramenta incaute delapsi sunt, non aliam ad discernendos libros sacros, ac canonicos a spuriis, tum etiam verum, ac legitimum eorum sensum a falso regulam sequentes, quam privatum spiritum, seu internam Spiritus S. motionem, vel, ut Leibnitius ajebat (*d*), *per rationes inexplicabiles*, quibus divini luminis radio aliqui se veritatem agnoscere affirmant, licet ejusdem veritatis rationes explicare non possint (*e*).

81. Quantum autem a veritate aberrent, ostenditur primo ex epist. 2. S. Petri c. 1. 20. ubi inquit: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Porro, ut viri docti observarunt ( Estius in Comment. & Bacchinius *Lett. polem. Lett.* 2. §. 4. ), nomine *prophetiæ* hic non intelligitur, nisi expositio Scripturæ, quod aliis parallelis Sacr. Litterarum textibus confirmari potest, in quibus *prophetia* pariter sumitur pro expositione sacræ Scripturæ; unde laudati testimonii sensus hic est: *Cum non voluntate humana, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines, neque voluntate humana, seu interpretatione propria Scripturæ explicatio fieri debet*: ex quo colligitur, non privatum nostrum sensum, & arbitrium, sed Spiritum Sanctum ( cujus vox per unanimem Sanctorum Patrum consensum, & supremam Ecclesiæ auctoritatem personat ) firmam esse Scripturæ explicandæ regulam.

82. Deinde legitimus, ac tutus verbi Dei interpres debet esse infallibilis, ut nempe nos de rei veritate certos, pacatosque reddat: atqui hujusmodi non est spiritus privatus; nemo enim ignorat, fuisse sæpius hujusmodi privatos interpretes spiritu mendacii deceptos, dicente Ezechiele XIII. 3. *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident*: & nulla certa, clara, & aperta inter spiritum veritatis, & mendacii dijudicandi nota ab Adversariis hactenus allata est, aut afferri potest: ergo &c.

83.

(*a*) *Theologiæ vere Christ. Apologia*: Amstel. 1676. & in *Catechesi* ibid. 1679.

(*b*) Si quis hujus sectæ historiam nosse desiderat, adeat Gerhardum Croesium in *Historia Quakeriana* Amstel. 1496. recusa autem 1704. P. Catrovium *Hist. des Anabaptistes, du Davidisme, & des Quakers*. Paris 1733. Vol. 3. Extat etiam lepida cujusdam Quakeri epistola ad Voltairium, in qua plures circa Quakerorum historiam, & doctrinam errores huic scriptori convelluntur. Qui vero Quakerorum dogmata data opera impugnarunt, sunt Jo. Brown ex Presbyterianorum secta in opere inscripto: *Quakerismus via ad Paganismum*, Jo. Reiserus in *Anti-Barclajo* Hamburgi 1683. Jo. Guilelmus Bajerus in *Collatione* doctrinæ Quakerorum, & Protestantium Francofurti 1691. in 8. cum in *Synopsi, & examine Theologiæ Enthusiastarum recentiorum* Jenæ 1701. in 4. Jo. Georgius Neumannus in *Synopsi errorum Fanaticorum &c.* Wittembergæ 1695. in 8. Samuel Schelguigius in *Quakerismo confutato*, aliique, quorum catalogum exhibet Christ. Matth. Pfaffius in *Introduct. in Hist. Litter.* P. II. L. 3. ad §. 11.

(*c*) In der Historischen und Theologischen Einleitung, &c. c. 6. §. 16. Vid. etiam M. de Bruyes *Hist. du fanatisme de notre tems*. II. T. in 12. Utrecht 1737. & Samuel Turretinus *Préservatif contre le Fanatisme, ou refut. des prét. inspirées &c.* à *Geneve* 1723. *in* 8.

(*d*) In epist. quæ est in opusc. cui titulus: *de la tolerance des religions, Lettre de M. Leibnitz, & responses de M. Peligon* à Paris 1692. in 12.

(*e*) Id de Claudio, & Jurio Bossuetus ostendit in III. *Avertiss. aux Protestans num.* 15. & seq. Vid. etiam Muratorius *de Ingen. Moderat.* L. 1. c. 9. Lutherus sane in *Assertione omnium Articul. per bullam Leonis X. damnatorum* totus est, ut ostendat, S. Scripturas *proprio spiritu* esse intelligendas. Imo postquam laudasset Patrum studium, & diligentiam in Scripturis exponendis, subdit: *diligentiam pluribus quandoque non dare, quod dat vel uni sola occasio, & nescio quæ Spiritus impulsio*. Nonnunquam tamen & Lutherus, & ejus assecl*æ* videntur excludere spiritum privatum, & dicunt interpretationem Scripturæ non aliunde, quam ex ipsa Scriptura esse desumendam. Sed est lusus in verbis: rejecta enim suprema auctoritate Ecclesiæ, & *via examinis* invecta, semper verum est interpretationem fieri a quolibet privato, seu *spiritu privato*.

83. Id magis declaratur. Lutherus enim, Calvinus, aliique, quos ultima ætas tulit, Ecclesiæ pseudo-Reformatores, non solum cum Catholicis, sed etiam secum ipsis in Scripturæ interpretatione acerrime digladiantur, & quidem in rebus gravissimis, & capitalibus: ut ex. gr. de sensu verborum istorum: *Hoc est corpus meum*. Etiam insigne illud testimonium Jesu Christi apud Sanctum Joannem X. 30. *Ego, & Pater unum sumus*, tum illud 1. Epist. S. Joann. V. 7.; *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*. Lutherus de unitate essentiæ in divinis personis nobiscum interpretatur; contra alii privatum suum spiritum secuti de unione solum morali. Longum esset dicere de paradoxis, & absurdis opinionibus, quæ ferme quotidie apud Heterodoxos nascuntur, quasque eorum parentes, vel patroni ex Scripturis spiritu privato intellectis probare nituntur (a). Porro, cum veritas una sit, fieri certe non potest, ut omnes illæ sibi repugnantes sententiæ sint veræ: consequenter necesse est, spiritum privatum saltem aliquando falli. Quis autem litem dijudicabit? Spiritui privato unius alter spiritum suum privatum opponet, & unusquisque ab altero sciscitabitur, quemadmodum a Michæa sciscitabatur Pseudo-propheta Sedecias 2. Paralip. XIII. 23. *per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?*

84. Ad hæc. Vel spiritus privatus est judex tantum discretivus, & fallibilis, vel decisivus, & infallibilis. Si primum, cum nemo teneatur alterius spiritui fallibili fasces submittere, tot emergent sententiæ, & sectæ, quot capita; illudque repeti poterit, quod olim Tertullianus ajebat (*De præscript. Hæret.*). *Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare*. Id quod reipsa contigit; nam de Protestantium inconstantia luculentissimum argumentum præbent tot illæ sectæ, quæ ex sacris litteris secundum privatum uniuscujusque spiritum intellectis natæ sunt, & novæ in dies nascuntur. Neque id solum, sed unaquæque etiam secta non semel in suis dogmatibus vehementer variavit, qua de re satis est videre aureum Bossueti librum *de variationibus Ecclesiarum Protestantium*. Si vero Adversarii spiritui privato infallibilem judicis decisivi auctoritatem conciliare audeant, id unicuique mulieri tribuent, quod universis Ecclesiæ præsulibus denegant, & vel omnem prorsus auctoritatem tollent anarchia invecta, vel tyrannidem multo majorem ea inducent, quam se (ut loquuntur) detestari in Papismo profitentur (b).

85. Obj. tamen Adversarii aliqua ex sacris litteris ad confirmandum spiritum privatum. Primo Deus ore Isaiæ promittit, fore tempus, in quo omnes ab ipso immediate interna illustratione doceantur. Cap. LIV. 12. & 13. *Ponam.... universos filios tuos doctos a Domino*, & Jeremiæ XXXI. 33. & 34. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.... Et non docebit ultra vir proximum suum*. Jam vero hujusmodi promissionem in novo Testamento adimpletam esse Christus testatur Joan. VI. 45. *Scriptum est in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Ulterius S. Joannes ep. 1. cap. 2. 20. & 27. *Sed vos*, inquit, *unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia.... Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*. In eadem epist. cap. IV. 1. dilectus Apostolus nos monet, ut spiritum nostrum diligenter examinemus: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*: pro certo itaque habet, spiritui privato credendum esse, semel ac constiterit, ipsum ex Deo esse. His verbis consonat etiam Apostolus Paulus I. ad Thessal. V. 19. dicens: *Spiritum nolite extinguere; prophetias nolite spernere; omnia autem probate, & quod bonum est, tenete*; ac demum 1. Corinth. II. 14. & 15. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.... spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur*.

86. Resp. ad 1. Hunc esse sensum promissionis

fa-

(a) De iis vid. Bossuet *Dernier avertissement aux Protestans*, & Bacchinius *Lettere Polemiche* let. 1. §. 20.

(b) Protestantes, ut fucum imperitis faciant, magnificis verbis prædicare solent, se tantummodo fidere Scripturis sacris, easque solas Ecclesiæ anteponere. Reipsa tamen non Scripturas, sed privatum suum judicium toti Ecclesiæ præponunt. Controversia enim inter nos, & illos in eo præcise sita est, an in Scripturarum intelligentia debeat quilibet fidelis via auctoritatis procedere, credendo definitionibus Ecclesiæ, an via examinis, qua scilicet, seposita quacumque auctoritate, etiam omnium Ecclesiæ pastorum, debeat quilibet rem proprio judicio examinare, & illum Scripturæ sensum amplecti, qui legitimus & verus privato spiritui visus fuerit. Non itaque disputatur, an Ecclesia sit Scripturis præponenda; sed an privatum cujuslibet judicium sit præponendum judicio Ecclesiæ totius. Hoc illi affirmant, & hoc affirmantes, privato cujuslibet judicio eam infallibilem tribuunt judicandi potestatem, quam Ecclesiæ auferunt. Hoc autem quam absurdum sit, facile quisque videt; deberet enim quilibet etiam rudis, & idiota prorsus contemnere omnes, quotquot hactenus fuere, Sanctos, Doctores, & Martyres Ecclesiæ, imo vel ipsa prima Concilia œcumenica, quæ instar quatuor Evangeliorum veteres Christiani venerabantur; atque apud se constituere, potuisse hos omnes esse hypocritas, quibus Deus veritatis spiritum concedere noluit; neque antea posset eos tanquam veræ Ecclesiæ membra agnoscere, quam illos sibi consentientes in Scripturarum intelligentia invenissent. Hoc horribile paradoxum Jo. Claudius admittere non est veritus, quanquam illud variis argutiis, & æquivocationibus emollire conatus fuit, ut videre est apud Petrum Nicolium *Oeuvres de controverse* Tomo III. P. II. cap. 6.

factis a Deo per Isaiam, & Jeremiam, venturum esse tempus, in quo non amplius Prophetarum ore Deus populum suum docebat, sed ore Filii sui, quando nempe illum mittet in mundum; quod Christus adimpletum esse iis verbis innuit: *Scriptum est in Prophetis* &c., clarius autem Apostolus Paulus initio epist. ad Heb. dicens: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Laterem porro lavare videntur, qui aliquid pro spiritu privato hinc conantur eruere.

87. Ad 2. ex epist. 1. S. Joann. cap. II. resp., nomine *unctionis* intelligi proprie gratiam Dei interiorem, qua, ut inquit S. Thomas explicans hunc locum (2. 2. qu. 8. art. 4. ad 1.) justi *circa, quæ sunt de necessitate salutis, sufficienter instruuntur a Spiritu Sancto*. Inde tamen non excluditur magisterium Ecclesiæ, quo de dogmatibus Religionis certissime, & sine ullo erroris periculo instruamur. Alioquin, ut bene S. Augustinus observat (Tract. III. in hoc cap. II. ep. 1. S. Joannis), supervacanea fuisset hæc ipsa epistola S. Joannis. *Tu dixisti, quia* unctio ipsius docet vos de omnibus; *ut quid talem epistolam fecisti? quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas?*

88. Aliud S. Joannis monitum ex cap. IV. *probate spiritus, si ex Deo sint*, referendum est ad Pseudo-prophetas, quos ibidem vitandos esse, Apostolus monet, subdens: *Quoniam multi Pseudo-prophetæ exierunt in mundum*. Hos autem facile cognosci posse dicit, si doctrinam spargant veræ Christi divinitati, atque humanitati contrariam, unde statim addit: *In hoc cognoscitur spiritus Dei; omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus, qui solvit Jesum* (hoc est alterutrum negat, sive ejus divinitatem, sive humanitatem) *ex Deo non est, & hic est Anti-Christus*. Quod perinde est, ac si nos diceremus: omnis, qui aliam doctrinam prædicat a doctrina Ecclesiæ, est hæreticus, & non audiendus. Nullatenus autem hinc voluit S. Joannes innuere, posse nos spiritui privato in sacris Litteris interpretandis credere.

89. Quod autem Apostolus Paulus Thessalonicensibus præcipit: *spiritum nolite extinguere* &c. hunc habet sensum: nolite Spiritus S. dona, quæ dantur ad aliorum utilitatem, prohibere, neque prophetias spernere, seu interpretationes Scripturarum, quæ ab aliis proferuntur. Sed tamen monet, ne omnia sine debito examine recipiant, subdens: *Omnia probate* &c. quæ verba non ita intelligenda sunt, ut quilibet juxta privatum suum spiritum debeat examinare, judicare, & eligere, *quasi non liceat*, ut inquit apposite Tertullianus *de Præscript. Hæret.* c. 5. *omnibus male examinatis in electionem alicujus mali impingere per errorem*, sed omnia probanda sunt juxta magisterium Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

90. Postremum ex epist. 1. Cor. capit. II. non ita intelligendum est, quasi homo spiritualis, idest in lege Dei perfecte instructus, possit omnia judicare secundum suum privatum spiritum judicio potestatis, sed judicio discretionis, prout Ecclesiæ magisterio edoctus est. Sicuti legisperitus potest de multis judicare, quæ alii minime intelligunt, judicio tamen discretionis tantummodo; judicare enim judicio decisivo, & potestatis pertinet ad judicem. Et quod additur, *ipse autem a nemine judicatur*, cum restrictione sumendum est; scilicet a nemine, qui non sit æque, aut magis spiritualis, & perfectus; nam Sanctum Petrum, qui utique spiritualis erat, fuisse a S. Paulo aliquando judicatum, & reprehensum legimus.

91. Dices. Christus Dominus Luc. XI. 13. sine dubio promittit, quod *Pater noster de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se*: unde etiam S. Hieronymus epist. 53. ad Paulinum n. 2. de Scripturarum intelligentia sequens, inquit: *petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit*: ergo &c.

92. Resp. Nomine *spiritus boni* hic non intelligi spiritum privatum interpretandi Scripturas, sed bona gratiæ, quæ Deus iis non denegat, qui orant sicut oportet; unde S. Matthæus eadem Christi verba referens cap. VII. 11. bona in genere commemorat, dicens: *Quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Spiritum ergo intelligendi sacras litteras a Deo obtinemus, sicut & alia bona, si oraverimus, prout oportet. Sed quisnam certus omnino sit, se orare, sicut oportet, dicente Apostolo Rom. VIII. 26.: *quid oremus, sicut oportet, nescimus?* Adde, intolerabilem esse eorum præsumptionem, qui sibi persuadent, posse se veram Scripturarum intelligentiam assequi sine magisterio Pastorum, & Doctorum, quos teste Sancto Paulo Ephes. IV. 11. *Deus nobis dedit, ne simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*.

## CAPUT V.

*Demonstratur, humanam rationem esse non posse sacrarum Scripturarum interpretem.*

93. In religionis negotio suus esse debet rationi locus: danda tamen est opera, ne hæc debitos sibi fines audacius prætergrediatur, & suprema divinæ revelationis jura lædat. Videlicet, nedum licitum, sed plane utilissimum cuique est motiva nostræ credibilitatis expendere; at postquam evidentibus argumentis convicti fuerimus, divinam in sacris litteris contineri revelationem, nullus amplius rationi ad dogmatum naturas, causasque investigandas, discutiendasque locus est, sed cæca fide illud omne credere oportet, quod constiterit

rit a Deo fallere, & falli nescio fuisse revelatum. Sed quidam id minime attendentes, nonnisi illud credendum esse statuerunt, quod infirmis, & caligantibus rationis nostræ oculis verum perspicue visum fuerit. Hinc rationem unicam esse volunt Sacræ Scripturæ interpretandæ regulam.

94. Vetus hic error Manichæorum fuit, quem S. Augustinus in Lib. *de utilitate credendi*, Tomo VIII. multis argumentis confutavit (*a*). Iterum tamen suscitatum novimus a quibusdam Scholasticis, qui neglectis purioribus Theologiæ fontibus, scilicet Scripturæ Sacræ, & traditionis oraculis, potissimas partes in stabiliendis Fidei dogmatibus rationi deferebant; de quibus proinde Gregorius IX. ajebat (apud Nat. Alexand. *Hist. Eccl.* Sæc. XIII. cap. 1. art. 3.); *Dum fidem conantur plus debito ratione adstruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem?* Inter alios huic scopulo magis allisit Petrus Abailardus, docens: *nihil fide esse credendum, quod virtutem intellectus excedat*. Quanquam Scholastici mysteria jam revelata non de medio tollere, sed tantummodo naturali ratione probare nitebantur.

95. At vero majori licentia, nostra, Patrumque nostrorum memoria a Socinianis, aliisque, qui omnia a Religione mysteria eliminare conabantur, Scriptura rationi subjecta fuit. Celebres sunt turbæ superiore sæculo hac de causa in Hollandia excitatæ, Dukerio, Roellio, auctore *Diss. Paradoxæ*, aliisque primas rationi, & Philosophiæ in sacrarum Scripturarum interpretatione dandas esse contendentibus (*b*).

96. Quam sit hæc opinio absurda, prob. 1. ex sacris litteris. Apostolus Paulus ad Heb. XI. 1. *Est autem fides*, inquit, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: rerum nempe, quæ nullo rationis argumento probari possunt; qua vel sola fidei definitione luculenter apparet, eos, qui rationem in fidei controversiis judicem statuunt, perinde facere, ac eum, qui orta de coloribus lite, cæcum constitueret ejusdem arbitrum.

97. Præt. idem Apostolus 2. Cor. X. 4., & 5. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei*; ac Rom. cap. XI. post explicatum arcanum gratiæ, & prædestinationis mysterium, ita demum v. 33. concludit: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

98. Addi possunt & illa verba Christi Domini Matth. XI. 25. *Confitebor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: & cap. XVI. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*. Quibus omnibus quid insinuatur, nisi doctrinam Christianam esse supra rationem, totamque a revelatione pendere, ut proinde omnino aberrent, qui eam ad rationis amussim exigere volunt?

99. Id ipsum communi calculo confirmant sancti Patres, ut S. Basilius Magnus, qui Hom. in Psalm. CXV. fidem definit *assensum nulla prævia inquisitione nitentem*; & L. II. *adv. Eunom.* post multa egregie in hanc rem disputata ita concludit: *Nam si cuncta intelligentia nostra mensurare voluerimus, & quod mente non capimus, id nihil omnino esse putaverimus, amittetur profecto fidei, amittetur etiam spei remuneratio*. Quorum similia habet Sanct. Athanasius inquiens L. II. contr. Apollin. *de salutari adventu J. C.* num. 11.: *Non enim fides evidenter apparens fides dici poterit: verum fides est, quæ quod impossibile est in potentia, quod infirmum in virtute .... esse credit*; tum Sanct. Joann. Chrysostomus Hom. XXIV. in Joan., qui *ideo*, inquit, *nos fideles appellamur, ut humanarum cogitationum veritate contempta, ad fidei altitudinem evadamus*. Ac demum notissima est illa Sancti Gregorii Magni sententia Homil. XXVI. in Evang. *Nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*.

100. Porro nullus esset dicendi finis, si omnia aliorum Ecclesiæ Patrum testimonia in hanc rem afferre vellemus. Duo tamen Patres silentio minime sunt prætereundi, Ss. Cyrillus Alexand. & August. quorum prior Lib. II. *contr. Julianum*: *Oportet*, inquit, *quæ supra nos sunt, fide venerari, non ratione inquirere. Imbecillior quippe mens hominis est, quam ut intelligentia cape-*

(*a*) Jo. Phereponus, sive Jo. Clericus S. Augustinum in contrarium errorem incidisse commentus est, quasi omnem in Religione rationis usum eliminaverit; sed Ludov. Muratorius eum pro meritis castigavit. Confer cap. V. Lib. I. *de ingeniorum moderatione in religionis negotio*. Hanc ipsam calumniam Sancto Doctori impegit Jac. Basnagius in *Hist. Eccl. reform.* Tomo I. P. I. c. 4. art. 2. Sed S. Doctorem vindicavit Bossuetus *dern. avertiss. aux Protestans* num. 72.

(*b*) Ut nihil dicam de absurdis paradoxis Jo. Jac. Rousseavii, qui cum alibi sæpe, tum præcipue in suo *Emile* Tomo III. p. m. 139. rationem in rebus fidei judicem esse debere, hoc sophismate contendit: *Deus, quem adoramus, non est Deus tenebrarum, nec ideo mihi rationem largitus est, ut ea non uterer &c.* Sed non meminit hic auctor eorum, quæ aliis in locis ejusdem operis vere docuerat, Deum utpote ens infinitum adeo lumen nostræ rationis excedere, ut vix aliud cognoscere possimus, quam eum esse. Ita Tomo II. p. 214. T. II. p. 58. & alibi. Rationem autem nobis largitus est Deus, ut ea uteremur in iis, quæ ipsa cognoscere potest; atque ut ipsa docente intelligeremus, Deo primo veritatis fonti esse omnem fidem præstandam, etiam in Mysteriis, quæ illam longe superant.

*pere illa possit*. S. autem Augustin. Tract. XX. in Joann. *Credimus*, inquit, *ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere, quod non vides?* In libro autem *de utilitate credendi* totus est, ut hanc veritatem & argumentis, & exemplis confirmet.

101. Obj. 1. Spiritus Sanct. nos monet Ecclesiastici XIX. 4., ne facile credamus; nam *qui cito credit, levis est corde*. Cui simile est ἐπιχαρμεῖον illud ( apud Q. Ciceronem *de petitione Consul.* capit. 10. ): *Nervos, atque artus esse sapientiæ, non temere credere:* nihil itaque credendum est, quod non certa, & evidenti ratione constet.

102. Resp. cum S. Augustino, nos non temere, nec cito credere, cum sacris litteris credimus, quarum divinam auctoritatem evidentissimis argumentis compertam habemus. *Christus enim*, inquit S. Doctor cap. 14. *de utilit. cred.* n. 32., *miraculis sibi conciliavit auctoritatem; auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem; multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit Religionem, quam non solum Hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans aliqua ex parte convelleret.* Et S. Bernardus epist. 170. c. 1. *Quid magis*, inquiebat, *contra rationem, quam rationem velle transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possis ratione attingere?* Vid. S. Thomas Lib. I. *cont. Gent.* c. 6.

103. Inst. Apost. Rom. XII. 1. exigit a nobis obsequium, sed *rationabile:* & S. Petrus epist. 1. c. III. 15. vult, ut simus *semper parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide* ( ut in edit. Sixtina legitur ): ergo &c.

104. Resp. in hoc esse *rationabile* nostrum obsequium, quod sine evidentibus credibilitatis motivis Dei revelationem non credimus; sed hac semel constituta, ipsa sana, & recta ratio dictat, quidquid ei revelare placuerit, sine ulla dubitatione credamus, etiamsi nostræ mentis aciem longe superet: sicut enim plura in se habet Deus, quæ nos possimus sola ratione duce cognoscere, ita etiam plura revelare potuit, quæ nostram intelligendi capacitatem superant. Egregium nobis hac in re præbuit exemplum Abraham Pater omnium credentium, qui præceptum immolandi filium utut videri posset rationi contrarium, adimplere paratus erat. Eodem sensu intelligenda sunt verba S. Petri; quanquam in Vulgata ita legitur: *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*. Et ita etiam habet textus græcus, περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδ.

105. Obj. 2. S. Augustinus epist. 143. alias 7. hanc tradit regulam: *Si manifestissimæ, certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati, nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.*

106. Resp. Aliud est, nihil a Deo nobis in sacris litteris revelari, quod rectæ rationi opponatur, aliud nihil revelatum esse supra rationis captum. Primum asserit S. Doctor, quod nos etiam supra ( P. I. Dissert. II. cap. 7. ) fusiori calamo probavimus; non autem secundum: imo contrarium ibi immediate antea docuerat, dicens: *si ratio contra divinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamtumlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest;* & Lib. IV. *de Trin.* cap. 6. *Contra rationem*, inquit, *nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

107. Objic. 3. (*a*). Scriptura Sacra nobis a Deo non est, nisi *mediate*, nempe per sacros Scriptores, & quidem mediis vocibus, quibus sensus suos declararunt; contra vero ratio nobis est a Deo *immediate;* æquum est igitur, ut hanc illi præferamus &c. Accedit, quod ratio nostra innititur evidentiæ, revelatio autem plerumque obscura est; jam vero communis hominum sensus dictat, obscura esse per clariora explicanda, non contra; ergo etiam revelatio erit subjicienda rationi, non ratio revelationi.

108. Resp. In hoc Scripturam Sacram infinitis parasangis rationem nostram superare, quod illa, utpote verbum Dei, nulli sit vel minimo errori obnoxia; nostra vero ratio sit finita, imo angustis admodum limitibus coarctata, & erroribus exposita; unde fit, ut semel ac certo constiterit, Deum locutum esse, illius voci duntaxat attendere debeamus. Et quamvis quæ per rationem cognoscimus, majorem habeant evidentiam; quæ tamen fide credimus, majorem habent certitudinem, ut præclare demonstrat Sanct. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 8.

109. At vero si ita est, inquiunt Adversarii, nullatenus a Mahumetanis differemus, apud quos una sine ratione valet auctoritas.

110. Resp. cum S. Augustino, utrumque extremum declinandum esse; nam & suus rationi concedi debet locus, quæ nobis facem præbeat tum ad revelationem, tum ad Ecclesiam, quæ revelationis est custos, cognoscendam; cum autem ad id pervenerimus, quasi extinguitur rationis lumen circa mysteriorum essentiam, quorum rationem ignoramus, solaque nos ducit auctoritas, cui ratione ipsa duce tutissime adhæremus. Ceterum recte observat S. Doctor *de utilitate credendi* cap. ult., in hoc errare Adversarios, quod dum nos excitant, ut rationi plus nimio deferamus, *de lethar-*

(*a*) Cum Auctore epistolarum *sur la Religion essentielle à l'homme* P. III. ad object. 7. in nota (*a*).

*thargicis phreneticos faciunt; inter quos morbos, cum sit uterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quod lethargici sine aliena vexatione moriuntur; phreneticus autem multis sanis, & iis potissimum, qui volunt subvenire, metuendus est*. Non simus igitur lethargici, sine evidentibus *credibilitatis* motivis leviter credentes, quod Mahumetani faciunt; nec in oppositum vitium incurrentes simus phrenetici, mysteria divina imbecilli nostræ rationi furiose subjicientes. Dignus est, qui hac de re legatur Angelicus Lib. I. *con. Gent.* cap. 6., ubi discrimina multa nos inter, & Mahumetanos breviter simul, & luculente ostendit.

## CAPUT VI.

*Demonstratur, eos, qui viam examinis in Fidei controversiis institui volunt, necessario in* Tolerantismum, *seu* Indifferentismum *labi*.

111. Tolerantia duplex est, alia *civilis*, & *politica*, qua scilicet Principes, & rerum publ. Magistratus diversarum Religionum homines in suis ditionibus tolerant; alia *religiosa*, & *theologica*, qua in Religionis negotio ampla unicuique libertas conceditur, ut quæ ipsi sententia verior visa fuerit, eam sine ullo salutis periculo adoptet (*a*). Fuit hic error Apellis hæretici sæculo II., qui ut Eusebius narrat *Hist. Eccles.* Lib. V. cap. 13., *asserebat esse non omnino examinandam fidem; sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, præstare oportere. Quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmat; dummodo in bonis operibus deprehenderentur*. Eandem hæresim S. Augustinus *a Rhetorio quodam exortam* ex Philastrio refert *de Hæresibus* n. 72. *quæ omnes Hæreticos recte ambulare, & vera dicere affirmat; quod ita est absurdum*, subdit S. Pater, *ut mihi incredibile videatur*. (Vid. Philastrius *de Hæresibus* num. 90.)

112. Sed quod Sanct. Augustino prorsus absurdum, atque incredibile videbatur, nos propriis oculis conspicimus. Iis enim vivimus temporibus, in quibus *Indifferentismus* heu quantum! grassatur. Porro *Indifferentismus theologicus* iterum partiri solet in *universalem*, quo omnes prorsus Religiones, & sectæ probantur, isque fere cum *Naturalismo*, aut etiam *Deismo* convenit (*b*); & *particularem*, in quo revelatio divina tanquam basis, & fundamentum admittitur, sed variæ Communiones, quæ doctrinam a Deo revelatam sectari se credunt, tametsi secum ipsis omnino pugnent, ex æquo tolerantur, non solum tolerantia *civili & politica*, de qua nos minime disputamus, sed etiam *theologica*, itaut possit unusquisque secundum rectam Theologiam in sua secta salutem consequi.

113. Qui hunc *Indifferentismum* profitentur, non undequaque inter se concordant: sunt enim, qui arctioribus limitibus eumdem definiunt, docentes eos solos esse tolerandos, qui nedum in confitenda Religione Christiana, sed etiam in præcipuis quibusdam ejusdem Religionis articulis, *quos fundamentales* vocant, inter se consentiunt (*c*). Alii vero id latius extendunt, contendentes, ea solum esse necessario veluti dogmata fidei credenda, de quibus omnes ad unum Christiani consentiunt; ea vero, in quibus aliqua dissensio est, pro *ἀδιαφόροις* reputanda (*d*).

114.

(*a*) Joan. Jac. Rousseavius hanc distinctionem irridet, ut puerilem *Émile* Tom. III. p. 172. in nota; quis enim non videat, aliud esse, homines errantes tolerare; aliud tolerare eorum errores, quasi nihil æternæ ipsorum saluti noceant? Prima tolerantia civilem hujus mundi vitam respicit, altera æternam. Hanc tamen distinctionem postea probare visus est idem Rousseavius in epist. ad Archiepiscop. Paris.; sed solitis suis Paradoxis indulgens tolerantiam theologicam probat, civilem, & politicam damnat.

(*b*) Hujusmodi Indifferentismum profitebantur Spinoza *in tractatu theologico politico de libertate philosophandi*, Antonius Collinsius, Jo. Tolandus, aliique hujus furfuris, quorum libertatis specimen exhibere possum verbis Theod. Lud. Lau in impiissimo opere, cui titulus: *Meditationes philosophicæ de Deo, mundo, & homine* supra relatis in P. I. Dissert. II. n. 124. not. (a) Hujus *indifferentismi* professores vocantur etiam *Latitudinarii*, vel *Moralistæ*, quia a suis asseclis nullam exigunt dogmatum fidem, sed solum morum honestatem.

(*c*) Fuerat hoc systema a plerisque delineatum, ut a Jo. Claudio *Defense de la Religion Reformée*, a Mastrezatio *Traité de l'Église*, ab Huisseavio Ministro Salmuriensi in libro *la Réunion du Christianisme* (quanquam hic habenas plusquam aliis laxavit, in sua Christianorum unitate etiam Socinianos comprehendens), & ab aliis. Sed nemo explicatius, & clarius illud proposuit, quam Petrus Jurius in libro *Verus Ecclesiæ systema* in 8. a Dordrecht 1686. & in altero, quem Nicolii tractatui *de l'unité de l'Église* biennio post opposuit, cum hoc titulo *De unitate Ecclesiæ, & articulis fundamentalibus*, contendens, omnes eos ad essentialem Ecclesiæ unitatem pertinere, qui veritates *fundamentales* conservarunt. Quos tamen libros simul cum aliis Jurii operibus acriter pro merito exagitavit, vel inter ipsos Pseudo-Reformatos Elias Saurinus in *Examine Theologiæ Jurii*; unde majorum postea dissensionum origo facta est, de quibus ad nos nihil attinet dicere. Contra Jurium æmulum suum in scenam venit etiam Bælius lepidissimo libro, quem sub larvato nomine Cari Larebonii edidit 1692. cum hoc titulo: *Janua cælorum reserata functis Religionibus a celebri adm. viro Petro Jurieu &c. Porta patens esto, nulli claudatur honesto*. Ipse tamen Belius systema tolerantiæ longe majoris, imo latissimum *indifferentismum* in Religionis negotio invehere nisus est, contendens, unumquemque teneri ad eam opinionem sequendam, quam putat esse veram, seu, ut ipse loquitur, ad sequendam *veritatem putatitiam*: Tomo II. Op. pagin. 219.

(*d*) Ita totidem fere verbis Jo. Clericus in Dissert.

114. Jam vero *Indifferentismi*, qui nostra, Patrumque ætate late serpere cœpit, prima origo ab Arminianis, seu Remonstrantibus (*a*) repetenda videtur; hi enim cum fuissent in Synodo Dordracena condemnati, anathemate percussi, & ab Ecclesia ejecti, inique secum agi merito conquerebantur, hoc ferme ratiocinio utentes. Excussa semel infallibili Ecclesiæ auctoritate, quam fidei controversiarum judicem Catholici agnoscunt, nulla ratione ii culpandi sunt, qui a Calvino, aut quocumque alio homine dissentiunt; quo enim jure potuit Calvinus a receptis Ecclesiæ sententiis recedere, eodem potest quilibet a Calvino dissentire, si ipsum a vero, legitimoque Scripturæ sensu aberrare viderit: si enim tota Ecclesia, hoc est, integer Pastorum, oviumque cœtus errare potest, multo magis Calvinus, aut quilibet alius, utut doctissimus, errori obnoxius esse poterit (*b*).

115. Hujusmodi ratio adeo valida visa est, ut ex tempore plerique aut ad Catholicæ Ecclesiæ gremium redierint, aut ad laxissimum *Indifferentismum* declinaverint; & quidem merito, ita enim recte colligebat Isaacus Papinius, Ecclesiæ olim Anglicanæ Minister, post autem ad catholicam unitatem reversus (*c*): *Mihi persuasum fuit, Protestantes, si vel latum unguem a Tolerantismo recederent, a Catholicis vinci; vinci vero ab Hæreticis, & Infidelibus, si non recederent, quibus arma ad se defendendum suppeditant; neque enim facere possunt, quin omnibus salutem concedant, plenamque credendi, & docendi quidvis libuerit, tribuant facultatem. Eadem argumenta, quibus Tolerantes eos ferendos esse probant, qui sacras litteras, quacumque demum ratione explicentur, pro fidei regula habent, non minus efficaciter probant ferendos esse Infideles, & generaliter quotquot bona fide se esse profitentur, etiamsi Athei essent. Et quibus momentis a tolerantia Christianismi hostes excludunt, etiam tolerantia eos omnes indignos esse pronunciant, quos tolerandos esse profitentur.*

116. Sed non erit abs re, aliud simile testimonium Petri Coste afferre. *Annon verum est*, inquit ille num. 10. suæ dissert. Protestantes alloquens, *Scripturam Sacram esse unicam fidei Christianorum regulam, nullamque in terris esse ejus interpretem infallibilem? Utrumque omnibus Protestantibus principii loco est. At vero, si id sincere profitentur, prout millies in suis sermonibus, Fidei confessionibus, & libris contra Romano-Catholicos editis professi sunt, etiam confiteri debent, æquale esse unicuique Christiano jus, Scripturam Sacram per se ipsum interpretandi, eamque doctrinam, quæ Christianorum uni est articulus Fidei, quia eam in Scripturis videt, alteri non esse, quia eam in iisdem Scripturis invenire non potest; ac consequenter nemo ex Protestantibus jure potest eos infamare, anathematizare, & pro hæreticis habere, qui postquam omnem diligentiam in sacrarum litterarum studio impenderint, quodvis aliud, quam consubstantiationis, ubiquitatis Corporis Christi, & prædestinationis absolutæ dogmata inveniunt:* & ita prosequitur, clarissime ostendens, rejecto semel infallibili Scripturarum interprete, & concessa unicuique examinis facultate, nulli hominum posse molestiam creari, ex quo ab aliis dissentiat, dummodo in se bona fide, & ex interna animi persuasione facere profiteatur.

117. Aliquod huic malo remedium Protestantes afferri posse putarunt, multiplicatis professionibus fidei, & cogendo homines, ut Synodorum definitionibus se submitterent. Id factum est Synodo Dordrechtana, damnatis *Arminianis*, & in Charetoniana anno 1644. proscriptis *Independentibus*. Veruntamen nihil magis absurdum, & Protestantium principiis repugnans, quam hujusmodi remedium. Protestantes enim volunt, quamcumque Synodum, etiam ex omnibus mundi partibus coactam, errori obnoxiam esse, & fieri posse, ut ali-

*de eligenda inter dissentientes Christianos sententia*, quam tractatui Hugonis Grotii *de veritate Religionis Christianæ* adnexuit: cum etiam in opere Gallico *de l'Incredulité*. Vestigia secutus est Jo. Lockii, qui hanc *Tolerantiam* primo proposuit in *epistola de Tolerantia ad Cl. virum* T. A. R. P. T. O. A. *scripta* a P. A. P. O. J. L. A., *hoc est Theologiæ apud Remonstrantes Professorem, tyrannidis osorem Lymburgium Amstelodamensem; Scripta a pacis amico, persecutionis osore Jo. Lockio Anglo* ( extat inter opera ipsius posthuma ann. 1710. ); tum in *Christianisme raisonable*, quem in gallicum idioma vertit Petrus Coste, & dissertatione auxit, *où l'on établit le vrai, & l'unique moyen de réunir tous les Chretiens, malgré la différence de leurs sentimens*. De hodierna Protestantium tolerantia legatur elegans juxta, ac solida epistola VII. doctissimi P. Engelberti Klupselii Augustiniani in Fascic. 3. Volum. 3. *Biblioth. nova ecclesiast. Friburgensis*.

(*a*) Arminiani dicti sunt a Jacobo Arminio, qui cum in aliquibus punctis, maxime de gratia, & prædestinatione, a Calvini doctrina recederet, acres habuit cum Franc. Gomaro rigido Calvinista controversias. Porrò ad has controversias pacandas ann. 1618. habita est Synodus Dordrechtana, in eaque Gomaristarum, & Principis Mauritii de Nassau præpotentia Arminii damnati sunt. Barnevelius magnus Pensionarius eorum patronus fuerat antea capite plexus; Hugo Grotius carceri addictus, multi exilio pulsi; ceteri omnes afflicti sunt, ut Abr. Calovius in *Consideratione Arminianismi* describit. Mitto Gasp. Brantium in *vita Jac. Arminii*, Jac. Triglandium in *Refutatione apol. Remonstr.*, aliosque. Arminianorum tamen factio majores quotidie vires sumpsit, & doctissimos inter Protestantes vires acquisivit.

(*b*) Id latius exponit Jo. Vyrenbogardus epist. 325. inter *epist. præstantium virorum* a Phil. Limborchio edit. Vid. etiam Bossuetus *Hist. des variat.* Lib. XIV. n. 67. & seq. & VI. *Avertiss. aux Protestans* P. II. & III.

(*c*) In Libro *les deux voies opposées, en matière de Religion, l'examen particulier, & l'autorité*. II. Part. Sect. I. n. 13.

liquis simplex, & rudis homo verum, & germanum Scripturæ sensum attingat, quem Synodus non attigit; hinc unicuique Synodorum definitiones examinandi potestatem faciunt; quemadmodum primi Novatores definita jam, & a tota Ecclesia recepta dogmata ad incudem rursus vocarunt, imo & rejecerunt; ergo & Synodi, & fidei formulæ inutile prorsus remedium sunt ad continendos in fide populos, unitatemque Religioni servandam. Ita semper responderunt *indipendentes;* nec unquam potuit, aut potuerit hoc eorum argumentum solvi.

118. Atque ex hoc principio tot, & tam diversæ natæ sunt inter Protestantes sibi ipsis repugnantes sectæ, quæ cum æquali gaudeant in Scripturis interpretandis auctoritate, debent se mutuo tolerare; neque enim una potiore jure fruitur, quam altera, ut proinde una possit alteram merito condemnare (*a*).

119. Sic vivente adhuc Luthero orti sunt *Anabaptistæ*, qui baptismum infantibus, aut sine trina immersione collatum nullum esse contendebant; quia in sacris litteris, ubi omnia dogmata perspicue contineri dicebatur, nihil de baptismo infantum, aut de baptismo per aspersionem invenire poterant. Hi a Pelargo, seu Nic. Storkio Lutheri discipulo primam originem agnoscunt. Sed postea in varias sectas & ipsi subdivisi sunt, quas alii 14., alii etiam plures numerant; earum autem præcipua est, quæ *Mennonistarum* audit, a Mennone Simonis ejus institutore. Hæc secta postea Socinianismi accusata fuit; unde illud: *Anabaptistam esse indoctum Socinianum & Socinianum doctum Anabaptistam.*

120. Eodem tempore orti sunt *Synergistæ*, qui Melanchtonis magisterio gloriantur. Hinc enim a primo Lutheri errore de servo arbitrio, & fatali illa prædestinatione, quæ libertatem perimebat humanam, recedens, hominem suis viribus gratiæ cooperare docuit; unde postea ejus asseclæ *Synergistæ*, seu *Cooperantes* dicti sunt, & in contrarium Semipelagianorum errorem declinarunt. Cujus erroris merito etiam accusantur *Huberiani*, doctrinam sequentes Sam. Huberi, qui omnes omnino homines ad vitam æternam eodem modo prædestinatos esse effutiebat, ut totum inter Sanctos, & reprobos discrimen non ab electione divina, sed ab humana voluntate repetatur.

121. His oppositi sunt *Flaciani*, ita vocati a Matthia Flacio Illyrico, qui disputans cum Victorino Strigelio, Synergistarum promacho in celebri collatione Vinariensi ann. 1560. ut peccatum originale firmius assereret, voluit ipsum esse hominis substantiam; quem postea errorem pertinacissime defendit; unde & *Manichæismi* accusatus fuit: ac tandem loco motus, exul, & miser vitam finivit.

122. Haud leves etiam inter Lutheranos fuere *Osiandristicæ* controversiæ excitatæ ab Andrea Osiandro ferocis ingenii homine, qui nos justificari dicebat per intimam, & substantialem justitiæ divinæ unionem; hancque absurdam sententiam audacissime contra Lutherum defendit. Contra hunc autem disputans Franc. Stancarus, religionis Catholicæ desertor, Christum Jesum tantummodo ut hominem mediatorem nostrum esse, contendebat. Quem errorem postea acrius defendere nisus est edito libro ann. 1562. cui titulus *De Trinitate, & mediatore* D. N. J. C. &c.; nec paucos nactus est sectatores (*b*).

123. Non paucos asseclas etiam invenit Joann. Agricola, Islebius, qui *Antinomi* dicti sunt, quia Christianos a legis observatione liberos esse dicebant. Contra eos Lutherus sex edidit dissertationes; sed irrito labore; nam etiam post mortem Lutheri Antinomorum Secta turbas excitare non destitit.

124. Secutæ deinde sunt celebres controversiæ *Syn-*

(*a*) Eadem semper fuit omnium hæresium fortuna. Sic S. Irenæus Lib. I. c. 21. & seq. observat, ex Simone Mago omnium hæreticorum patriarcha continuo ortos esse Menandrianos, Saturnianos, Basilidianos, aliosque. Antea autem c. 5. dixerat, Valentinianos, cum plurimi essent, ita tamen fuisse inter se divisos, ut vix duo, aut tres de omnibus sibi consentirent. S. quoque Augustinus idem notavit in Donatistis, scilicet eorum hæresim jam suo tempore fuisse in plurima frusta discissam Lib. I. *de Baptismo* c. 6. Tomo IX. Marcionitas item vix natos a se ipsis dissensisse, & inde ortos Lucianistas, Apellianos, & Severianos, tradidit S. Epiphanius Lib. I. *contra hæreses*. Id ipsum accidit Montanistis, quos idem S. Epiphanius Lib. II. *contra hæreses* testatur fuisse discerptos in Pepusianos, Artorytitas, & Phrygastas; tum Manichæis, de quorum multis sectis videatur S. Augustinus *de hæresibus*. Nemini etiam ignotæ sunt variæ, ac multiplices Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum &c. divisiones. Nempe quotquot se ab unitate Ecclesiæ separarunt, sibi ipsis constare non potuerunt. Apposite Tertullianus *de præscript. hæretic.* c. 42. de omnibus hæreticis ajebat: *mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accipit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit.*

(*b*) Alios etiam errores pertinaciter docuit infelix iste apostata, propter quos ab ipsis Protestantibus ut hæreticus habitus misere obiit an. 1574. De eo agunt Bælius in *Dictionn.*, & Gerdesius in *Specim. Italiæ ref.* p. 337. Stancarum confutavit celebris Stanislaus Orichovius Polonus libro, cui titulus, *Chimæra, sive de Stancari funesta regno Poloniæ secta*. Ipsius autem Orichovii historiam refert Franc. Ant. Zaccharia Dissert. VIII. Tomo II. *delle Diss. varie Italiane a storia Eccl. appartenenti* Rom. 1780. Et de Stancaro legendus eruditissimus Hier. Tiraboschi Tomo VII. *della Storia della Letteratura Italiana* P. II. p. 387. Porro Frid. Staphylus Osiandristicas controversias stomachatus ad Rom. Ecclesiæ sinum feliciter reversus est anno 1755. Vid. ejus *Epitomen trimembris theologiæ Lutheranæ*.

*Syncretisticæ*; quibus occasionem dedisse dicitur Georg. Calixtus Theologus Helmstadiensis; sed quæ postea in Frid. Ulr. Calixtum Georgii filium, & Abr. Calovium adeo recruduerunt, ut tandem *Syncretistæ* fuerint a communione Ecclesiæ Lutheranæ prorsus exclusi. Postea tamen iis debuit ea tolerantia concedi, quam ipsi aliis dissentientibus concedendam esse ex principiis Protestantium recte inferebant (*a*).

125. Secuta sunt etiam certamina *Pietistica* auctore Phil. Jac. Spenero. Aliqui enim hoc duce falsis pietatis principiis haud leves inter Protestantes tumultus excitarunt, ita ut duæ factiones fuerint efformatæ *Orthodoxorum*, & *Pietistarum*, quæ acriter inter se decertabant. Hæc pugna usque fere ad nostra tempora duravit, atque in ea multi, & magni apud Protestantes nominis Theologi se exercuerunt, ut videre est apud Christoph. Matth. Psaffium ( in *Introduct. in Hist. theol. litter.* P. I. Lib. II. §. 10. & P. II. Lib. 3. ), & Jo. Franc. Buddeum in *Isagoge Hist. theol.* Tom. II. pag. 1234.

126. Nec defuerunt, qui obsoletos jam Origenis errores ab orco revocarent; dicti propterea *Origenistæ*. In his eminuerunt Jo. Guill. Petersenius, & Joanna Leadea, quæ *societatem philadelphicam* in Anglia instituit. Eorum autem πρῶτον ψεῦδος erat universalis ἀποκατάστασις, seu futura aliquando universalis omnium damnatorum liberatio. Prostant Petersenii tria volumina in folio inscripta Μυστήριον ἀποκαταστάσεως πάντων. Majorique postea audacia eundem errorem defendit Jo. Conr. Dippelius, sub adscititio nomine *Christiani Democriti* (*b*). Qui error etiam Socinianis, & pluribus aliis inter Heterodoxos communis est.

127. Similiterque inventi sunt, qui putidas *Chiliastarum* fabulas suscitarent. Hujus erroris accusatur memoratus mox Joann. Guill. Petersenius in *Nube testium veritatis de regno Christi glorioso* &c., quem postea non pauci alii inter Protestantes adoptarunt (*c*).

128. Demum, ut omittam *Interimistas*, *Rathemanistas*, *Majoristas*, *Schwenkfeldianos*, *Hernhutistas* (*d*), aliosque non paucos, notissima sunt dissidia excitata ab *Ubiquistis*, qui ut divinæ, ita etiam humanæ Christi naturæ immensitatem tribuebant; quique acerrime confutati sunt non solum a Sacramentariis, sed etiam a pluribus confessionis Augustanæ professoribus; quos propterea Ubiquistæ contemptim *Crypto-Calvinianos* vocare solebant. Ceterum infinitus essem, si omnes apud Lutheranos enatas controversias enumerare vellem, ex quibus totidem schismata totius sectæ dimanassent, nisi dissidentes fuissent, & adhuc essent tolerati: unde patet vel ipsa experientia comprobari, *viam examinis* in religionis negotio nos necessario in *Tolerantismum*, seu *Indifferentismum* ducere.

129. Quod id ipsum facile etiam esset ostendere in secta Calviniana. Nam præter majores illas, quas supra commemoravimus, *Gomaristarum*, & *Remonstrantium* sectas, nemini ignota sunt nomina *Episcopalium*, *Presbyterianorum*, *Independentium*, *&* *Non-conformistarum*, seu *Puritanorum* in Anglia: item *Supralapsariorum*, *&* *Infralapsariorum*, *Hypotheticorum*, *&* *Absolutorum*, *Coccejanorum* *&* *Voetianorum*, *Pajonistarum*, *Quachkerorum* *&c.* *&c.* qui in articulis haud levibus inter se dissident (*e*).

130. Celebris etiam est in Calvinianorum secta

(*a*) Contendebant *Syncretistæ*, dissensiones inter Lutheranos, Calvinistas, ac Pontificios spectare articulos fundamentales, adeoque debere istas tres Religiones se mutuo tolerare. Harum controversiarum historiam edidit Abr. Calovius an. 1682. Eam etiam accurate describit Jo. Alb. Fabricius in *Hist. Biblioth. Fabritianæ* P. IV.

(*b*) Confutandi Dippelii provinciam assumpsit Franc. Alb. Aepinus in *Compendio metæologiæ fanaticæ recentioris ex Joann. Conr. Dipelii scriptis collecto, ac ordine systematico disposito &c.* Rostochii an. 1721. 4. Auctor autem epistolarum gallicarum *de Religione homini essentiali* etiam 14. alias epistolas edidit *de l' état des ames separées du Corps*, in quibus errores Dippelianos confirmare sategit.

(c) Confer Christoph. Matth. Psaffium in *Introd. in Histor. theol. litt.* Lib. I. *de Theol. Exeget.* §. V. nota dd., & Frid. Ult. Calixtum in *Tract. theol. de Chiliasmo, cum antiquo, tum renato*.

(*d*) *Interimistæ* ii dicti sunt, qui Lipsiensi formulæ anno 1548. a Phil. Melanchtone, aliisque Theologis Wittembergensibus, jussu Mauritii Electoris Saxoniæ concinnatæ, & *interim Lipsienses* appellatæ ( ut distingueretur a duabus aliis formulis nominis ejusdem, nempe Ratisbonensi an. 1541. & Augustinæ an. 1547.) adhærebant, & qui etiam *Adiaphoristæ* nuncupabantur, quia pleraque a Luthero in Ecclesia Romana hæreseos condemnata reputabant *adiaphora*. Cum autem isti a rigidis Lutheranis, quorum agmen ducebat Matthias Flacius, acriter reprehenderentur, magnæ turbæ excitatæ sunt, quæ diu durarunt. *Rathmanistarum* nomen ab Hermanno Rathmanno ortum est, qui in opere *de regno gratiæ* J. C. aliqua docuit contra Saxorum Theologorum sententiam de efficacia divini verbi ad convertendos homines, a quibus proinde Theologis admodum exagitatus fuit, sed alios in secta Lutherana invenit suæ doctrinæ patronos. *Majoristæ* asseclæ Georgii Major, una cum Catholicis necessitatem bonorum operum ad salutem defendebant; illis autem se se opponebant rigidi Lutherani: quorum partes sustinens Nic. Amsdorfius eo usque processit, ut diceret, bona opera non solum non prodesse, sed plane obesse æternæ hominum saluti. Gaspar Schwenckfeldius a Lutheranis damnatus est, quod plura in doctrina Lutheran. reprehenderet; socios tamen non paucos invenit, quorum confessionem refert Jo. Chr. Kucherus in *Bibliotheca Theologiæ Symblicæ*. Sed has omnes controversias, aliasque non paucas, quæ factionem Lutheranam diu, multumque turbarunt, fusius refert Conr. Schlosserbugius in *Catalogo hæreticorum* XIII. tom. in 8. Francofurti ab anno 1597. ad an. 1599. *Hernutistæ* denique sectæ suæ parentem agnoscunt Nic. Lud. Comitem de Zeinzendorf, qui Hernuthi in superiore Lusatia anno 1769. inter suos misere obiit; sed ejus secta adhuc viget.

(*e*) *Episcopales* sunt, qui hierarchiam in Ecclesia,

Jo. Fischer, seu Piscatoris historia, qui cum dixisset, justitiam Jesu Christi, quam nobis imputari docent, eam solam esse, quam in sacrificio mortis exercuit, non autem illam, quam exercuit aliis bonis operibus in vita, & cum monitus resipiscere noluisset, in synodis Rupellensi an. 1707. & Privasiensi an. 1612. aliisque condemnatus est; sed hæc condemnatio defectu supremæ, atque infallibilis auctoritatis controversiæ finem minime imposuit; ejusque opinio postea tolerata fuit, agente potissimum Petro Molinæo, cui propterea etiam publice gratiarum actiones in synodo Insulæ Franciæ decretæ sunt ( apud Blondellum in *Actis authenticis* p. 72. )

131. Ex his, aliisque pluribus, quæ brevitatis ratio præterire nos cogit, satis apparet, seposita infallibili Ecclesiæ auctoritate, necessario invehendam esse mutuam omnium errorum tolerantiam, qui quotidie nascuntur: nemo enim tenetur aliis, utut multis, vel doctoribus, imo neque integris, & numerosissimis Synodis fasces submittere, atque errores ejurare.

132. Contra vero in Ecclesia Romana nasci quidem possunt, & sæpe nascuntur errores, diu tamen vivere non possunt, nec crescere, aut dilatari. Multis enim exemplis nostra, ac superiore ætate ostendere facile est, enatas controversias fuisse statim ab Ecclesiæ auctoritate sopitas, & puram, sanamque doctrinam servatam. Quod si aliqui perduelles filii matris Ecclesiæ definitionibus parere detrectarunt, illico ab ejusdem Ecclesiæ sinu expulsi, facem discordiæ foris agitant. Unde etiam S. Cyprianus epist. 41. olim 51. de Novatiano contumaci ajebat: *scias, nos nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat.*

133. Hinc patet, quam inepte Phil. Melanchton Staphylo Novatoribus has perpetuas eorum discordias objicienti responderit ( *in respons. ad criminat. Staphyli* ): *sentimus nostra vulnera, & ea deploramus; sed oratoris impudentiam miror, qui ita nobis ærumnas nostras exprobrat, quasi nulla sint scelera suæ factionis.* Idemque etiam Petrus Bælius regerebat asserens, ducentas hæreses, Bellarmino teste, Ecclesiam Romanam discerpsisse, quin eas impedire potuerit infallibilis ejus auctoritas. Neque enim inficiamur, apud nos errores, & hæreses quandoque prodire, sed adversarii ipsi fateri debent, apud nos esse promptum, & efficacissimum medium, quo errores illico suffocentur, & controversiæ omnes finiantur; eo autem carere omnes Acatholicos, qui propterea, velint nolint, debent ex suis principiis omnes errantes tolerare.

134. Quanquam postea hæc tolerantia iterum pugnat cum alio capitali eorumdem principio, quo statuunt, sacras litteras esse in omnibus Religionis nostræ dogmatibus *apertissimas, planissimas*, atque omni ex parte *perspicuas*. Hoc enim posito sequitur, non posse errantes ignorantia invincibili excusari, adeoque nec tolerari. Sed hoc fusius demonstrare aggredimur.

## CAPUT VII.

*Ostenditur contra Jurium (a), aliosque Tolerantes, nemini licere citra salutis dispendium fidei dogmata ab Ecclesia definita rejicere, quæcumque ea sint.*

135. Petrus Jurius aliquos *Tolerantismo* limites figere se posse speravit posita distinctione in-

Catholicorum more servaverunt. *Presbyteriani* Episcopos non habent, sed totum jus in sacra, & circa sacra ad cœtum Presbyterorum pertinere dicunt. Contra utrosque insurrexerunt *Independentes*, qui presbyteriale regimen mutato tantum nomine, & pompa *episcopalem tyrannidem* appellabant, & utroque excusso jugo omne jus in sacra magistratui politico concedi volebant. Horum doctrinam exponit, totisque viribus defendere conatur Lud. Molinæus, Petri Molinæi filius in impio libro, cui titulus: *Parænesis ad ædificatores imperii in imperio, in qua defenduntur jura Magistratus adv. Moysen Amyraldum, & vindices ceteros potestatis Ecclesiasticæ presbyterianæ.* Hinc scripta innumera mistica, & magna dissidia, quæ etiam ad alias Communiones Calvinisticas extra Angliam se propagarunt. *Puritani* item, seu *Non-Conformistæ* discordias auxerunt, ii nempe, qui decretis Eduardi VI. & Reginæ Elisabethæ in ritibus Ecclesiasticis se *conformare* recusarunt, *purumque* Calvinismum profitebantur. Horum originem, dogmata, persecutiones, variamque fortunam describit Daniel Neal in *Histor. Puritanorum, seu Protestantium non conformistarum* vol. 4. in 8. *Supralapsarii* dicti sunt, qui Calvini doctrinam pressius sequentes docent, Deum non solum prævidisse, sed plane prædeterminasse lapsum Adami, ut necessario sequeretur. Oppositum sentientes dicti sunt *Infralapsarii*. Primam sententiam postea adoptarunt *Gomaristæ*, alteram *Arminiani*. Hinc etiam nata sunt nomina *Absolutorum*, & *Hypotheticorum*, quorum primi decreta *absoluta* ad mentem Calvini ponebant, alii *hypothetica*, inter quos magnum sibi nomen comparavit Moses Amyraldus; eumque secutus Claudius Pajonius, qui sectam *Pajonistarum* instituit, Pelagianismi restauratricem. *Coccejani* sunt, qui Joan. Coccejum, & *Voetiani*, qui illius æmulum, & hostem Gisbertum Voetium sequuntur. Primo privatæ erant inter utrumque controversiæ, ex quibus postea duæ sectæ natæ sunt, quæ adhuc inter se digladiantur. Adhuc etiam vigent in Hollandia factiones *Roellistæ, Becheristæ, Verchoristæ, Hattemistæ &c.*, quæ a suis magistris nomen debent. Si quis plura desiderat, adire potest præter laudatum sæpius Bossuetum, P. Ignatium Fiumi Ord. Præd. in *Schola veritatis orthodoxæ* Tom. I. Narrat. I. *De origine, & multiplicatione sectarum, & hæresum nostri temporis.*

(a) Jurii systema non ita pridem amplexus Petrus Franciscus Courayer ( valde enim ipsi commode accidebat, cum se diceret simul & Canonicum Regul. Congregat. S. Genovefæ, & in Anglicana Universitate Oxfordiensi Doctorem ) in præf. ad suam gallicam versionem *Hist. Conc.* Pauli Sarpii, in *relatione rerum suarum*, & in pluribus aliis suis operibus.

inter articulos *fundamentales*, & *non fundamentales;* & in his solum postremis facta unicuique sentiendi, prout maluerit, potestate. In constituenda vero ratione, qua articuli *fundamentales a non fundamentalibus* discernantur, non facile se expedit. Duas quidem ( *vrai Système de l' E'glise* p. 209. & 317. ) ad id statuit regulas, scilicet illum solum vult esse errorem fundamentalem, qui Dei gloriam, & ultimum hominis finem evertit, aut qui unanimi, perpetuo, ac universali Christianorum consensui opponitur. Sed multo mentis acumine non est opus, ut quilibet videat, has regulas vix, ac ne vix quidem posse ad usum deduci. Quilibet enim ab Ecclesia dissentiens demonstrare conabitur ex ipsis sacris litteris suo modo explicatis se nihil contra Dei gloriam, & ultimum hominis finem invehere; & multos etiam, si opus fuerit, opinionum suarum, ut ut monstruosarum, patronos allegabit (a).

136. Catholici contra non inficiantur, distinguendos esse articulos quosdam Religionis *capitales*, alios autem *minus principales;* sed sensu a tolerantibus omnino diverso. Nempe articulos *capitales* eos vocant, quos nemo etiam rudis ignorare potest citra salutis dispendium: *minus* autem *principales*, quos ab illiteratis inculpate ignorari posse concedunt; volunt tamen eosdem saltem implicite credi; & nullum vel minimum fidei dogma ab Ecclesia definitum, negari posse unanimiter docent.

137. Id autem prob. primo, quia nobis Scriptura sacra ubique fere unitatem fidei commendat; unde Apostolus Eph. IV. 4. dicebat: *Unum corpus, & unus spiritus .... unus Dominus, una fides, unum baptisma*, & Philip. II. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes*. Hujusmodi autem unitatis centrum esse Ecclesiam, cujus proinde definitionibus nemo refragari possit, facile colligitur ex iis Christi verbis Matth. XVIII. 17.: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus;* & ex aliis Apostoli Pauli in Epist. ad Titum III. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.*

138. Non sum nescius, hæc, aliaque similia Scripturæ S. testimonia a Tolerantibus explicari de unitate fidei in articulis *fundamentalibus*. Sed hæc eorum evasio ex perpetuo Ecclesiæ usu facile præcluditur; nam constat, eos semper pro hæreticis fuisse habitos, & condemnatos, qui ab ejus doctrina dissentiebant etiam in articulis, qui, Jurio judice, *fundamentales* non sunt. Exemplum sit de Novatianis, qui tanquam ab Ecclesia segregati habebantur, nec, nisi errore deposito, in communionem recipiebantur. Ita enim de his habet canon octavus Concilii Nicæni: *De his qui se Catharos, idest puros quandoque nominant* ( ii erant Novatiani ) *ad catholicam autem, & apostolicam Ecclesiam accedunt .... ante omnia hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhærebunt, & sequentur catholicæ Ecclesiæ decreta, idest quod & cum digamis communicabunt, & cum iis, qui in persecutione lapsi sunt.* Hæc certe duo puncta, in quibus Novatiani errabant, non tanti momenti videbantur Jurio, ut eos in articulis *fundamentalibus* peccasse dicat; & tamen erant ab Ecclesia exclusi, nec, nisi ejurato errore, factaque professione sequendi in posterum catholicæ Ecclesiæ decreta, admittebantur. Eodemque plane sensu in altero Concilio Œcumenico, nempe Constantinop. an. 381. Can. 7. Arianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartodecimanis, atque Apollinaristis scripto exigebatur professio fidei, qua omnem hæresim anathematizarent, *quæ non sentit, sicut sancta, catholica, & apostolica Ecclesia*. Porro si aliqui sunt in *fundamentalibus* articulis non errantes, in iis certe numerari deberent præter Novatianos Sabbatiani, & Quartodecimani; & nihilominus hi etiam a catholicæ Ecclesiæ sinu avulsi reputabantur, quod adeo verum est, ut Joan. Ger. Vossius vir inter Protestantes magni nominis, putaverit, fuisse in Symbolo hanc vocem *Catholicam* Ecclesiæ additam, ut vera Christi Ecclesia toto orbe dispersa ab Hæreticorum, Schismaticorumque conciliabulis distingueretur ( *de tribus Symbolis* ).

139. Præt. Eadem fuit ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Patrum sententia: nam S. Ignatius in *E-*

(a) Joan. Frid. Stapserus Calvinista in Tomo I. *Instit. Theol. polemicæ* c. 4. §. 1801. articulum fundamentalem definit *talem veritatem, quæ ad ipsam religionis Christianæ essentiam pertinet, ut illa sublata, ipsa etiam religionis forma, atque essentia pereat*. Recenset postea innumeros Acatholicorum scriptores, qui de hac materia copiose egerunt, qui tamen vel ipsa in prima definitione inter se dissentiunt. Aliqui eorum distinxerunt articulos fundamentales in tres classes, ut alii sint necessarii ad religionem, alii ad salutem, alii ad Ecclesiam. Quidam sola principia religionis naturalis, quæ omnibus notissima sunt, ad salutem sufficere posse dixerunt: reipa enim ista, & fortasse hæc sola a nemine eorum negantur, qui se Christianos nuncupant. Sed redeamus ad Stapserum, qui consequenter ad suam definitionem articulos *fundamentales*, qui ad religionis essentiam pertinent, vult tam clare esse revelatos, ut *a quovis etiam indocto intelligi queant, licet non perfecte, tamen distincte*. Porro cum varium in hominibus sit intellectus acumen, neque in eodem homine semper idem, sequitur, aliquos articulos esse fundamentales respectu unius, qui majori pollet intelligendi vi, & non alterius, cujus intellectus est obtusior; adeoque *articulos fundamentales non eosdem esse numero omnibus;* ac proinde *certum, ac definitum articulorum fundamentalium numerum definiri non posse*. Qua posita doctrina, nemo non videt, nullos certos tolerantiæ limites determinari posse.

*Epist. ad Philadelphenses* n. 3. *Ne erretis*, inquit, *fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni Dei hæreditatem non consequitur; si quis in aliena sententia ambulat, iste passioni non consentit.*

140. Clemens Alexandr. Lib. VIII. *Stromatum* n. 17. hæreses a vera Ecclesia, quæ una est, manifeste sejungit, & ita concludit: *In unius ergo sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere*, & iterum: *Ecclesiæ eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate:* post autem hæreses, quæ Ecclesiam Dei conabantur discindere, enumerat, scilicet Valentis, Marcionis, & Basilidis, tum Peraticorum, Phrygum, Encratitarum, Docitarum, & Hæmatitarum, Cajanistarum, Ophianorum, & Entychitarum, quas omnes Jurius, ut puto, inter errores fundamentales non enumerabit.

141. Origenes autem in Comment. epist. ad Titum hæreticos quoscumque a salute omnino excludit. *Sicut hi*, inquit, *qui fornicationibus, immunditiis, atque impudicitiis, & idolorum cultibus maculati sunt, regnum Dei non possidebunt; ita & hi, qui in hæresim declinaverunt*. Et ne quis sibi fingat, Origenem hæresis nomine nonnisi errores fundamentales intellexisse, observandum est, eos etiam inter hæreticos ibidem recensere, *qui non omnes humanas animas, unius, ejusdemque dicunt esse substantiæ, sed diversas natura animarum.*

142. Auctor *Constitutionum Apostol.* L. IV. c. 18. *Impios hæreticos*, inquit, *resipiscere nolentes deducite, & a fidelibus separate, & Ecclesia Dei palam expellite*. Porro cap. 10. diversa hæreticorum genera enumerans, *Quidam eorum*, inquit, *docent non esse nubendum, & abstinendum esse a carne, & vino .... Alii vero ex iis ajebant, sola suilla abstinendum, comedenda, quæ secundum legem immunda habentur; circumcisionem ex lege usurpandam ... Atque hi omnes sunt Diaboli instrumenta, & filii iræ* (a).

143. S. Cyprianus in libro de *Unit. Ecclesiæ* totus est, ut hanc veritatem demonstret, imo hæreticos esse ab Ecclesia præcisos docet. *Nec perveniet*, inquit, *ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet*. Eademque pene phrasi S. Augustinus usus Lib. IV. *de Symb. ad Catechum.* cap. 13. *Si quis*, inquit, *absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum: nec habebit Deum patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem*. Et similia sæpe repetit.

144. Longum esset dicere de aliis Ecclesiæ Patribus subsequentibus, nec admodum necessarium, cum Jurius ipse concedat, jam tertio sæculo hanc opinionem, quam crudelem, absurdamque vocare illi placet, in Africa invaluisse inter Rebaptizantes, unde in Asiam penetrasse contendit, ideo enim (ut recte idem Jurius observat) Cyprianus, Firmilianus, aliique Hæreticorum baptisma nullum esse existimabant, quia pro certo habebant eos extra Ecclesiam esse (b): & alibi libenter S. Augustinum nobis concedit, eumdem ab errore sui sæculi deceptum esse, comminiscens.

145. Unus tamen addendus est S. Hieronymus, in quo aliquod suæ causæ præsidium sibi Jurius advenisse visus est: at quam immerito vel ex eo solo apparet, quod in *dial. adv. Luciferianos* Hæreticorum sectas appellet *Antichristi Synagogas*.

146. Sed & illa distinctio articulorum *fundamentalium, & non fundamentalium* ad mentem Jurii nedum commentitia est, post 17. sæcula primum audita, sed etiam sanctis Patribus contraria, a quibus sine ullo discrimine omnis hæresis condemnatur. Et ulterius nulla certa regula constitui hactenus potuit, qua sine omni controversia articulorum fundamentalium catalogus constitueretur. Quos enim Jurius ex. grat. articulos Trinitatis personarum, Divinitatis Verbi, Christique satisfactionis in *fundamentalibus* ponit, eosdem Sociniani post Sabellium, Arium, Photinum, a Religione Christiana penitus explodunt. Episcopus autem, aliique non pauci indifferentes esse contendunt, ut possit quilibet in iis judicio, & arbitratu suo opinari. Atque isti postremi sibi ipsis, suisque principiis magis consentanei sunt. Si enim tolerandi sint errantes in articulis minus principalibus, quia humanum est errare, non minus ceteri omnes tolerari debebunt, qui humana fragilitate in dogmatibus gravioribus errant, cum neminem agnoscant horum dogmatum judicem infallibilem præter divinas litteras, quas quilibet privato suo judicio recte intelligere credit. Et ita inventa semel hac tolerantia, nulla jam erunt errorum monstra, quæ æquo jure sibi asylum in Ecclesia, & tolerantiam non vindicent.

147. Obj. 2. (& hoc est potissimum Jurii fundamentum). Hæretici sunt Ecclesiæ membra, quod colligitur primo ex parabola zizaniorum, quæ inimicus homo bono semini superseminavit in agro Domini, Matth. XIII. Nomine enim agri ve-

(a) Constit. *Apost.* Auctor communiter Sæc. III. floruisse putatur. Vid. Nat. Alexander Diss. XVII. in Sæc. I.

(b) S. Basilius ep. 188. ad Amphilochium can. 1. inquit: *Visum est antiquis, Hæreticorum quidem baptisma penitus rejicere; Schismaticorum vero, ut adhuc in Ecclesia existentium admittere.*

venit Ecclesia, quemadmodum Catholici contra Donatistas cum S. August. explicuerunt (*a*): nomine autem zizaniorum veniunt Hæretici, quemadmodum S. Hierony., & Chrysostomus, in hunc locum commentantur. Secundo idipsum colligitur ex Apostolo 2. ad Tim. II. 20. ut dicit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*. Porro domus significat Ecclesiam, quemadmodum S. Cyprianus epist. 51. & 52. S. Augustinus Lib. VII. *contra Donat.* c. 51. aliique interpretantur; vasa autem fictilia, & lignea quid aliud sunt, nisi hæretici? de iis enim paullo ante Apostolus dixerat: *Sermo eorum, ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt*. Si autem Hæretici sunt in Ecclesia, tolerari possunt, & debent.

148. Resp. Nostra parum interesse, quantum ad præsentem quæstionem cum Tolerantibus attinet, sive Hæretici dicantur in Ecclesia esse, sive non, dummodo tamen concedatur, eos, quamdiu Ecclesiæ definitionibus humiliter colla subdere renuunt, nullatenus salutem consequi posse. Hoc enim est potissimum nostræ controversiæ caput cum tolerantibus, an liberum unicuique sit, citra piaculum, & salutis dispendium, spreta Ecclesiæ definitione, quam mavult, sententiam sequi. Liberum autem non esse ex iis ipsis parabolis, & figuris eruitur, quibus Adversarii contra nos abutuntur. Si enim Hæretici sunt zizania, *alligabuntur tandem in fasciculos ad comburendum:* si sunt vasa lignea, & fictilia, sunt *vasa in contumeliam*, *vasa iræ apta in interitum* Rom. IX. 21., & 22. Hinc recte observavit Nicolius (*de l' unité de l' Église* Lib. 2. c. 1. & 4.), quæstionem esse de solo nomine, si quis tantum contendat, hæreticos manifestos *aliqua ratione* esse in Ecclesia, quemadmodum certum est, in ea esse hæreticos occultos, & peccatores. Quæstio autem, quæ nobis cum Tolerantibus est, non de solo nomine, sed gravissima, & capitalis dici debet; quia isti contendunt, ita hæreticos quosdam pertinere ad Ecclesiam, ut etiamsi in hæresi contumaces perseverent, possint nihilominus salutem consequi.

149. Ceterum vehementer errant Adversarii vel in hoc ipso, quod Hæreticos apertos, & contumaces in Ecclesia esse contendunt; quod ex neutro sacrarum litterarum loco conficitur; nam in parabola zizaniorum *ager* secundum Christi Domini explicationem est *mundus* (v. 38.). Quod si aliqui Sancti Patres, vel interpretes per agrum intellexerunt Ecclesiam, iidem postea zizaniorum nomine intellexerunt non hæreticos, sed peccatores, quos contra Donatistas esse in Ecclesia contendebant. Ita expresse Sanctus Augustinus locis citatis, & alibi. Non absimiliter Sancti Cyprianus, & Augustinus cum nonnullis aliis per magnam domum intelligunt Ecclesiam, sed per vasa lignea, & fictilia peccatores interpretantur; non hæreticos, quos extra domum, seu Ecclesiam esse ponunt. Audiatur ipse S. Augustinus (Lib. XIII. *contr. Donat.* c. 51.): *Ex hoc numero innumerabili non solum turba intus premens cor paucorum in tantæ multitudinis comparatione sanctorum, sed etiam disruptis retibus hæreses, & schismata existunt in eis, qui jam magis ex domo, quam in domo esse dicendi sunt; de quibus dicitur* 1. *Joann. II.* 19. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis &c.*

150. Quod si alibi S. Pater (nempe Lib. IV. *contra Donat.*, cap. 12.) aut alii quandoque dicunt, hæreticos esse in Ecclesia, vel id intelligendum est de hæreticis occultis, vel si de hæreticis manifestis est dictum, accipiendum id est latiori quadam significatione, quatenus hi etiam propter baptismum, & fidem in Christum Dominum aliqua ratione valde remota ad Ecclesiam pertinent; qua distinctione nonnulla Sanctorum Patrum loca, quæ secum pugnare videntur, facillime conciliantur.

151. Dices. Contra Cyprianum, & Afros rebaptizantes tandem fuit definitum, Hæreticorum baptisma esse validum; atqui Apostolus Paulus eodem modo dicit, unum esse in Ecclesia baptisma, quo una fides est: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma* Eph. IV. 5. erit ergo etiam valida eorum fides. Præt. S. Augustinus Lib. I. *de Baptismo* frequenter repetit, ideo baptizatos ab Hæreticis non esse iterum baptizandos, quia *Ecclesia illos parit;* si ergo Hæreticorum sectæ possunt Christo filios generare, sunt ipsius sponsæ: si autem sponsæ, pertinent ad ipsius corpus, quod salvandum esse Apostolus tradit Ephes. V. 23.

152. Resp. ad 1. Baptismum Hæreticorum esse validum, quia idem prorsus est, ac baptismus Catholicorum; ut enim dicit S. Aug. Lib. II. *cont. Epist. Petiliani* c. 27. baptisma *neque istorum, neque illorum est, sed Christi, in utrisque unum, quamvis ipsi non sunt unum*. Fides contra Hæreticorum non est una, quia non credunt, quod Christus Ecclesiæ revelavit, & Ecclesia suis filiis credendum tradit.

153. Ad 2. Observo, idem fuisse olim S. Augustino a Donatistis objectum Lib. I. *de Baptismo* capit. 10. ut inde concluderent, se habere Ecclesiam matrem, *quæ filios potuit de Christi baptismate generare*: cui difficultati ita S. Doctor respondit: *Quasi vero* (secta Donati) *ex hoc generet, unde separata est, & non ex hoc, unde conjuncta est. Separata est enim a vinculo charitatis, & pacis, sed juncta est in uno baptismate..... Ecclesia generat & per uterum suum*,

(*a*) In *Breviculo collationis cum Donatistis* Collat. diei tertiæ c. 8. & 8. tum Lib. II. *Cont. Cresconium* c. 34. & alibi Tomo IX.

suum, *& per uteros ancillarum ex iisdem Sacramentis, tanquam ex viri sui semine;* & infra cap. 15. *Ecclesia omnes per baptismum parit, sive apud se, idest ex utero suo, sive extra se, de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla*. Quanquam autem S. Augustinus una cum Ecclesia Catholica docuit, valere baptismum ab Hæreticis rite collatum, nunquam tamen aut ille, aut ullus Catholicus existimavit, licite ab eis conferri, vel licite aliquem posse, nisi urgente necessitate, apud eos baptismum recipere; unde superius dixerat (capit. 1.) *Sicut non recte foris habetur, & tamen habetur, sic non recte foris datur, & tamen datur*. Excipit solum (capit. 2.) eum hominem, *quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem recipiat, non invenerit*.

154. Ceterum nec illud prætereundum existimo, quod si hujusmodi argumentum, cui multum fidit Jurius, aliquid valeret, id valeret quoque, ut colligeremus, Hæreticos quoscumque, etiam in articulis fundamentalibus errantes, quin & Judæos, & Paganos, & Atheos ipso in Ecclesiæ sinu, atque in salutis via esse; quia baptismus etiam ab ipsis utut impiissimis collatus, ratus, & validus semper habitus fuit; quam tamen consecutionem Jurius minime probat.

155. Obj. 2. S. Paulus 1. Corinth. III. 11. & seq. *Fundamentum aliud*, inquit, *nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit . . . . & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit . . . si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Ex quo loco sic Jurius colligit: Superædificantes super fundamentum Christi, sunt Doctores; aurum, argentum, & lapides pretiosi sunt doctrinæ veræ; ligna vero, fœnum, & stipula sunt doctrinæ erroneæ; atqui S. Paulus superædificantem ligna, fœnum, & stipulam dicit salvandum esse, sic tamen quasi per ignem; ergo &c. Addunt aliqui & illa verba Rom. XIV. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet;* quibus amplam unicuique concessam esse volunt facultatem de Religione sentiendi, prout maluerit.

156. Resp. Teste S. Augustino (a) locum hunc esse obscurum, & intellectu difficilem: unde variæ de eo ortæ sunt explicationes. Duæ autem sunt præcipuæ, quas S. Thomas ex veteribus Ecclesiæ Patribus depromptas exhibet *Comment.* in hunc loc. lect. 2. Prima est, ut per ligna, fœnum, & stipulam intelligantur peccata venialia, quæ igne purgari debebunt, a salute tamen hominem non impediunt. Altera autem, ut per homines superædificantes ligna, fœnum, & stipulas, ii intelligantur, qui *fidei ab Apostolis fundatæ superaddunt in doctrina sua aliqua inutilia, & quæ non sunt manifesta, nec veritatis ratione firmantur, sed sunt vana, & inania*. Porro homines superædificantes ligna, fœnum, & stipulas, hæreticos esse non posse, vel ex eo solo liquet, quod isti non ædificant super fundamentum Christi, quin potius errores suos pertinaciter defendendo, ipsum Christi fundamentum conantur evertere.

157. Resp. ad 2. Apostolus non permittit, unumquemque abundare in proprio sensu, ubi agitur de dogmatibus fidei, sed vel in rebus adiaphoris, vel potius, ut explicat Estius, insinuare voluit, eos esse tolerandos, qui ex Judæis ad fidem conversi adhuc legem Mosaicam in delectu ciborum observabant, donec plenius de ejusdem legis abrogatione instruerentur. Hæc explicatio cohæret cum verbis antecedentibus: *Is, qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet*.

158. Obj. In celebri schismate decem tribuum Israel semper fuerunt Sancti, & Prophetæ, ut Elias, Eliseus, aliique, quanquam isti neque ascenderent in Jerusalem, ut adorarent in templo, neque cum tribu Juda communionem servarent; ergo etiam extra Ecclesiam possunt esse sancti &c.

159. Resp. Eos, qui inter schismaticas tribus sancti fuerunt, neque in idolatriam fuisse lapsos, neque schismati adhæsisse, nam de iis dixit Deus Lib. 3. *Regum XIX.* 18. & *Roman. XI.* 4. *dereliquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Neque eos etiam schismati adhæsisse, luculenter patet exemplo Elisei, qui, ut colligitur ex Lib. 4. Regum III. cum Josaphat Rege Juda potius communicabat, quam cum Joram rege Israel, cujus tamen subditus erat; unde Joram eum consulenti respondit vers. 14. *si non vultum Josaphat regis Judæ, erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*. Quod si isti viri pii, & justi in Jerusalem quotannis, rege Israel prohibente, non ascendebant, credendum est, eos ab hoc præcepto, quod nonnisi positivum erat, fuisse a Deo dispensatos (b).

160. Obj. 4. In Ecclesia Judaica erant variæ sectæ Saducæorum, Pharisæorum &c. omnes toleratæ; de iis enim Josephus sic ait (c), *Saducæorum vero doctrina facit, ut animæ cum corporibus intereant . . . . Eorum opinioni suffragantur pauci, sed dignitate primi*. Hegesippus autem dicit, septem fuisse apud Judæos sectas, *quæ nec resurrectionem, nec futurum Christi adventum*,

(a) *De Fide & operibus* cap. 15. & 16. Quæst. I. ad Dulcitium, & Enarrat. in Psalm. VIII.
(b) Vid. Bossuetus *seconde Instruction Pastorale sur les promesses* num. 79. & seq.
(c) Lib. XVIII. *Antiquit. Judaic.* c. 1. Vid. etiam Lib. XIII. cap. 5.

*tum, ut unicuique pro meritis mercedem tribuat*, *credebant* (*a*).

161. Resp. Saducæos, aliosque hæreticos minime fuisse toleratos in Republ. Judaica, quantum ad eorum doctrinam. Quamobrem Josephus ipse mox allegatus ita pergit: *Si quando magistratus gerunt inviti, & necessitate coacti, Pharisæorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus*. Et Rabbi Manasse Ben Israel in primo suo libro *de resurrectione* testatur, ab antiquis Judæis eos, qui animæ immortalitatem negabant, non fuisse inter Israelitas reputatos. Tolerantia itaque illa erat mere civilis, non theologica. Quod si hæc tolerantia sufficeret, inde probaretur, etiam tolerandam esse idololatriam; quandoquidem non pauci, nec tam raro inventi inter Hebræos sunt nefandissimi hujus criminis rei.

162. Obj. 5. In exordio nascentis Ecclesiæ plurimi erant Judaizantes, ut Nazareni, aliique contendentes, observantiam legis Mosaicæ esse ad salutem necessariam, contra ac in Concilio Hierosolymitano definitum fuerat: at vero nihilominus hi fuerunt ubique tolerati; imo testatur Eusebius lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 5. primos quindecim Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopos ex circumcisione fuissse. Id porro non alia ratione explicari potest, nisi quia hujusmodi error fundamentalis non erat.

163. Resp. cum S. Thoma 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 1. tria tempora circa legalium observationem distinguenda esse, prout ea S. August. distinguit epist. 82. alias 19. *unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua: aliud post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua, & mortifera: tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus Fides Christi justificare non posset*. Posita hac eximia duorum Ecclesiæ luminum Augustini, & Thomæ doctrina, patet, in exordio Ecclesiæ eos fuisse toleratos, qui legis cæremonias ad sufficientem usque Evangelii prædicationem ita observarunt, ut tamen eas ad salutem necessarias esse non dicerent.

164. Porro in Concilio Hierosolymitano fuerat quidem definitum, Gentiles ad legis observationem non teneri, non autem fuerat legis observantia interdicta (*b*). Quando autem universæ Ecclesiæ consensu observatio legalium damnata est, nemini amplius citra piaculum id facere licuit: quamobrem S. Hieronymus epist. 112. al. 59. ad S. Aug. *Quicumque eas* (cæremonias) *observaverit sive ex judæis, sive ex Gentilibus, eum in barathrum diaboli devolutum* dicit.

165. Eusebius autem primos quindecim Hierosolymorum Episcopos fuisse quidem ex circumcisionem refert, hoc est ex Judæis conversis, ex quibus solis ferme tota Hierosolymitana Ecclesia primo illo tempore constabat, nihil autem addit, quo probetur, illos simul cum Evangelio legis cæremonias miscuisse.

166. Obj. 6. Constat historia Ecclesiastica, olim fuisse a Teophylo Alexandrino evectum ad Episcopatum Ptolemaidensem Synesium quemdam, philosophum quidem præstantissimum, sed religione semipaganum; censebat enim, animas corporibus præexistere, mundum æternum futurum, nullamque esse sperandam corporum resurrectionem. Hæc de se ipso fassus est in pluribus epistolis (*c*). Hæc eadem etiam referunt Evagrius Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 15., Nicephorus, & Photius.

167. Resp. Synesium, quando ad Episcopatum evectus est, fuisse quidem nonnullis Origenianis erroribus implicitum, qui ea tempestate, Origeno nondum damnato, tolerabantur; non autem ulla hæresi a Catholica Ecclesia sejunctum. Nam quantum ad resurrectionem mortuorum, non eam penitus negasse, sed potius singulares aliquas opiniones circa eam habuisse videtur: *Decantatam illam resurrectionem*; inquiebat, *sacrum quidpiam, & arcanum arbitror, longeque absum a vulgi comprobandis opinionibus*. Ceterum mirandum non est, si difficillimis illis ruentis Imperii temporibus Ecclesia usa sit quadam œconomia in hujus Episcopi electione, ex cujus ingenio, præclarisque virtutibus, multa bona jure sperabat, ut rerum ostendit eventus. Photius in *Bibliotheca* Cod. XXVI. tradit, Synesium, *simul atque Episcopus creatus est, resurrectionis etiam doctrinam credidisse* (*d*).

168. Obj. 7. S. Augustinus Epistol. XLIII. al.

192.

(*a*) Apud Eusebium Lib. II. *Historiæ Eccles.* cap. 23.

(*b*) Act. XV. 28. & seq. S. Justinus in *Dial. cum Tryph.* Tryphoni interroganti, an qui in Christum credit, unaque legalia observat, salvus esse possit, ita respondet: *Ut mihi videtur, mi Trypho; ajo fore, ut servetur quisquis talis est; modo ne ceteris, hoc est illis, qui per Christum a gentium errore circumcisi sunt, omnino persuadere contendat, nullam salutem sperandam esse non observantibus, quod tu conabaris initio nostri colloquii, pernegans, me salutem assecuturum, ni ista servavero.*

(*c*) Præcipue in epistola 105. ad fratrem suum Eutopium, & 66. ad Theophilum Edition. Parisinæ an. 1612. a Petavio factæ græco-latinæ.

(*d*) Baronius ad an. 410. putavit, hæc omnia fuisse a Synesio de seipso arte conficta, ut Episcopalis muneris onus declinaret. Sed enim confutat Lucas Holstenius in Dissert. *De Synesio, & de fuga Episcopatus.*

192. ad Glorium *Qui sententiam suam*, inquit, *quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*: potest ergo aliquis, Augustino teste, ab Ecclesia citra piaculum dissentire, dummodo id pertinaci animositate non faciat, paratus corrigi, cum invenerit veritatem;

169. Resp. cum S. Thoma 1. 2. quæst. 2. art. 2. ad 3. hujusmodi errantes, de quibus S. Augustinus loquitur, non esse eos, qui Ecclesiæ definitionibus pertinaciter repugnant, quos communiter vocamus hæreticos *formales*, sed eos, qui errant in articulis nondum ab Ecclesia determinatis, vel qui Ecclesiæ definitionem *invincibiliter* ignorant; hos enim esse ignorantia invincibili excusatos, nemo Catholicorum dubitat, quamvis in quibusnam proprie sit hæc invincibilis ignorantia, non ita facile est determinare. Id plane constat ex certissimis ejusdem Sancti Patris principiis, Libro enim IV. *de Baptismo* capite 16. proposito exemplo duorum sequentium errorem Photini, quorum alter ignoret definitionem Ecclesiæ, alter probe sciat, de primo ait: *istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit ... Itaque in hoc sola falsa opinio, in illo autem etiam divisio corrigenda est* (a). Ignorantia porro in iis invincibilis non est, quibus non innotuerit, se esse in quadam secta, quæ a Catholica, Romanaque Ecclesia se sejunxit, in ea tamen permanere eligunt: vel quod rem diligenter discutere nolunt examinis difficultate repulsi; vel quod sibi falso persuadent, quamlibet Religionem esse æqualiter Deo acceptam, nec vitio homini deputandum esse, si in articulis non fundamentalibus erret. Si enim, ut in re tanti momenti necesse est, implorata Dei ope, omnique præsumptionis, ac superbiæ affectu semoto, omnem ad veritatem inquirendam operam, curamque impenderint, non dubito, quin Deus gratia sua præsto eis futurus sit, ne fallantur.

170. Obj. 8. Socrates Libro VII. *Hist. Eccl.* cap. 41. de Proclo Constantinop. Episcopo hæc habet: *Ipsi propositum erat parvi facere, si quis de Deo aliter, quam ipse sentiret.*

171. Resp. Hoc est, ut paullo ante idem Socrates dicit. *Proclus erga omnes placidus fuit, dum hæreticos hac ratione potius, quam vi ad rectam fidem adducere studeret. Cum enim nullam omnino hæresim exagitare instituisset, mansuetudinis dignitatem integram servavit, ac veluti depositum quoddam Ecclesiæ restituit.* Contra ac fecerat ejus prædecessor Atticus, qui *interdum terribilem se hæreticis exhibebat.* Hæc autem non indicant tolerantiam theologicam, sed prudentem œconomiam.

172. Dices: Durum, & inhumanum est, infinitam propemodum hominum multitudinem ex eo solum condemnare, quod a Catholica Ecclesia, errore mentis, cordis tamen simplicitate dissentiunt, quorum plurimi fide, charitate, & veri Evangelii zelo pleni sunt. Ulterius, si Deus nonnisi unam esse Religionem voluisset, easdem omnibus circa eam ideas indidisset, sicut in Arithmetica fecit; ita ut quemadmodum in numerorum calculis, ita etiam in Religionis negotio omnes convenirent. Accedit, in nostra libertate non esse, has potius, quam alias in nobis ideas gigni; tyrannicum autem esset, si Deus propter eam Religionis ideam homines damnaret, quam habere, vel rejicere in eorum potestate non est (b).

173. Resp. In hujusmodi quæstionibus non esse nimium rationi fidendum; sed illud tenendum, quod sacris litteris, sanctorumque Patrum traditioni conformius est: neque inhumanum, aut crudele sine blasphemia appellari potest, quod ex inscrutabili divinorum judiciorum abysso certo constat esse constitutum. Et sane, si ita liceret colligere, multa alia dogmata possent impune negari, ut peccati originalis transfusio in omnes homines, pœnarum æternitas, aliaque id genus, quæ fide credimus, ratione autem comprehendere non valemus. Apostolus Paulus inter opera carnis, quæ a regno Dei excludunt, etiam *hæreses, & sectas* recenset ad Gal. V. 26. Apostolo tota consentit Ecclesiæ traditio: hoc sufficit, ut id certo certius esse credamus, ut ut incomprehensibile sit.

174. Quod autem additum est, plurimos ab Ecclesia Catholica dissidentes charitatem habere, si de iis, qui scienter, & pertinaciter dissident, in-

Observat etiam Nat. Alexander in Sæc. V. cap. IV. art. I. lapsos esse Evagrium, & Photium, qui Synesium Episcopum Cyrenensem fecerunt, fuit enim patria quidem Cyrenensis, sed Episcopus Ptolemaidis. Vid. *l'Hist. Critique de l'Eclectisme, ou des nouveaux Platoniciens*, ubi Tomo I. pag. 161. & seq. auctor evincere nititur, Synesium non prius fuisse baptismate tinctum, & ad Episcopatum electum, quam ethnicas opiniones ejurasset.

(a) Multa alia S. Patris loca afferri possent; sed non sunt prætermittenda, quæ habet in Lib. XVIII. *de Civitat. Dei* cap. 51. Tomo VII. *Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid, novumque sapiunt, si correpti, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.*

(b) Ita Jo. Ger. Noodt Prof. Leydensis in Sermone *de Relig. ab imperio jure gentium libera*; quem gallice vertit Barbeyracus sub tit. *Disc. sur la liberté de conscience.*

intelligatur, tam falsum est, quam quod maxime. *Caritatem*, inquit S. Aug. *de Symbolo* c. 11. *non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt*: & iterum Lib. III. *de Baptismo* c. 16: *quodlibet hæretici, & schismatici accipiant; charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, donum est Catholicæ unitatis, & pacis*. Et ante eum S. Cyprianus de schismaticis loquens, inquit (*de unitate Ecclesiæ*): *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa Fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest*.

175. Ultimum, si quid probat, tolerantiam universalem inducit, non solum omnium Hæreticorum, sed etiam Judæorum, Gentilium, atque ipsorummet Atheorum. Sed facile est respondere, Deum, quamvis noluerit, in Religionis negotio talem esse evidentiam, qualis in Arithmeticæ theorematibus invenitur, ut nemo vel volens refragari posset, tantam tamen perspicuitatem in ea constituisse, quæ ad hominem suæ salutis sollicitum plene convincendum sufficeret, ut proinde iis merito possit vitio verti, qui non credunt. Nihil vero magis falsum, quam in nostra potestate non esse, Dei gratia opitulante, recte de Religione sentire. Utatur homo ea, qua par est in re tanti momenti diligentia, & nullus dubito, quin Dei auxilio, erroribus explosis, veram, & unicam Religionem cognoscet, sancte amplectetur, & conservabit.

176. Obj. ultimo. Etiam in Ecclesia Rom. infinitæ propemodum sunt circa fidei dogmata dissensiones, & controversiæ. Nam primo variæ, sibique adversæ sunt scholæ, Augustinianorum, Thomistarum, Scotistarum, Molinistarum; deinde vel ipsi unius scholæ asseclæ haud raro inter se vehementer pugnant, & tamen id sine ullo salutis dispendio fieri posse, putatur. Quidni eadem quoque indulgentia Heterodoxis in articulis levioris momenti concedatur?

177. Resp. In eo positum esse magnum discrimen, quod inter Catholicos salva fidei unitate de iis disputare licet, quæ Ecclesiæ definitione nondum determinata sunt, dummodo id fiat non partium studio, sed veritatis amore, non verborum acrimonia, animorumque offensione, sed charitatis officio servato; & cum ea animi dispositione, ut omnis controversia cesset, semel ac Ecclesiæ oraculum prolatum fuerit. At vero tolerantes effrenem sibi licentiam postulant; cum ea etiam se in controversiam vocare posse præsumunt, quæ infallibili Ecclesiæ definitione rata, & firma jam sunt. Quæ licentia si daretur, nulla jam essent fidei dogmata utut capitalia, quæ pari jure in controversiam vocari non possent. Quomodo enim Sociniano persuadebimus, Trinitatis mysterium dogma esse capitale, qui illud plane articulum Fidei esse negat? Atque aperta semel hac porta, eo usque tolerantismus excurret, ut quælibet secta nedum Christianorum, sed & Judæorum, Mahumetanorum, atque ipsorum Gentilium tolerari debeat. Sed de his hactenus.

## DISSERTATIO III.

*Demonstratur, Ecclesiam esse legitimum, supremum, & infallibilem Fidei controversiarum judicem.*

1. Hæc est disputatio cum Hæterodoxis omnium maxima; si enim contra ipsos evicerimus, Ecclesiam esse supremum, & infallibilem omnium Fidei controversiarum judicem, jam veluti uno ictu multorum capitum hydra de medio tollitur; omnes enim, quæ nos inter, & ipsos disputationes vigent, cessare necesse est, si Ecclesiæ judicium audire non detrectaverint. Hinc celebris illa inter Bossuetum, & Jo. Claudium collatio circa hoc unum punctum versata fuit: ex eo enim omnes aliæ certa quadam ratione dependent. Ut autem hæc materia, quæ summi momenti est, ordinate, & perspicue pertractetur, in varia capita dividenda erit, & primo, quid nomine Ecclesiæ veniat, explicandum est.

### CAPUT I.

*De nomine, & definitione Ecclesiæ.*

2. Ecclesia, si vim nominis græci κκλία, vel ἐκκλησία, unde ἐκκλησία dicta est, attendamus, significat hominum *convocationem*, seu *aggregationem*, vel *cætum*; ac proinde quæcumque hominum congregatio, imo etiam cœtus malignantium vocatur *Ecclesia*, ut in Ps. XXV. 5. A nobis tamen hoc loco Ecclesia sumitur pro *cætu populi fidelis*; & quidem generaliter, prout omnes Ecclesiæ particulares unam, eamque universalem constituunt: quo sensu dicimus in Symbolo Apostolorum: *credo Sanct. Ecclesiam Catholicam*.

3. Hoc sensu sumpta Ecclesia olim definiri solebat *congregatio*, *vel collectio fidelium* (a). Quamobrem Melchior Canus Lib. IV. *de locis theol.* cap. 2. probat illam definitionem traditam a Nicolao Papa, scilicet *Ecclesiam esse Catholicorum collectionem*; quia hac definitione excluduntur ab Ecclesia infideles nondum baptizati; imo

(a) Ita S. Thomas Lib. *contra Gentes* cap. 78. loquens de Ecclesia, *quæ*, inquit, *in fidelium collectione consistit*; & in IV. *Sententiarum* Dist. 20. quest. 2. art. 4. ipsam vocat *congregationem fidelium*, imo & Catechismus Rom. Part. I. cap. 6. de nono Symboli art. *militans Ecclesia*, inquit, *est cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt*.

mo & hæretici, quos Ecclesiæ partes non esse, non modo communis Scholasticorum Theologorum, sed etiam S. Cypriani, Augustini, & Gregorii Pap., ac duorum generalium Conciliorum Lateranensis, & Florentini inconcussa sententia est. Et certe, ut bene advertit laud. mox Melchior Canus, *absurdum est, qui Catholicæ Ecclesiæ partes non sint, hos Ecclesiæ Christi partes asserere*.

4. Quanquam vero hæc Ecclesiæ definitio accurata, & sufficiens olim habita fuerit, pro majore tamen perspicuitate, atque ut magis aperte vera Ecclesia Christi ab Hæreticorum, vel Schismaticorum communionibus sejungeretur, modo ab omnibus fere adoptata est definitio Ecclesiæ a Bellarmino L. III. *de Ecclesia militante* c. 2. tradita, ut sit *cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis* (a).

5. Hæc definitio, ut patet, nonnisi Ecclesiam in terris militantem designat, de qua sola nobis in præsentiarum cum Protestantibus controversia est, non autem regnantem in cœlis, quæ proprie est *cœtus ille clarissimus, & felicissimus beatorum spirituum, & eorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo dæmone triumpharunt; & ab hujus vitæ molestiis liberi, ac tuti æterna beatitudine fruuntur*. Ita Catechismus Rom. P. I. de nono Symb. art. num. 5. qui etiam scite observat, non duas has esse Ecclesias, sed ejusdem Ecclesiæ partes duas: *quarum una antecessit, & cœlesti patria jam potitur; altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore conjuncta in sempiterna felicitate conquiescat*.

6. Observat insuper idem Catechismus, in Ecclesia militante duo esse hominum genera, bonorum, & improborum; *& improbi quidem eorumdem Sacramentorum participes, eamdem quoque, quam boni, fidem profitentur, vita, ac moribus dissimiles: boni vero in Ecclesia dicuntur ii, qui non solum fidei professione, & communione Sacramentorum, sed etiam spiritu gratiæ, & charitatis vinculo inter se conjuncti, & colligati sunt* (b).

7. Hinc patet, internam charitatem, & sanctitatem ad veram Ecclesiam pertinere: imo esse ejusdem Ecclesiæ quasi animam, & spiritum; nulla tamen ejusdem charitatis mentio in tradita definitione facta est, ut nempe posset omnibus ejusdem membris accommodari. Atque, ut verum fateamur, ea definitio non totam Ecclesiæ essentiam complectitur, sed tantum eam partem, quæ visibilis est, seu, ut ita dicamus, ipsum Ecclesiæ corpus, de quo maxime solliciti esse debemus, ubi agitur de Ecclesiæ auctoritate, cui obtemperare tenemur: hæc enim visibilis esse debet, quod aliquanto operosius ostendemus.

## CAPUT II.

### *Vera Christi Ecclesia debet esse visibilis.*

8. Id primo variis figuris sacræ litteræ exprimunt; modo enim Ecclesiam designant nomine *montis in vertice montium omnibus conspicui, ad quem fluent omnes gentes* Isaiæ II. 2. modo no-

(a) Jo. Launoius Part. VIII. epist. 13. ad Nicol. Gatienum ostendere conatus est, hanc Bellarmini definitionem fuisse veteribus prorsus ignotam; & omnes Ecclesiæ definitiones a veteribus traditas, improbo, ut ille solebat, labore collegit, incipiendo a S. Justino, usque ad Canisii tempora, a quo primum mentionem factam fuisse dicit *regiminis Pastorum, ac præcipue Rom. Pontificis*; cum antea Ecclesia fuerit semper definita breviter, & simpliciter *cœtus, seu congregatio fidelium*. Pace tamen Launoii S. Ignatius in epist. ad Trallianos cap. 3., postquam nominasset Diaconos, Presbyteros, & Episcopum, *sine his*, inquit, *Ecclesia non vocatur*. Ita apud Cotelerium in *Patribus Apost.*; sed apud Is. Vossium legitur: *sine his Ecclesia electa non est*. Et adhuc expressius S. Cyprianus ep. 96. ad Pupianum Ecclesiam dicit esse *plebem Sacerdoti adunatam, & Pastori suo gregem adhærentem*. Ceterum nec ipse Launoius hanc definitionem omnino improbare videtur, dummodo, quæ Bellarminus adjecit, non ad ipsam Ecclesiæ naturam, sed solum ad ipsius statum pertinere dicantur. Eamdem improbant Heterodoxi, qui saltem *tertium membrum de subjectione erga Rom. Pontificem ablatum vellent*: ut videri potest apud Jo. Gerhardum in *locis theol.* Loc. 10. §. 139. his autem satis modo sit opponere S. Ambrosium in Ps. XL. num. 30. dicentem: *ubi est Petrus* (vel ejus successor Rom. Pontifex), *ibi Ecclesia*. Sed contra istos opportuniorem habebimus disputandi locum. Qui plura de hac definitione Ecclesiæ desiderat, adeat Tournelium in Tract. de *Ecclesia* Quæst. I. art. 2. & clariss. P. Antonin. Valsecchi in egregio Libro recens Patavii vulgato 1787. in 4. cui titulus *Verità della Chiesa Romana*, cap. 1.

(b) *Notandum autem est* (Bellarm. supra laud. subdit) *ex Augustino in Breviculo collationis tertiæ, Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima, & corpus: & quidem anima sunt interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas &c. Corpus sunt externa professio fidei, & communicatio sacramentorum, ex quo fit, ut quidam sint de anima, & de corpore Ecclesiæ, & proinde uniti Christo capiti interius, & exterius; & tales sunt perfectissime de Ecclesia; sunt etiam quasi membra viva in corpore. Rursum aliqui sint de anima, & non de corpore, ut Catechumeni, vel excommunicati, si fidem habeant, & charitatem, quod fieri potest. Denique aliqui sint de corpore, & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in sacramentis communicant sub regimine Pastorum; & tales sunt sicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano.* Hac posita doctrina facillime conciliantur illa loca S. Aug. in quibus dicit, peccatores esse extra Ecclesiam, cum iis, quibus asserit, eos esse in *domo Dei*, & *intra Ecclesiam*. Nimirum non pertinent ad Ecclesiæ animam, pertinent tamen ad corpus.

nomine *civitatis supra montem positæ*, quæ non potest abscondi Matth. V. 14.; comparatur etiam *soli* Ps. XVIII.; aliisque hujusmodi symbolis declaratur, Ecclesiam Christi nedum visibilem, sed etiam splendidam, totoque orbe clarissimam futuram. Atque ut Ecclesiam suam visibilem redderet, Verbum Dei antea absconditum in sinu Patris visibilem carnem assumpsit, sibique Apostolos, primosque Discipulos visibili societate conjunxit.

9. Sed illustris hac in re est locus ille Matth. XVI. 18., ubi Christus audita confessione Petri, illi dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum &c.* quibus in verbis luce meridiana clarius apparet, fuisse Ecclesiam supra petram visibiliter ædificatam, utpote quæ auctoritatem clavium visibiliter exercet, ligando, atque solvendo.

10. Ministerium etiam visibile in ea instituit Christus, quando jam jam ascensurus in cœlum Apostolis ita præcepit Matth. XXVIII. 19. seq. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis &c.* Quod visibile Ecclesiæ ministerium clarius exponit S. Paulus Eph. IV. n. 11. seq. dicens: *& ipse* (Jesus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi &c.* Quæ omnia visibilem Ecclesiam constituunt.

11. Hinc etiam, quod Ecclesia perpetuo usu consuevit, filios suos dociles instruere, errantes corrigere, inobedientes punire, ac rebelles, & contumaces e sinu suo expellere, quæ omnia nonnisi in visibili Ecclesia fieri possunt. Atque hic demum dicitur Ecclesia a persecutoribus affligi, ab hæreticis, & schismaticis lacerari, a justis honorari, ab Evangelicis operariis coli, & dilatari, fructificare &c. quæ, & alia id genus plura intelligi non possent, si Ecclesia esset invisibilis.

12. Accedit demum, teneri unumquemque veræ Dei Ecclesiæ se adjungere, extra quam nulla est salus: at vero qui id fieri posset, si Ecclesia esset invisibilis? Vid. sup. n. 143.

13. Respondent quidem aliqui (*a*), non semper necessariam esse externam communionem cum vera Ecclesia; sed aliquando sufficere internam, quæ cum Ecclesia invisibili per fidem haberi potest. Sed primo externa confessio fidei certe est necessaria, dicente Paulo Rom. X. 10. *Ore fit confessio ad salutem*. Necessaria est item Sacramentorum participatio: quæ duo cum nonnisi in vera Ecclesia haberi possint, eandem veram Ecclesiam cognoscere opus est. Præterea nobis præceptum a Christo fuit, ut Ecclesiam, ejusque Pastores audiamus Matth. XVIII. 17. & Luc. 16.; debet ergo veræ Ecclesiæ, ejusque Pastorum cognitio præcedere: & cum hæc omnia semper necessaria sint, etiam semper visibilis debet esse Ecclesia.

14. Hæc autem cum dicimus, non contendimus, Ecclesiam esse in omni sua parte visibilem; sed solum esse semper visibilem saltem quantum ad externum ministerium, & quantum ad auctoritatem definiendi, imperandi, solvendi, atque ligandi; hoc autem sufficit, ut Ecclesia dicatur visibilis, quemadmodum homo visibilis dicitur, quamquam nobilior ejus pars, nempe anima, non videatur (*b*).

15. Obj. 1. Sacræ litteræ hoc ponunt Ecclesiam inter, & Synagogam discrimen, quod hæc visibilis fuerit, illa invisibilis. Nam Jeremiæ XXXI. 33. de fidelibus Ecclesiæ dicitur: *dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Adhuc clarius Apostolus ad Hebr. XII. 18. Ecclesiam, quam nomine *montis Sion* designat, opponit Synagogæ sub nomine *montis Sinai*; & hanc visibilem, & tractabilem dicit, secus vero Ecclesiam. *Non enim*, inquit, *accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, . . . sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, & Jerusalem cælestem &c.*

16. Resp. ad 1. Antithesim, quam Jeremias instituit, non in eo esse, quod Synagoga fuerit visibilis, invisibilis vero Ecclesia; sed potius in donis gratiæ, quæ multo majora, & efficaciora collata sunt Ecclesiæ in novo fœdere, quam fuerint Synagogæ in veteri testamento concessa; quod uberius explicat S. Paulus Hebr. VIII. & X. 16. seq. Imo & Ezechiel clarius expresserat XXXVI. 26. iis verbis: *auferam cor lapideum de carne* ve-

(*a*) Jo. Gerhardus, & Franc. Turrettinus, aliique ex Protestantium secta.

(*b*) Protestantes, ut in aliis pluribus capitibus, ita & in hoc multum variarunt, ut demonstravit Bossuetus in Lib. XV. *Histor. variat. Eccles. Protest.* Nam primo Ecclesiam semper esse visibilem ex communi ejus notione confessi sunt; quod ex omnibus fere eorumdem *Confessionibus* Bossuetus ostendit. Post autem, ut fatetur Jurius in suo *system. veræ Ecclesiæ*, cum perpetuo premerentur a Catholicis, ubinam Ecclesia fuerit ante pseudo-reformationem, cœperunt non pauci docere, eam fuisse invisibilem, & in solis justis, vel electis conservatam. Hinc acriter de Ecclesiæ visibilitate disputari cœptum est. Neque vero (saltem ex parte Catholicorum) hæc disputatio pura λογομαχία dici potest, ut Basnagius contra Bossuetum contendebat Tom. II. *de l' Hist. de l' Eglise*; est enim intime conjuncta cum aliis duabus summopere necessariis, an Ecclesia aliquando defecerit, vel deficere possit; & an sit in dogmaticis definitionibus infallibilis? Ac proinde pro visibili Ecclesia tuenda, & laudatissimus Bossuetus, & multi alii ex nostris strenue hactenus dimicarunt; quorum exemplum & nos imitari oportet.

*vestra*, *& dabo vobis cor carneum:* scilicet molle, & obediens per gratiam Jesu Christi diffusam in cordibus nostris; unde etiam eodem loco Ezech. subdit Deus: *& faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Quæ omnia eo unice tendunt, ut gratiæ N. T. energiam, & abundantiam ostendant.

17. Nec etiam obsunt verba S. Pauli objecta; nam primo Apostolus videtur loqui de Ecclesia triumphante in cœlis, quæ certe est invisibilis; non autem de militante, cujus ministerium, sacramenta, professio fidei, aliaque permulta visibilia sunt. Quamobrem inquit vers. 22. *accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Quod si aliquis contendat, loqui Apostolum de Ecclesia simul triumphante, & militante, ut reipsa interpretes credunt, tunc facile respondemus, Apostolum respexisse ad dona spiritualia gratiæ, præcipue autem ad promissiones cælestes, quæ propriæ sunt legis gratiæ: cum in antiquo fœdere promissiones saltem explicite nonnisi temporales essent (*a*).

18. Obj. 2. Christus Dominus interrogatus a Pharisæis, quando venturum esset regnum Dei, respondit Lucæ XVII. 20.: *non veniet regnum Dei cum observatione; neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Porro regnum Dei nihil est aliud, quam Ecclesia. His consonant etiam alia ejusdem Servatoris verba Joann. IV. 23.: *venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate.* Jam vero, ubi est vera adoratio Dei, ibi est vera Ecclesia; si ergo adoratio est tantum in spiritu, adeoque invisibilis, etiam Ecclesia invisibilis esse debet.

19. Respond. ad 1. Regnum, de quo quæstio tunc erat, esse regnum, seu adventum Messiæ: hunc autem adventum esse Dominus dicebat, non *cum observatione*, idest non cum pompa, & majestate terrena, quemadmodum illum præstolabantur carnales Judæi. Imo addebat, esse jam hoc regnum inter ipsos; reipsa enim Christus advenerat, ad fundandum regnum spirituale, visibile tamen propter externam doctrinam, externa sacramenta, atque externam obedientiam legitimis Pastoribus, quibus vinculis voluit fideles simul colligari.

20. Et sic etiam intelligi debent nonnulla alia loca Scripturarum, in quibus regnum Dei *spirituale* appellatur; ut cum dicitur 1. Petri II. 5., *& ipsi tamquam lapides vivi superædificamini: domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Ecclesia enim est certe ædificium spirituale, quia præcipuæ ejus partes, mysteria, actus fidei, spei, & charitatis, justi, & prædestinati, imprimis autem interior gratia, ac Spiritus Sancti dona spiritualia sunt. Inde tamen non fit, totam ipsam Ecclesiam esse spiritualem, & invisibilem, quia multa alia in ea sunt visibilia, & externa, quæ in sensus incurrunt. Sic homo invisibilis non dicitur, quamquam potissima ejus pars, nempe anima, spiritualis est, & invisibilis.

21. Verba autem Christi Joann. IV. nullatenus excludunt cultum externum, & etiam sensibilem orandi modum, qualis in Ecclesia adhibetur; sed solum exigunt interiorem spiritus affectum, sine quo nihil valet cultus externus: quamobrem de Judæis dicebat Deus: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* Isaiæ XX. 13., & Matth. XV. 8. Addidit etiam Christus, *in veritate*, ad excludendum superstitiosum Samaritanorum cultum.

22. Obj. 3. In Symbolo profitemur nos credere Ecclesiam; sed objectum fidei est invisibile: Ergo &c.

23. Respond. Ecclesiam a nobis & videri, & credi; diversa tamen ratione. Eam videmus in corpore Pastorum, qui nos regunt, & quibus obedire tenemur; videmus in doctrina, quam ore etiam profitemur; in Sacramentis, quæ participamus; eamque hoc modo vident ii etiam, qui eamdem non credunt. Credimus autem, eam esse a Jesu Christo fundatam, & a Spiritu Sancto dirigi. Credimus, spirituale, & divinum in ea sacrificium offerri: atque etiam credimus eam esse infallibilem in dogmatibus fidei, & morum proponendis: hinc credendo Ecclesiam credimus ea omnia, quæ nobis Ecclesia proponit credenda. Non pauca alia sunt, quæ simul videmus, & credimus. Sic Sacramentorum materia, & forma sensibiles sunt, invisibilis autem est gratia, quæ in iis confertur. Christus Dominus visibilis erat in humanitate assumpta, invisibilis in divinitate: unde etiam Thomæ dixit: *quia vidisti me, Thoma, credidisti;* qui tamen aliud vidit, & aliud credidit.

24. Obj. 4. S. Augustinus, aliique Patres, sæpius docent Ecclesiam coalescere ex justis, qui certe non videntur. Præterea idem S. Pater loquens de temporibus Antichristi Epist. 199. alias 80. c. 11. *quando*, inquit, *sol obscurabitur.... Ecclesia non apparebit.* Imo nostris etiam temporibus eam invisibilem aliquando fieri docet, inquiens Epist. 93., alias 48. cap. 9. num. 30. *ipsa Ecclesia aliquando obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum.*

25. Resp. Mirum esse ab Adversariis advocari in patrocinium suæ causæ S. Augustinum, qui contra Donatistas non solum visibilem esse Ecclesiam, sed admodum conspicuam esse debere, atque omnibus manifestam, data opera multis in locis demonstravit (*b*). Quando autem eam ex justis

(*a*) Vide, quæ dicta sunt Part. I. Diss. III. n. 75.

(*b*) Vid. Tract. I. in Epist. S. Joann. n. 13. & Lib. III. contra Epistol. Parmeniani c. 5. T. IX. ubi ait: *nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei Ec-*

etis coalescere dicit, doctissimam, & insignem ejusdem portionem indigitat; non autem totam Ecclesiam, in qua etiam peccatores contineri, Augustinus ipse sæpius tradidit. Rursus justi, quamquam visibiles non sint ex charitate, quæ intus latet, visibiles tamen sunt ex professione externa fidei, ex participatione Sacramentorum, & ex obedientia legitimis Pastoribus. Hinc S. Augustinus Lib. VII. *de baptismo* cap. 51. loquens de Ecclesia, prout est *templum Dei sanctum*, dicit eam esse *in Sanctis Dei servis ubique dispersis, & spirituali unitate devinctis in eadem communione Sacramentorum*; omnino significans, præter invisibile vinculum spirituale, requiri in justis etiam visibilem Sacramentorum communionem.

26. Cum vero Ecclesiam obscuratum iri dicit turbulentis illis Antichristi temporibus, non vult, eam futuram prorsus invisibilem, sed solum minus gloriosam, minusque conspicuam. Ita enim pergit: *tunc stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur*; *quoniam* (non omnes) *qui gratia fulgere videbantur*, *persequentibus cedent, & cadent; & quidam fideles fortissimi turbabuntur*.

27. Eademque ratione etiam alia verba explicanda sunt, videlicet multitudine scandalorum nonnunquam obscurari Ecclesiæ fulgorem; non autem Ecclesiam ipsam fieri prorsus invisibilem. Nam S. Pater continuo de eadem Ecclesia subdit: *sed etiam tunc in suis firmissimis eminet*.

28. At vero, inquiunt, contingere aliquando potest, ut exortis in Ecclesia disputationibus de fide, ignoretur a populo, quænam litigantium pars veritati adhæreat; ut in controversia de rebaptizandis hæreticis contigisse agnoscit S. Augustinus.

29. Resp. Id quidem contingere posse in aliquibus, sed non in omnibus dogmatibus fidei; eoque in casu, qui certe rarissimus erit, Ecclesiam adhuc visibilem permanere in ceteris partibus: fideles autem debere judicium Ecclesiæ expectare, eique & ore, & corde se subjicere: quod & in controversia anabaptismi factum est.

30. Scholion. Si vera Ecclesia Christi semper visibilis esse debet, manifeste consequitur, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram; utpote quæ non solum visibilis, sed plane splendida, & gloriosa semper apparuit, tum in continua successione Romanorum Pontificum, in quibus veneratur caput suum visibile; tum in celebratione plurimorum Conciliorum generalium; tum in proscriptione omnium hæresum, quæ exortæ sunt; tum denique in tot viris doctrina, virtutibus, & sanctitate spectatissimis, qui in ea omni tempore floruerunt. Non sic autem fuerunt visibiles societates Protestantium, ut fusius mox demonstrabitur.

## CAPUT III.

*Ostenditur, Ecclesiam Christi visibilem nec defecisse unquam, nec deficere posse.*

31. Donatistæ olim, ut justam aliquam sui schismatis causam prætexerent, veram Christi Ecclesiam defecisse commenti sunt; quem absurdum errorem variis in libris confutavit S. Augustinus. Horum vestigia premunt Sociniani, eorumque amici Remonstrantes (a).

32. Protestantes autem, qui Ecclesiam dividunt in visibilem, & invisibilem, hanc secundam nunquam deficere posse, dicunt; atque de hac sola omnes perennitatis promissiones, quas sæpius repetitas in sacris litteris invenimus, intelligi volunt. Ecclesiam autem visibilem, sin minus prorsus cessare, aut totam extingui, saltem ita posse obscurari contendunt, ut neque ubi sit, nec an reipsa sit, facile distingui queat. Atque id sæpius contigisse arbitrantur, nedum in veteri Synagoga, sed etiam in novo Testamento (b).

33. Catholici, quamvis concedant, posse Ecclesiam Dei aliquando minus fulgere, negant tamen, eamdem sic obscurari posse, ut nullibi, & nullatenus appareat; multoque magis inficiantur, eam *totam* extingui posse, & cessare. Dixi *totam*; tristis enim experientia sæpius demonstravit, Ecclesias particulares extingui penitus posse. Ratio autem discriminis est, quod Ecclesia non sit indefectibilis ex propria ipsius essentia, sed ex promissionibus divinis, quæ toti Ecclesiæ, non singulis ejus partibus, factæ sunt.

34. Inter varias autem hujusmodi promissiones celebris est illa: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ* in-

*clesia declarata, quæ super montem constituta abscondi non potest; & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit*. Idemque repetit sexcentis in locis contra Donatistas.

(a) Ita Faustus Socinus in epist. I. ad Radecium; quem secuti sunt Valent. Smalcius in *Refut. thesium Wolffg. Franzii*, Volkelius lib. IV. *de vera Relig.* c. 7. aliique passim Sociniani. Idemque postea docuerunt Simon Episcopius in *disp. privatis de Ecclesia*, & *in Institut. Theol.* Lib. IV. Steph. Curcellæus in *Tract. de Ecclesia J. C.*, ac denique aliis prætermissis Phil. Limborchius; quamvis iste alicubi ambigue, & tergiversando loquatur.

(b) Hanc sententiam fuse, ut solet, defendere nititur Joann. Gerhardus Luther. in Tomo XI. *Locorum theolog.* cap. 7.; ex Calvinistis autem Franc. Turretinus in Part. III. *Institut. theolog. elenct.* Loco XVIII. q. 9. Porro hæc doctrina ab omnibus Heterodoxis invenienda fuit, ut quoquo modo suis persuaderent, se a primæva Christi, & Apostolorum Ecclesia descendere. Cum enim nec perpetuam suorum Pastorum successionem, nec visibilem hominum societatem, qui eamdem cum ipsis fidem professi fuerint, alicubi reperiant, eo devoluti sunt, ut dicerent, hæc quidem semper fuisse, sed non semper apparuisse; & in hac invisibili fidelium societate veram Dei Ecclesiam usque ad tempora pseudo-reformationis fuisse conservatam; & tunc iterum nativum suum splendorem recepisse.

*inferi non prævalebunt adversus eam* Matth. XVI. 18. tum aliam Matth. XXVIII. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes* &c. *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Utraque hæc promissio ad Ecclesiam visibilem spectat, quæ nempe ex baptizatis, & baptizandis, doctoribus, & discipulis, Pastoribus, & plebe conflanda erat. Ulterius non ad Apostolos restringi potest, utpote qui usque ad consummationem sæculi victuri non erant; respicit ergo etiam eorum successores, & totam Ecclesiam visibilem (*a*).

35. Neque vero quis regerat, has promissiones fuisse conditionatas, atque iis similes, quibus promissum est, Ecclesiam futuram *gloriosam*, *non habentem maculam*, *aut rugam*, *aut aliquid hujusmodi*, *sed sanctam*, *& immaculatam* Ephes. V. 27.; quæ promissiones non absolutæ erant, sed conditionatæ.

36. Non, inquam; etenim, ut observat S. Augustinus Serm. VIII. alias IX. *de verbis Apost.* cap. 5. hujusmodi promissiones spectant ad Ecclesiam triumphantem, non militantem: hæc enim orare debet: *dimitte nobis debita nostra;* adeoque habet maculas, & rugas. Sed hac de re inferius sermo redibit num. 106. & seq.

37. Nec etiam valet exemplum, quod aliqui afferunt, promissionis factæ Regibus *Prov.* XVI. 10. *Divinatio in labiis Regis*, *in judicio non errabit os ejus;* cum tamen nemo inde colligat, Reges in suis judiciis nunquam errare. Observat enim doctissimus P. Houbigant ex textu Hebraico potius ita legi debere: *labia Regis sunt quasi oracula:* quia nempe populi debent ipsis obedire, ac propterea iisdem Regibus inculcatur, ne in judiciis suis errent; ut illa verba non tam promissionem contineant, quam admonitionem; scilicet omnem a Regibus adhibendam esse diligentiam, ne errent.

38. Præter allatas Christi promissiones, quæ Ecclesiam nunquam deficere posse ostendunt, celebre est etiam illud testimonium Apostoli 1. *ad Timoth.* III. 14. & seq., ubi post nonnulla monita eidem Timotheo data ita concludit: *Hæc tibi scribo .... ut scias, quomodo oporteat te* (*b*) *in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*. Quæ verba licet perspicua in se sint, tamen clariora adhuc fiunt ex commentario Sancti Augustini, qui Serm. I. in Psalm. CIII. num. 17. verba illa: *fundavit terram super firmitatem ejus* mystice de Ecclesia intelligens, quæ fundata est super fundamentum Christi Jesu, *non inclinabitur*, inquit, *in sæculum sæculi*. *Ipsa*, ( Ecclesia ) *est prædestinata columna*, *& firmamentum veritatis*.

39. Hic locus valde torquet Adversarios; unde ad ejus vim eludendam varias excogitarunt ejusdem interpretationes. Primo aliqui id non alia de causa dictum volunt, nisi quia Ecclesia verbum Dei, seu sacros codices servat, & custodit. Secundo alii cum Calvino (*c*) ea verba *columna* &c. significare dicunt munus Ecclesiæ veritatem prædicandi, & propugnandi. Tertio quidam cum Jac. Picenino ( in *apologia* c. 16. ) illa verba ad solam Ecclesiam Ephesinam spectare contendunt, cujus zelum in veritatis defensione ibi commendat Apostolus. Quarto alii id de Timotheo dictum credunt; nam insolens non est, ut qui pro veritate fidei egregie laborant, columnæ, fulcra, & firmamenta veritatis appellentur (*d*). Quinto Jo. Cameronius ( *in Myrothecio Evangelico* ) ea verba de Ecclesia invisibili, quæ solos electos complectitur, intelligit. Sexto sunt etiam, qui syntaxim immutant, ut periocha iis verbis absolvatur: *quæ est Ecclesia Dei vivi;* sequentia vero cum versiculo proximo ita conjungunt: *columna*, *& firmamentum veritatis*, *& manifeste magnum est pietatis Sacramentum*, *quod manifestatum est in carne &c.* seu, ut legebant Jo. Clericus ( Tom. II. *Artis Criticæ* c. 10. n. 17. ) & Schultetus ( Dissert. in hunc locum ), *Mysterium pietatis est columna* &c. Alii alias hujus textus interpretationes exhibuerunt adeo obscuras, ut ipsæ interprete indigere videantur (*e*).

40.

(*a*) Georgius Bullus ex Episcopalium secta in procemio *Defensionis fidei Nicenæ* ex laudatis Christi promissionibus, Synodum Nicænam infallibilem fuisse evincit. Similiter Joann. Pearsonius in sua *Expositione Symboli Apostolici* art. 9. ex iisdem promissionibus concludit, Ecclesiam universalem perire non posse. Frigida autem est illa cavillatio, quam refert, & refellit Bossuetus in II. *Instr. Pastor. sur les promesses de J. C. faites à son Eglise* §. 39. Christum scilicet non promisisse, se futurum cum Apostolis, nisi *usque ad consummationem sæculi*, nempe sæculi Apostolorum. Manifestum est enim innumeris locis parallelis, hanc phrasim denotare *usque ad finem mundi*. Vid. apud eumdem Matth. XIII. 39. 40. 49., item XXIV. 13.

(*b*) Illa particula *te* in græco non invenitur; unde etiam magis patet præcepta de modo conversandi in Ecclesia Dei non spectare tantum ad Timotheum, sed ad omnes fideles. Confer Estium in hunc locum.

(*c*) Lib. IV. *Institut.* cap. 1. num. 10., & in *Comment.* ad hunc locum, ubi etiam insulse argumentum in nos retorquet, dicens, si Ecclesia columna est veritatis, non esse apud nos Ecclesiam, *ubi non modo sepulta jacet veritas*, *sed horrendum in modum diruta*, *& eversa pedibus calcatur*. Quasi scilicet satis sit id imprudenter asserere, ac sæpius repetere, quin solide demonstretur.

(*d*) Ita Guill. Chilinsvorthus Anglus in *Tract. de tuta*, *& salutari Protestantium religione* P. I. c. 3. §. 76.

(*e*) Aliqui etiam putarunt, ea verba, *columna*, *& firmamentum veritatis* ad Christum referri, laudantes auctoritatem Procopii in *Comm. in Exodum*, Cyrilli Alex. Lib. III. *de adoratione*, Clementis Alex. Lib. I. *Stromatum*, & Epiphanii tum *Heresi* LXIX., tum in *Ancorato*. Sed isti Patres potius allegorice ad Christum referunt illam columnam *nubis*, & *ignis*, quæ Israelitis dux itineris fuit. Ceterum in tot, & tam variis

40. Sed breviter hactenus allatæ refutantur. Prima interpretatio infirma prorsus est; si enim Ecclesia solum custos esset sacrorum librorum, potius arcæ, quam columnæ comparari debuisset; arcæ enim est conservare, columnæ vero sustentare. Hinc Judæi, qui vetus Testamentum conservant, ejusdem *Capsarii* a S. Augustino appellati sunt.

41. Alia explicatio Calvini admitti potest, si eo sensu intelligatur, Ecclesiæ munus esse, ita prædicare, & defendere veritatem, ut nunquam in hoc munere obeundo deficere possit; id enim indicant ea verba: *columna*, *& firmamentum veritatis*, præcipue si cum allatis superius promissionibus Christi conjungantur.

42. Qui vero laudata verba ad Ecclesiam Ephesinam restringunt, id sine ullo fundamento faciunt, cum Apostolus generatim de Ecclesia loquatur, cujus, ut supra vidimus cum S. Augustino, tantam indicat esse firmitatem, & constantiam in fide, ut *non inclinetur in sæculum sæculi*.

43. Quartam interpretationem falsam esse, facile apparet ex ipso textu: non enim ad Timotheum, sed ad Ecclesiam ea verba referuntur: *Columna*, *& firmamentum veritatis*. Neque obstet, fuisse tum in sacris litteris, tum sæpius apud sanctos Patres egregios Ecclesiæ Pastores nomine *columnæ*, *fulcri*, *& firmamenti veritatis* insignitos. Quilibet enim facile videt, in verborum similitudine magnam sensus diversitatem, ut nempe Ecclesia in sensu proprio ita appelletur, quia ex Christi promissionibus a veritate excidere non potest; alii vero in sensu minus proprio, quia veritatem pro sua virili defendunt. Sic Christus est prima veritatis columna, seu potius veritas ipsa; Ecclesia est pariter columna veritatis in Christo fundata; ac demum sancti Doctores possunt & ipsi vocari columnæ veritatis, prout Ecclesiæ inhærent.

44. Quinta interpretatio de Ecclesia invisibili textui Sancti Pauli aperte repugnat, qui præcepta Timotheo dat, quomodo debeat in Ecclesia *conversari*, *ἀναστρέφεσθαι*, quod certe de Ecclesia visibili intelligi debet, & quæ cum ibi *στύλος*, *καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* vocetur, nullo unquam modo deficere potest.

45. Qui demum syntaxim mutant, præterquamquod temeritatis notam non effugiunt, aliter textum coordinantes, quam a majoribus nostris lectus, & intellectus fuit, etiam sensum perturbant, & *mirum*, inquit Grotius (in Comment.) *quam laborent*, *ut hæc verba sequenti periodo connectant*. Omnino hic duo sibi vult Apostolus: primo Ecclesiæ auctoritatem commendare, eam *columnam* esse dicens, & *firmamentum veritatis*; post autem explicare, quæ sit hujusmodi veritas, quam Ecclesia sustentat, scilicet Incarnationis mysterium, quod vocat, *magnum pietatis Sacramentum*, & in quo velut in nucleo omnia religionis nostræ dogmata continentur.

46. Nec valent conjecturæ Abr. Schulteti (in *observ.* ad hunc locum) scilicet 1. suspensam videri dictionem, cum sequentia prioribus non cohæreant: 2. quia Apostolus a conjunctione & novum argumentum inchoaret: 3. durum esse, Ecclesiam dici columnam veritatis, cum potius veritas sit columna Ecclesiæ; quod pluribus Patrum dictis confirmari potest.

47. Omnes enim vanæ sunt hæ conjecturæ, quarum prior est aperte falsa, cum optime fluat sensus. Altera est etiam falsa, quia non novum argumentum Apostolus inchoat: deinde nec est insolens in sacris Litteris, ut novi argumenti initium desumatur a particula conjunctiva *&*. Ad tertium dici recte potest, veritatem esse columnam Ecclesiæ, quia est fundata in veritate, & rursus Ecclesiam esse columnam veritatis, quia ex Christi promissionibus eam semper retinebit; atque hoc sensu dixit etiam Chrysostomus Hom. XI. in hunc locum: *veritas est columna Ecclesiæ*.

48. Ad comprobandam perpetuam visibilis Ecclesiæ in Christi fide constantiam innumera etiam præsto sunt Ss. Patrum testimonia, ex quibus tamen nonnisi pauca brevitatis studio seligemus. Et quidem communem hanc fuisse omnium fidelium persuasionem, manifeste colligitur ex epistola Alexandri Patriarchæ Alexandrini ad suum cognominem Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum (apud Theodoretum Lib. I. *Histor. Eccles.* c. 1.), ubi, *profiteor*, inquit, *unam*, *ac solam Catholicam Ecclesiam*, *quæ semper quidem inexpugnabilis est*, *licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem est omnis impiæ factionis hæreticorum*, *qui adversus ipsam consurgunt*.

49. S. Augustinus Lib. II. *de Abraham* c. 5. *Ecclesia*, inquit, *tunditur sæcularium curarum fluctibus*, *sed non subruitur: cæditur*, *sed non labefactatur; commotiones fluctuum*, *& insurrectiones passionum corporalium facilis premere*, *ac mitigare; spectat aliorum naufragia ipsa immobilis*, *& exsors periculi* &c.

50. S. Jo. Chrysostomus Hom. IV. in Isaiam, *Ecclesia*, inquit, *firmioribus*, *quam ipsum cœlum radicibus defixa hæret; ... facilius est solem extingui*, *quam Ecclesiam deleri*. Et in Oratione, quam habuit, antequam iret in exilium (Tom. III. pag. 145.): *Nihil*, inquit, *Ecclesia potentius ... si Ecclesiam oppugnes*, *vincere nequis: omnibus quippe fortior est Deus ... Ec-*

cle-

adversariorum interpretationibus illud apposite occurrit, quod de Gnosticis olim dicebat S. Irenæus Lib. IV. cap. 35. *Cum igitur inter eos convenerit de iis*, *quæ in Scripturis sunt prædicta*, *tunc a nobis confutabuntur*. Alias vexatissimi hujus loci interpretationes refert doctissimus P. Bacchinius Ord. S. Bened. in tertia *epist. polem. advers. Jac. Piceninum*.

*clesia est ipso cœlo fortior; cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt* Matth. XXIV. 35. *Quæ verba? Tu es Petrus* &c. Matth. XVI. 18.; *si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt?... nihilque perfecerunt. Ubinam sunt hostes illi? silentio, & oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? plus quam sol splendescit* &c. Nemo autem negaverit, S. Jo. Chrysostomum de Ecclesia visibili locutum fuisse.

51. Sanct. Hieronymus *Comment.* in cap. II. Isaiæ, *super petram*, inquit, *fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur:* indigitat scilicet illa Christi verba Matth. VII. 24. & 25., quæ Ecclesiæ adaptari possunt: *Ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non excidit; fundata enim erat supra petram.*

52. S. autem Augustinus in operibus contra Donatistas hanc Ecclesiæ firmitatem quam frequentissime explicandi occasionem habuit, eos refellens, qui Ecclesiam periisse blasphemabant, aut solum in parte Donati inveniri. Et in Ps. LX. *Non vincetur Ecclesia*, fidenter, & secure ajebat, *non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis* (a).

53. Ac demum, ut de multis aliis taceam, S. Bernardus explicans illa verba *Canticorum III. 4. tenui eum, nec dimittam*, sic ait Serm. LXXIX. *in Cantica* n. 4. *Ita est: ex tunc, & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia: venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit; eo quod fundata est supra petram; petra autem erat Christus.*

54. Sed quid opus est veterum testimoniis, cum longa XVIII. pene sæculorum experientia luculenter ostendat, nullam humanam, vel diabolicam vim suffecisse unquam, aut sufficere ad evertendam Dei Ecclesiam; quam Deus ipse se in perpetuum servaturum esse promisit? Tribus, & amplius sæculis, cum adhuc quasi in incunabulis esset, eam omni violentia pertinacissime oppugnarunt simul conjuncti Judæi, & Pagani. Omnes vires Imperii Romani ad eam exterminandam directæ erant; sed frustra. Ecclesia de omnibus triumphavit, atque in ipsa Romani Imperii sede vexillum Crucis erexit. Everso Rom. Imperio magna Barbarorum colluvies omnia diu, multumque turbavit: sola Ecclesia immota subsistens ipsos barbaros mansuefecit. Ferocius, ac multo crudelius, & fere perpetuum contra eam fuit Hæreticorum bellum; primisque extinctis alii successerunt, usque ad hæc nostra tempora. Ipsam quidem dilaceraruut, penitus tamen convellere non potuerunt. Tota mundi historia nullum simile durationis exemplum nobis suppeditat; quo fit, ut certo concludere debeamus, non humanis artibus, non nativa sua virtute, sed una superna Omnipotentis Dei ope Ecclesiam firmam consistere, ut proinde credere debeamus ipsam permansuram usque ad consummationem sæculi. Id prævidit olim prudens ille Gamaliel, qui suos Judæos sic alloquebatur: *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud* Act. V. 38.

55. Scholion. Adeo hæc manifesta sunt, ut Joann. Francisc. Buddeus (in *Histor. Theolog. dogm.* Lib. V. cap. 5.) sæpius confessus fuerit, Ecclesiam, etiam qua parte visibilis est, nunquam posse totam corrumpi, & cessare; ne tamen inde concedere cogatur, eam esse infallibilem, contendit, nullibi fuisse promissum Ecclesiæ, ut in multos, gravissimosque errores labi non possit; imo conatur evincere, eam reipsa lapsam fuisse. Sed mirum est, hominem doctum non vidisse, si cum hac restrictione promissiones Christi intelligi debeant, posse eas non uni veræ Christi Ecclesiæ, sed cuicumque hæreticorum sectæ facile adaptari; nulla enim fuit adeo corrupta, ut totum plane verbum Dei depravaverit. Sed de hoc postea.

56. Multa objici solent, ut ostendatur, Ecclesiam in V. T. sæpius defecisse; & primo quidem defecisse dicitur, Adam, & Eva peccantibus: in iis enim duobus tota Ecclesia continebatur. Secundo, temporibus Noe, quando, ut dicitur Gen. VI. 11. *corrupta est terra coram Deo, repleta est iniquitate*. Tertio, Abrahami ætate, quem fuisse aliquando idololatram cum sua familia ex *Isaiæ XLIII.* 27. & Josue XXIV. 2. colligitur. Quarto tempore Moysis, cum tota synagoga vitulum aureum adoravit Exodi XXXII. Quinto, sub Judicibus post Josue; tunc enim *Hebræi*, ut habetur *Judic.* II. 11. *servierunt Baalim, ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum*. Sexto, tempore Eliæ prophetæ, qui 3. Reg. XIX. 10. conquerebatur, se *derelictum solum*. Septimo alii etiam Prophetæ universalem totius Israelis corruptionem sæpius deplorabant: sic Isaias cap. I. 6. dicebat: *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. Ore item Jeremiæ dicebat Deus II. 29. *Omnes dereliquistis me:* & Eze-

(a) Non possumus non exscribere alia ejusdem Sancti Patris verba, quamquam aliquanto prolixiora Serm. II. Enarrat. in Psalm. CI. num. Tom. IV. ubi inquit: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es. Vide, an tu adeo non sis: nam illa erit etsi non es. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis, & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam prævidit Spiritus Dei &c.* Et post aliqua ejusdem generis Ecclesiam inducit, quæ seipsam consolatur divina illa promissione: *ecce ego vobiscum sum &c.*

zechiel. X. 18. dicitur: *egressa est gloria Domini a limine templi*. Octavo, tempore captivitatis Babylonicæ, cum *defecit hostia, & sacrificium*. Nono, tempore nativitatis Christi; nam in Judæa ipsa *populus ambulabat in tenebris*. Decimo denique, tempore mortis Christi, ubi illud impletum est, quod Christus prædixerat discipulis suis Mat. XXVI. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*. Imo & post resurrectionem; Christus enim exprobravit *incredulitatem discipulorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. *Marci XVI.* 14.

57. At vero etiamsi Ecclesia in Veteri Testamento tota non semel defecisset, quod tamen nullatenus contigisse puto, non inde consequeretur, eam etiam in Novo Testamento posse in tantam calamitatem incidere, post tam amplas, & perspicuas promissiones ipsi a Christo factas, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quod Spiritus Sanct. docebit eam omnem veritatem, quod cum ea permansurus sit omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

58. Allata tamen momenta non demonstrant, veram Religionem in Vetere Testamento penitus aliquando defecisse, quanquam non semper eodem modo floruerit; neque enim insolens est in sacris litteris, ut propter multos impios, omnes ut impii redarguantur, ut cum in Psalmo XIII. dicitur: *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Sed expendamus singula. Peccatum Protoparentum nostrorum fuit superbiæ, & inobedientiæ, non infidelitatis, qua sola Religio prorsus extinguitur. Deinde illos fere statim pœnituit, ut proinde vix posset dici per illud peccatum religio sublata. Demum illico post peccatum facta est promissio futuri Redemptoris, a quo proprie incipit Ecclesia.

59. Quod dicitur, tempore Noe fuisse *corruptam terram, & repletam iniquitate*, vel *omnem carnem corrupisse viam suam*, debet cum aliqua restrictione accipi; nam 1. Familia Noe veram religionem colebat. 2. Mathusalem, qui ipso anno diluvii mortuus est, justus erat (*a*). 3. Probabile est quoque multos, qui aquis diluvii perierunt, fuisse per pœnitentiam salutem consecutos, ut colligitur ex 1. *Petri* III. 19. (*b*).

60. Quod objicitur de Abraham, nullum aliud habet fundamentum, nisi fortasse, quod *Isaiæ* cap. XLIII. 27. legitur: *Pater tuus primus peccavit*. At vere primo certum non est, hæc verba ad Abrahamum referri: secundo possent hæc verba intelligi de aliis peccatis, a quibus Abraham immunis non fuit, & non de idololatria. Difficilius fortasse erit, ejus familiam ab hoc crimine vindicare; sed eruditissimus Alexius Symmachus Mazochius (in *Spicilegio Biblico* ad Josue XXIV.) scite observavit, illa verba *servieruntque Diis alienis* non spectare ad Thare patrem Abrahæ, & Nachor, sed universe ad populos transfluviales; ita enim putat illum textum esse coordinandum: *trans fluvium habitaverunt patres vestri a sæculo* (inter quos erant etiam Thare pater Abrahæ, & Nachor); *servieruntque Diis alienis;* ut proinde de Thare, & Abraham, & Nachor nihil aliud dicatur, nisi eos habitasse trans fluvium, ubi populi serviebant Diis alienis. Ceterum ætate Abrahami alios etiam fuisse veri Dei cultores, manifeste patet exemplo Melchisedech, qui dicitur *Gen.* XIV. 18. *erat sacerdos Dei altissimi*.

61. Multo magis apparet, perpetuum fuisse veri Dei cultum post institutam a Moyse Synagogam. Neque omnis Israel in vituli adoratione prævaricatus est: constat enim, nec Moysem, nec Josue, apud quos residebat summum imperium, in execrabile illud flagitium consensisse; imo verisimillimum est, Levitas, multosque alios ex populo fideles Deo permansisse; nam ubi primum Moyses conclamavit *Exodi* XXXII. 25.: *si quis est Domini, jungatur mihi: congregati sunt ad eum omnes filii Levi, qui consecrantes manus suas Domino, occiderunt quasi XXIII. millia hominum* (c): ex quo indicatur, hos non fuisse nefandi illius criminis reos. Clarius adhuc S. Paulus 1. *Corinth. X.* 9. nonnisi aliquos in idololatriam lapsos fuisse innuit, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est* (*Exodi XXXII.* 6.) *Sedit populus manducare, & bibere &c.* Præt. tunc erat etiam domus Jetro, seu Raguel, in qua vera Religio vigebat.

62. Quæ objecta sunt 5. 6. 7. & 8. loco indicant quidem, magnam fuisse in ipso populo electo morum corruptionem; non autem omnem cultum Dei cessasse, tam externum positum in sacrificiis, & legalibus observantiis, quam internum in spiritu, & veritate; ipsæ enim sacræ litteræ aperte innuunt, semper aliquos fuisse, quos elegit Deus sibi, ac a reliqua multitudine gratiæ suæ do-

(*a*) Græci hujus Patriarchæ memoriam inter justos Vet. Test. faciunt vel 19. Decembris, vel in Hebdomada Septuagesimæ. Aliqua etiam Latinorum Martyrologia ipsius mentionem habent die 22. Febr. Ita refert Bailletus T. I. *des vies des Saints* 22. Febr.

(*b*) Vid. S. Thomas 3. P. quæst. 52. art. 2. ad 3., & Guill. Estius in Comment. ad hunc locum S. Petri.

(c) Natalis Alexander Dissert. XI. in Sæc. VI. art. 8. contra P. Claudium Frassen ostendit, mendum esse in nostra Vulgata, & legendum *quasi tria millia*. Verisimile est, hoc mendum irrepsisse ex eo quod S. Paulus 1. *Corinth.* X. 8. habet: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die 23. millia*. Manifestum est autem, S. Paulum respicere non ad occisionem idololatrarum, sed ad fornicatores, quorum occisa sunt 24. millia n. 25.

donis discrevit. Sic cum Elias conquereretur, se relictum esse solum 3. Regum XIX. 10. dictum ei fuit a Domino ( ibid. v. 18. & Rom. XI. 4. ): *& derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Neque etiam credendum est, istos omnes ita delituisse, ut Ecclesia, si non omnino deleta, saltem invisibilis fuerit; & possunt non incongrue verba Eliæ cum aliqua exceptione intelligi, hoc est *pene solus*, quamquam LXX. vertant *μονώτατος omnino solus* (a). Sed præterea eodem tempore Ecclesia erat visibilis, imo & florens in regno Juda sub optimis Principibus Asa, & Josaphat.

63. Ita etiam, quanquam dicatur, sub impio Achaz Rege Juda clausas fuisse portas templi Dei 2. *Paralip.* XXVIII. 24. Isaias tamen nunquam a populo se segregavit, quod procul dubio fecisset, si omnes consensissent in idololatriam. Neque se separarunt Jeremias, aliique Prophetæ sub impio Manasse, aliisque regibus prævaricatoribus, quod patet ex iis verbis 2. *Paralip. XXXVI.* 15. *mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manus nuntiorum suorum de nocte consurgens, & quotidie commonens*; quorum similia etiam inveniuntur apud *Jeremiam* XI. 7. ac XXV. 3. & 4. Sic denique, ut alia prætercam, cum dixisset David Psalm. XIII. & LII. nullum esse de filiis hominum, *qui faciat bonum*, conqueritur postea de impiis, quod *devorent plebem Dei, sicut escam panis*; & alibi dicit, *Dominum esse in generatione justa*. Et recte notavit S. Augustinus contra Donatistas, qui similibus testimoniis abutebantur ( *in* epist. contra Donatistas, seu *de unitate Ecclesiæ* cap. 13. ), a Scripturis divinis sic redargui impios, *tamquam nullus bonus omnino remanserit*.

64. Tempore autem Christi nativitatis veram Dei religionem extinctam non fuisse, patet 1. ex Pastoribus, qui ab Angelo moniti, Christum recens natum adoraverunt; 2. ex Magis; 3. ex Simeone sene, ex Anna Prophetissa, ex parentibus S. Joannis Baptistæ, ex Maria Virgine, & Joseph ejus conjuge, aliisque multis. Ita etiam tempore passionis præter pias mulieres, & discipulos, Christum confitebantur Joseph ab Arimathæa, Nicodemus, latro in cruce, & fortasse aliqui ex iis, qui revertebantur percutientes pectora sua. Certius autem id asseri posse videtur de Centurione, aliisque sepulcri custodibus; de quibus dicit S. Matthæus XXVII. 54.: *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere filius Dei erat iste*. Petrus etiam ab externæ infidelitatis peccato statim Dei gratia liberatus est, cujus proinde *fidem*, inquit S. Leo, *non fuisse victam, sed constantiam superatam* ( *Serm.* 9. *de Pass. Dom.* cap. 4. ). Ceteri etiam Apostoli, quanquam relicto Christo Domino fugientes a debita constantia, atque extrema fidei confessione defecerint; quanquam aliquandiu latuerint, aut occulte congregarentur *propter metum Judæorum* ( Jo. XIX. 38. & XX. 19. ), non tamen vere dici potest, eos a fide interna defecisse. Quod autem S. Marcus dicit, Christum *exprobrasse incredulitatem discipulorum* &c. non de omnibus intelligi debet, sed de aliquibus; nam S. Matthæus cap. ultimo 17. *quidam autem*, inquit, ( non omnes ) *dubitaverunt*.

65. Neque obstat, quod S. Bernardus ( *Tract. de lament. B. V.* ) dicat, *in sola B. Virgine in triduo illo fidem Ecclesiæ stetisse*. Nam 1. Tractatus ille opus spurium est, & teste Bellarmino ( *De scriptor. Ecclesiast.* ) *indignum, quod S. Bernardo tribuatur; quippe quod inepta, & falsa nonnulla contineat*; 2. id posset explicari de fide omnino viva, quæ in aliis Apostolis non fuit.

66. Neque etiam obstat, quod S. Augustinus ea verba Psalm. LXVIII. *dejecerunt oculi mei* ita commentetur; *quando passus est* ( Jesus ), *quando mortuus est, omnes discipuli desperaverunt, quod ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt*. Hæc enim S. Patris verba non presse accipienda sunt pro vera desperatione, sed pro aliqua trepidatione: unde alibi in Psalm. LXXIV. n. 6. ) eadem repetens, ita prosequitur: *ergo columnæ illæ, quæ passione Domini nutaverunt, resurrectione firmatæ sunt*; ubi Apostolos non lapsos esse, sed tantum nutasse dicit.

67. Dices. S. Augustinus in *Ps.* CXXVIII. n. 2. expresse asserit, Ecclesiam aliquando in solo Abel fuisse, aliquando in solo Henoch, aliquando in sola domo Noe, aliquando in solo Abraham, & in solo Loth, & familia ejus.

68. Resp. S. Doctorem nonnisi præcipuos quosdam

(a) Sæpius solent Protestantes hoc Eliæ testimonio uti, ut persuadeant, eodem modo delituisse suam Ecclesiam ante tempora Lutheri, & Calvini, quo illa septem millia, in quibus vetus Ecclesia conservabatur, delitescebant. Verum si res ita se haberet, saltem postquam primi pseudo-reformatores apparuerunt, debuissent isti fideles delitescentes ipsi se adjungere, & palam omnibus declarare, se antea semper credidisse, quod Lutherus, & Calvinus primo docere incipiebant. Attamen sæpius provocati Novatores, ut non quidem septem millia, sed saltem aliquos nominarent, qui in eadem cum Luthero, & Calvino sententia semper fuerunt, ne unum solum indigitare potuerunt, & velint nolint, fateri coguntur, omnes, quotquot toto orbe erant Christiani, ea ignorasse, quæ ab istis fidei reformatoribus tunc primo prædicari cœptum est. Quid plura? Non solum ceteri fideles, sed ipsi Lutherus, Œcolampadius, Zuinglius, Calvinus, & alii omnes fuerant in antiqua Ecclesiæ fide enutriti, ut proinde debuerint sicuti aliorum, ita etiam propriam fidem reformare, & non solum a tota Ecclesia catholica, sed a se ipsis quoque recedere. Ubi ergo erant ista decantata septem millia, quæ in sinu Ecclesiæ Romanæ delitescebant, nec curvabant genua ante Baal?

adam justos voluisse nominare, in quibus eminebat Ecclesia. Certe ab Ecclesia non exclusit Adam, & Evam, quando eam in solo Abel fuisse dicit. ( De toto hoc argumento dignus est qui legatur Melchior Canus Libro IV. *De locis theol.* cap. postr. )

69. Obj. 2. Plura sunt Scripturarum oracula, quæ ostendunt, Ecclesiam aliquando defecturam. Et quidem celebris est illa Azariæ prophetia 2. *Paralip. XV.* 3: *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege.* Tum etiam *Danielis* IX. v. ult. *Deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Lucæ pariter XVIII. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Denique Apostolus ad 2. ad *Thessal.* II. 3. *ne quis,* inquit, *vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio* ( græce ἀποστασία ) *primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* &c.

70. Resp. ad 1. omissis variis interpretationibus (*a*), illam Azariæ prædictionem esse referendam non ad Ecclesiam universalem, sed ad Judaicam gentem, quæ in pœnam perpetrati Deicidii toto orbe dispersa est, *absque Deo vero*, quia eum ut trinum in personis, & cultu vero non colit, *absque Sacerdote, Doctore, & absque lege*, quia Prophetæ a Deo inspirati jamdiu ab illa gente defecerunt, & lex abrogata est. Dicit autem Propheta: *transibunt multi dies;* ut indicet, hanc populi Israelitici derelictionem non futuram perpetuam; Judæos enim esse tandem aliquando ad Evangelium convertendos, pluribus Scripturæ locis aperte innuitur.

71. Prophetia Danielis, prout Christus ipse interpretatus est *Matth.* XXIV. 15. *Marc.* XIII. 14. & *Luc.* XXI. 20. intelligi debet de Jerusalem eversione, quæ sub Tito facta est, & cessatione legalium veteris Synagogæ, quæ legalia post templi eversionem, quando scilicet Evangelium jam sufficienter promulgatum erat, ita cessarunt, ut nedum mortua, sed etiam mortifera evaderent.

72. Quando vero Christus dicit: *Filius hominis* &c. loquitur de fide valida, constanti, & cum charitate conjuncta, quæ tunc rara erit, non tamen prorsus nulla, quod Christus ipse clarius explicuit *Matth.* XXIV. 12. ubi loquens de turbulentissimis Antichristi temporibus dicit: *refrigescet charitas multorum*, non omnium. Ita hunc locum exponunt S. Hieronymus in *Dial. contra Luciferianos*, & S. Augustinus *De unit. Ecclesiæ* capit. 15. Tom. IX. (*b*).

73. Sic etiam apostasia, quæ prædicitur tempore Antichristi, multorum erit, non omnium. Nam Christus ipse promisit, futuros etiam aliquos eo tempore in fide constantes. Mat. XXIV. 22. *propter electos breviabuntur dies illi.*

74. Dices. Futuram tempore Antichristi generalem, & plenam Ecclesiæ defectionem, ut cesset omnis ritus sacer, & Ecclesia nullibi appareat, manifeste indicat S. Joannes *Apocal.* XII. 6. ubi Ecclesiam nobis exhibet sub figura mulieris, quæ fugit in solitudinem *ubi habebat locum paratum Deo.* Id ipsum confirmant Sancti Ephrem Syrus, & Augustinus. Primus quippe ( Serm. de *Antichristo* ) *omnes*, inquit, *communi voto, parique sententia summo cum gaudio ipsum constituent regem.* S. Aug. autem ( epist. 199. alias 80. cap. 2. n. 39. ) *Quando sol obscurabitur*, ait .... *Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus.*

75. Resp. Vaticinio S. Joannis prædici quidem, adeo vehementem futuram Antichristi persecutionem, ut populus fidelis quæsiturus sit in deserto, & latibulis securitatem; inde tamen non fit, Ecclesiam perituram, aut saltem ita obscuratam iri, ut non appareat; nam S. Joannes ibidem perspicue contrarium innuit, nempe non defuturos Pastores, *qui pascant eam:* erit ergo grex cum Pastoribus, adeoque visibilis Ecclesia.

76. Verba S. Ephrem non ad omnes omnino homines spectant, sed ad omnes impios; nam aliquos electos constantes futuros Christus promisit. S. autem Augustinus vult quidem, obscurandam esse Ecclesiam, non ita tamen, ut prorsus deficiat, aut saltem omnino invisibilis reddatur; quod cum ex aliis ipsius locis, tum ex contextu ipso luculenter apparet; ita enim prosequitur S. Pater: *Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur, quoniam multi* ( non omnes ) *qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent; & quidam fideles fortissimi turbabuntur.*

77. Obj. tertio, & admodum exaggerant tempora Ariana, in quibus dicebat S. Hilarius ( in Lib. *cont. Auxentium* ) *se potius latentem Ecclesiam credere, quam videre.* Et decantatum est quoque illud S. Hieronymi ( *in Dial. cont. Luciferianos* ): *Ingemuit totus orbis, & se esse Arianum miratus est.* Et in Lib. cont. Jo. Jerosol. n. 4. Tom. II. dicit: *Arianorum, & Eunomianorum hæresim totum orientem ( excepto Papa Athanasio, & Paulino ) possedisse.*

78. Resp. Fuisse quidem eo tempore Ecclesiam magnopere turbatam, non tamen dici posse, eam aut periisse, aut invisibilem fuisse factam. Sane S. Aug. Vincentio Donatistæ hunc eumdem Hilarii

(*a*) Quæ videri possunt apud P. Calmetum in Comment. ad hunc locum.

(*b*) Verba S. Aug. hæc sunt: *Hoc nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua satis diximus.*

rii locum objicienti ita respondet (ep. 93. al. 48. n. 30. seq.): Ecclesia *aliquando obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum ... sed etiam tunc in suis firmissimis eminet ... Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius, unde putasti insidiandum testimonia tot divina, tanquam perierit Ecclesia de orbe terrarum*. Ostendit autem primo, illo Arianorum tempore *obscuris ipsorum verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant;* quomodo deceptos fuisse Patres Concilii Ariminensis, certum est. Addit deinde, S. Hilarium nonnisi de decem Asiæ provinciis fuisse locutum, quas potissimum turbavit Ariana factio. Ac demum hæc, quæ videntur dicta de omnibus, non esse tamen de omnibus intelligenda; *habent enim etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat*.

79. S. Hieronymi pariter dicta hyperbolica esse, omnes norunt, qui non ignorant, 1. Patres in Concilio Ariminensi incaute quidem formulæ sibi ab Arianis oblatæ subscripsisse, fidei tamen Nicænæ constanter adhæsisse: 2. in Concil. Ariminensi non fuisse totum mundum, imo nec majorem ejus partem conclusam. Nam S. Athanas. biennio post calamitatem Ariminiensem ita Joviniano Imp. scribebat an. 363.: *Tametsi pauci quidam huic fidei* (Nicænæ) *adversentur, præjudicium tamen facere non possunt, quippe cum orbis universus apostolicam fidem retineat* (a). Et non multo post ita S. Basilius scribebat Ecclesiæ Evæsenorum epistol. CCLI. Tom. III. *state in fide: circumspicite orbem terrarum, & videte exiguam esse hanc partem, quæ morbo laborat: reliquam autem Ecclesiam, qua a terminis usque ad terminos Evangelium suscepit, in sana hac versari, et incorrupta doctrina*.

80. Obj. ult. In Sess. 5. Conc. Constantiensis inter alias constitutiones synodales a Cardinal. Franc. Zabarella promulgatas hæc etiam erat, ne Concilium dissolvatur, *quousque Ecclesia sit reformata in fide, & in moribus:* censuit ergo sacrum Concilium, Ecclesiam, ut in moribus, ita etiam in fide fuisse deformatam.

81. Resp. Ea verba referenda esse ad errores, quos Joan. Wicleffus, Joan. Hus, & Hieronymus de Praga in Ecclesia sparserant, & a quibus sacrum illud Concilium Ecclesiam universalem repræsentans, Ecclesiam ipsam purgare satagebat, resecatis nempe putridis, & infectis membris. Ceterum plusquam manifestum est, sacrum Concilium nunquam censuisse, Ecclesiæ universalis fidem aut defecisse unquam, aut deficere potuisse; id inquam manifestum est ex ejusdem Concilii verbis sess. VIII. ubi inquit: *Sancta Ecclesia Catholica in fidei veritate superni luminis radiis illustrata, Domino providente, & Sanctorum patrocinio opem ferente, semper immaculata permanens, erroris tenebris, veluti hostibus profugatis, gloriosissime triumphavit*.

Reipsa postea tota reformatio in eo Concilio salubriter facta mores tantummodo, & disciplinam spectavit.

82. Scholion. Si verum est, Ecclesiam nec defecisse unquam, nec deficere posse, ut luce meridiana clarius ostensum fuit, manifeste consequitur, solam Ecclesiam Catholico-Romanam esse veram, omnes autem alias sectas esse falsas; illa enim sola de antiquitate sua merito gloriatur, cum quælibet alia secta novitatem suam agnoscere, & fateri debeat. Deo igitur Opt. Max. qui me in hujusmodi Ecclesiæ sinu nasci, & educari speciali beneficio voluit, gratiæ sempiternæ (b). Sed quoniam hoc argumentum est contra omnes Protestantes admodum efficax, operæ pretium ducimus, illud aliquanto uberius explicare.

## CAPUT IV.

*Ex demonstrata hactenus Ecclesiæ visibilis perpetuitate colligitur, Sectas, quæ ab Ecclesia Romano-Catholica se separarunt, esse extra Ecclesiam Christi.*

83. Solent semper Catholici urgere omnes heterodoxos verbis Tertulliani *de præscript. hæret.* c. 32. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille*

(a) Ibi autem enumerat *universas totius orbis Ecclesias, nempe Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Mysiæ, Macedoniæ, Græciæque, & Africæ universæ, necnon Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, Ægypti, Libiæ, Ponti, Cappadociæ &c.*

(b) Cum Ecclesiam nec defecisse, nec deficere unquam posse tuemur, loquimur solum de defectibus in dogmatibus fidei, & morum. Neque enim negamus, plures in disciplinam aliquando irrepsisse abusus, & multa adhuc reperiri, quæ reformatione indigerent. Sufficit ea legere, quæ S. Bernardus suo tempore deplorabat mala, præcipue in epist. 257. ad Eugenium, tum quæ scribebant Guill. Durandus Episcopus Mimatensis dictus *Speculator* in *Tract. de modo gener. conc. celebr.* Cardin. Petrus de Alliaco, Gersonius, & alii: præcipue autem Nicol. de Clemangiis in famoso suo libro *de corrupto Ecclesiæ statu*. His querelis resonabant etiam Concilia Pisanum, Constantiense, & Basileense, ut alios prætermittam, quorum testimonia studiose collegerunt Protestantes, ut ita imperitis persuaderent, necessariam fuisse, quam Lutherus, aliique infeliciter susceperunt, Ecclesiæ pseudo-reformationem. Verum facile fuit Catholicis respondere: reformationem, quæ ab omnibus bonis desiderabatur, fuisse in disciplina tantum, quæ admodum collapsa erat, nullatenus autem in fide, quæ singulari Dei providentia in tanta morum corruptione sarta, & intacta semper conservata fuerat; & nihil in Constantiensi, aut Basileensi, atque in omnium postrema Tridentina Syno-

*le Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, & antecessorem;* quibus verbis Tertullianus pro certo principio habet, quod superiore art. demonstravimus, Ecclesiam Christi visibilem deficere non posse: unde merito cum eodem Tertulliano c. 37. omnes hæreticos interrogamus: *qui estis, quando, & unde venistis? &c.*

84. Hoc argumentum valde premit omnes Protestantes, & mirum est, quantum se torqueant, ut illud eludant. Franc. Turrettinus (In *Instit. Theologiæ Elenchticæ* loco XVIII. quæst. 10.) conatur ostendere, absurde, & inique ab Acatholicis postulari, ubinam esset ipsorum Ecclesia, antequam Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliique secessionem a nobis facerent. Hæc antem sunt ipsius momenta: 1. perperam nos argumentari *ab ignoratione rei ad ipsius negationem;* plura enim sunt, quæ ignoramus: 2. Vitiose etiam nos ratiocinari *ab ignoratione loci ad negationem rei;* ut si quis negaret, thesauros esse in mari, quia ignoratur, ubinam sint: 3. hanc quæstionem esse *historiæ*, non *fidei;* cujus proinde solutio non est ad salutem necessaria: 4. non posse solvi hanc quæstionem, quia vetera Patrum monumenta aut perierunt, aut corrupta a nobis sunt: 5. Nec nos posse ostendere, ubinam fuerit nostra Ecclesia, quæ docet transubstantiationem, Missæ Sacrificium, Sanctorum invocationem, imaginum cultum, indulgentias &c., hæc enim non erant in veteri Apostolorum Ecclesia (a).

85. Hujusmodi tamen, & similes evasiones perspicue ostendunt, quantum Novatores in hac causa laborent. Prima enim, & secunda facile præcluduntur ex eo quod Ecclesia Christi, ut supra demonstratum est, semper visibilis esse debeat, quanquam aliquando magis, aliquando minus illustris; eorum autem, quæ visibilia sunt, determinari possunt & locus, & tempus. Cum vero dicunt, hujus quæstionis solutionem non esse necessariam, cum historiam spectet, non fidem, insigniter falluntur, & fallunt; quid enim magis necessarium cuilibet fidei quam veram Ecclesiam noscere, quam credere se profitetur in symbolo, & extra quam salus obtineri non potest? Vera autem Ecclesia cognosci nequit, nisi illa cognoscatur, quæ a Christo fundata, & ad nos usque perpetua successione propagata est. Quanquam innumera propemodum sunt ad Historiam pertinentia & certa fide credenda. Quartum effugium vanum esse ostendunt tot sacræ antiquitatis monumenta, quæ supersunt, ex quibus nos luce meridiana clarius demonstramus, omnibus sæculis fuisse Ecclesiam; & quibus in locis modo magis, modo minus floruerit. Fuisse autem hæc monumenta a nostris corrupta; mera calumnia est, quæ nec refutari meretur.

86. Quoniam vero hic locus non est ostendendi, omnia nostræ Ecclesiæ dogmata fuisse semper, & ab omnibus credita, solum Adversarios provocamus, ut ipsi tempora determinent, & auctores nominent, a quibus hæc dogmata fuerunt primo in religionem invecta. Nos vero publicis historiæ tabulis palam omnibus facimus, quando, & qui receptam in Ecclesia doctrinam cœperint impugnare, a quibus fuerint refutati, & quando ab universali Ecclesia damnati. Ut vel hoc solo argumento & vetustas nostræ doctrinæ, & novitas errorum luculenter demonstretur.

87. Nec magis feliciter causam suam tuetur Turrettinus, dum asserit, suam Ecclesiam semper fuisse, 1. quia singularis Dei Providentia substantiam rerum credendarum, & faciendarum in Ecclesia nostra conservavit, licet variis erroribus doctrina illa subinde permixta fuerit: 2. quia semper substitit in omnibus electis, qui substantiam doctrinæ salutaris in ministerio publico secreverunt ab erroribus subinde gliscentibus: 3. vult, hanc Ecclesiam fuisse *ambulatoriam*, & sine pastorum successione. Demum eam fuisse in variis cœtibus ab Ecclesia Rom. separatis, quales imprimis fuerunt Waldenses, & Albigenses.

88. Nam 1. hæc singularis Dei providentia, ad conservandam substantiam rerum credendarum, & faciendarum in Ecclesia, certe oritur ex promissionibus eidem Ecclesiæ factis: at vero hæ promissiones non possunt ad aliquas tantum veritates restringi, cum potius legamus *Matth. XXVII.* 19. *Euntes &c. docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis, & ecce ego vobiscum sum &c.* item *Joan. XIV.* 16. Christus promisit Ecclesiæ *spiritum veritatis;* & rursus XVI. 13. *Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* singularis igitur Dei Providentia, qua Ecclesiam curat, debet ad omnia extendi. 2. Isti electi, qui *in ipso Papatu*, seu ut ajunt, *in media Babylone*, a superstitionibus, erroribusque gliscentibus se immunes servaverint, fictitii sunt, nec ab adversariis recenseri possunt; omnes enim, quotquot erant in Ecclesia Catholica, sive pastores, sive oves, eumdem habebant cultum externum, ut proinde eos simul cum aliis fuisse pollutos dicendum sit, si ille cultus erat idololatricus. Quod additum est 3. de Ecclesia *ambulatoria*, præterquamquod commentitium est, difficultatem non tollit; semper enim quæretur, ubinam Ecclesia illa fuerit? quinam il-

do de fide reformandum fuit, sed potius antiqua, quæ nondum defecerat, a novis pseudo-reformatorum erroribus vindicata est. Hoc egregie ostendit Bossuetus initio suæ incomparabilis *Historiæ de variationibus Ecclesiarum Protestantium.*

(a) Joan. Gerhardus Loco XXIII. §. 176. ingenue fatetur, *quomodo Ecclesia Dei conservata sit, & ubi locorum singulis annis extiterit, demonstrari non posse.*

illius pastores? quæ ejus doctrina? quæ Sacramenta? qui ritus &c.? Hæc enim sub oculos cadunt.

89. Postremum longiorem explanationem expostularet, ut scilicet compendium saltem historicum exhiberemus istarum Sectarum, in quibus Protestantes suæ Ecclesiæ successionem frustra requirunt. Sed pro nobis constituta brevitate satis fuerit adnotare, inter tot *testes veritatis*, ut eos appellant, qui in aliquo puncto ab Ecclesia Catholica olim recesserunt, hactenus nec unum allegari potuisse, qui in omnibus dogmatibus, vel saltem majori eorum parte Protestantibus consenserit. Sic ex. gr. allegant Vigilantium contra Sanctorum cultum; iste tamen in omnibus fere reliquis doctrinam Catholicam sectabatur. Arrius sacrificium altaris rejiciebat, sed erat Arianus etiam Claudius Taurinensis, & non alia ratione allegatur, *ut testis veritatis*, nisi quia erat iconoclasta. Berengarius etiam a Calvinistis adeo laudatus nonnisi dogma præsentiæ realis in Sacramento Eucharistiæ inficiatus est: cetera retinuit. Jo. Vicleffus magis a doctrina Catholica recessit, sed multa impie docuit, quæ nec Protestantes approbare audent. J. Hus Eucharistiam adoravit, transubstantiationem credidit, & Missæ sacrificium semper retinuit. Idem de Hieronymo Pragensi dicatur. Nihilominus quia hi duo in pluribus capitibus ab Ecclesia Catholica condemnati fuere, & tanquam pertinaces supplicio affecti, nedum inter *veritatis testes*, sed etiam inter *Martyres* habebunt locum (*a*).

90. Deinde qui ad Waldenses confugiunt, ut aliquam suarum Ecclesiarum successionem inveniant, nimis procul distant ab origine Apostolica; constat enim, hujusmodi sectam nonnisi sæc. XII. erupisse; & non minus a Waldensibus, quam ab aliis Novatoribus quæri potest, ubinam Ecclesia ante Petrum Waldum sectæ fundatorem existeret? Me quidem non latet, eos in sua *Confessione fidei* edita an. 1541. jactasse oralem quamdam traditionem, qua suæ sectæ epocham ab anno Æ. C. 150. repetebant. Sed nugæ hæ sunt, omni vel levissimo historiæ monumento destitutæ.

91. Nec minus nugantur alii, qui an. 320. quemdam Leonem una cum multis fidelibus a Sylvestro Rom. Pontifice secessise asserunt, propterea quod bona temporalia a Constantino Imper. Ecclesiæ donata acceptaverit; atque in hoc anno Waldensium originem figere volunt. Porro hujus successionis, vel sectæ mentio nulla est apud Philastrium, Epiphanium, Augustinum, aliosque Patres, qui tamen neque obscurissimas hæreses prætermiserunt. Addo, quando Bucerus, & Œcolampadius an. 1530. Waldenses sollicitarunt, ut cum Sacramentariis fœdus pangerent (quod reipsa postea an. 1536. cum Genevensibus ope Fareli sancitum fuit) eorum doctrinam a novis Pseudo-reformatorum dogmatibus fuisse admodum diversam, unde Waldensium Ecclesia reformanda fuit; quod Theod. Beza lib. I. *Hist. Eccl.* fateri non dubitavit (*b*).

92. Neque illud prætermittendum videtur, quod multis ex ipsis nostris adversariis fatentibus, vera Ecclesia saltem prioribus tribus, vel quatuor sæculis (aliqui etiam fatentur usque ad VI. sæc.) incontaminata permansit. Jam vero sciscitor, ubinam tunc illa fuerit? An in ignobili, & obscu-

(*a*) Eadem ratione inter *testes veritatis* recenseri solent Basilius Groningensis, Bertramus, Petrarcha, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Hugo Capetus, & quotquot in aliquem errorem lapsi sunt, vel aliquam cum Romanis Pontificibus controversiam habuerunt. In his quærunt Protestantes suarum Ecclesiarum successionem visibilem; quorum tamen plerique, ut Carolus Magnus, Lud. Pius, Hugo Capetus, Franc. Petrarcha insigni calumnia in hostibus Ecclesiæ Rom. numerantur. Et quamvis aliqui istorum, maxime autem Petrarcha, fuerint Romanæ Sedi iniquiores, non tamen ab ipsa, facto schismate, se separarunt, aut inconcussis ejus dogmatibus restiterunt.

(*b*) Reipsa cum actum fuit de ineunda cum Waldensibus societate, Œcolampadius, & Bucerus proposuerunt Petro Massonio, & Georgio Morello eorum legatis, ut non amplius crederent, *illicitum esse juramentum; non posse a Christianis exerceri magistratuum munia; non posse a Ministris aliquid possideri, a nulla auctoritate posse impios ad mortem damnari; in Eucharistia esse Corpus Christi reipsa præsens; confitenda esse peccata, & esse alia Sacramenta præter baptismum, & cœnam*. Ceterum male a nonnullis Waldenses confunduntur cum Albigensibus; illi enim sic dicti sunt a Petro Waldo, divite mercatore Lugdunensi, qui an. 1160. desiderio evangelicæ paupertatis omnia bona sua distribuit; unde etiam *pauperes Lugdunenses* appellati fuere. De eorum erroribus legi meretur Rainerius Sacconus, eo majore fide dignus, quod antea fuerat eorum Episcopus, post autem ad Ecclesiam reversus Dominicanæ familiæ illustre decus fuit, eos autem exponit, & confutat in *Summa de Catharis, & Leonistis*. Videri etiam possunt Nic. Eymericus in *Directorio Inquisitorum*, Petrus de Pilichdorf in libro *contra Waldenses*, ac demum Claudius Seisselius Archiep. Taurinensis, qui an. 1517. diligentissime eorum errores inquisivit, pluresque ipsorum ad veritatem revocavit; ejus autem opus *adv. errores, & sectam Waldensium* Parisiis prodiit an. 1520. Plures & antiquas eorum confessiones memorat Jo. Legerus in *Hist. Wald.* ac præcipue unam ms., quam traditam dicunt Cromvello an. 1658. ab eoque repositam in bibliotheca Cantabrigensi. Multas item recenset Matthias Flacius Illyricus in *Catal. testium veritatis*, attamen nonnisi una est authentica an. 1541. excusa, præter illam, quam Waldenses Bohemi an. 1535. ediderunt, quamque Lutherus, utpote suis placitis consentaneam honorifica præfatione probavit, improbavit autem Calvinus. Waldenses sæpius damnati sunt, præcipue vero a Lucio III. an. 1181., & ab Innocentio III. in Concilio IV. Lateran. 1215. Ecclesiasticæ autem auctoritati etiam suam adjunxit Fridericus II. Imperator ea constitutione, quæ legitur apud Goldastum T. I.

scurissima aliqua secta, cujus nec mentio ulla inveniatur? Annon potius in ea parte, quæ successionem habuit Pastorum, & in qua tot viri & doctrina, & vitæ sanctimonia præstantes semper floruerunt?

93. Felicius rem suam agere sibi videntur Protestantes, dum in Manichæorum secta successionem quærunt; reipsa enim hæc est antiquissima; & ad prima Ecclesiæ sæcula, imo ad ethnicem philosophiam orientalem pertingit. Sed meminisse debent, κύριον hujus sectæ δόγμα esse duo summa omnium rerum principia, unum bonum, alterum malum: 2. rejecisse eos Vetus Test.: 3. etiam corrupisse mysterium Incarnationis: 4. negasse matrimonium, & necessitatem baptismi; pluraque alia absurda docuisse, ut S. Augustinus refert *de Hæres.* n. 46. hæc autem omnia se detestari Protestantes nobiscum profitentur.

94. Neque ab iis erroribus alieni erant Pauliciani, Manichæorum soboles, qui in Oriente primum grassati sunt, & nefandas contra suos Principes rebelliones moverunt, ut videre est in ipsorum historia a Petro Siculo teste oculato conscripta. Hi postea sæc. XI. in Italiam, & Galliam, sæculo autem sequenti in Germaniam, & Angliam pestiferam suæ hæreseos luem late propagarunt. Primo *Cathari*, idest *puri*, aut *Catharistæ*, seu *Purificantes* appellati sunt, deinde *Albigenses* ab urbe *Albiga*, *Petrobrusiani* item, & *Henriciani* a Petro de Bruis, ejusque discipulo Henrico ipsorum antesignanis. Qui in Anglia vocati sunt *Poplicani*, vel *Publicani*, ejusdem furfuris erant. Sed hæc sufficiant (*a*).

95. Solum addendum, ex quo nostri sæpius Protestantibus objecerint, eos resuscitasse errores in Albigensibus, Waldensibus, Wiclefitis, Hussitis &c. jam damnatos, perperam Turrettinum colligere, nostra confessione patere, Ecclesiam reformatam extitisse ante Lutherum, & Zuinglium. Primo enim liquido constat, doctrinam Novatorum partim consentire erroribus veterum hæreticorum, partim ab illis dissentire. Secundo, istæ omnes sectæ fuerunt semper novitatis accusatæ; unde illas sibi sociando, non addunt, nisi novatorum numerum. Tertio, scire cuperem, quid Turrettinus Socinianis responderet, si illi etiam, quando objurgantur, quod damnatos Sabellii, Arii, & Photini errores ab orco revocaverint, simili retorsione uterentur?

96. Videntur tamen Adversarii huic Hæreticorum successioni non admodum fidere; nam potius aliam quærunt in ipsa Ecclesia Catholica, seu, ut ipsi dicunt, in *Papatu*. Ita nempe rem Turrettinus componit: *Licet Doctores Ecclesiæ Rom. errores multos, graves, & exitiales puriori doctrinæ Evangelii permiscerent, quia tamen profitebantur, retinere se adhuc religionis & salutis fundamenta, potuerunt veri fideles puriorem, & sanam doctrinam ab exitiali, & cibum salubrem a veneno secernere, quomodo oves in pascuis, tam venenatis, quam salutaribus herbis refertis, salubres eligere norunt, & a noxiis abstinere.* Addit autem, Pastores Ecclesiæ Rom. sub duplici σχέσιν seu habitudine spectari posse; scilicet & quatenus puram Evangelii doctrinam proponebant, & quatenus fermentum corruptelarum suarum, & traditionum immiscebant; priori sensu fuisse veros doctores, posteriori seductores.

97. Pronum est tamen illico animadvertere: 1. rudem plebem, & alios in theologicis rebus non plene exercitatos, quæ maxima est pars fidelium, vix ac ne vix quidem potuisse distinguere, quandonam Doctores Ecclesiæ puram Evangelii doctrinam traderent, & quando fermentum suarum corruptelarum adspergerent; hæc enim probe secernendi ars est Theologorum præcipua. 2. Nonnisi divinando, & sine ullo fundamento adversarii fingunt, fuisse semper doctos, piosque theologos, qui hæc secernerent; eos enim nominare nequeunt. 3. Si etiam tales aliquando extitisse probaretur, ii fuissent hypocritæ, & simulatores; exterius enim fuissent professi fidem, quam non credebant, Sacramenta omnia suscepissent, quæ contemnebant, Missæ sacrificium Deo obtulissent, quod superstitiosum, itaque idololatriæ plenum reputabant. Sciscitor autem, an Protestantes suis permitterent ita vivere in Ecclesia Romana, sicut eos vixisse comminiscuntur, quos suæ communionis prædecessores appellant? Demum adhuc probandum esset, tales hypocritas perpetua serie sibi successisse, ne si interrumpatur series, Ecclesiam aliquando defecisse, dicendum sit.

98. Frustra vero nonnulla adducunt exempla hæreticorum, qui ab Ecclesia vel sponte discesserunt, vel ejecti fuerunt; nam 1. in his perpetuam invenire non possunt successionem usque ad tempora Apostolica. 2. Si hæc exempla valerent, potiore jure possent iis abuti Sociniani, vel Anabaptistæ. 3. Quamvis Protestantes multos ab antiquis Hæreticis errores hauserint, cum nulla tamen eorum secta omnino conveniunt. 4. Demum negare saltem non possunt, infinite plura nobis suppetere exempla eorum, qui nostram doctrinam serie nunquam interrupta & professi ipsi sunt, & aliis tradiderunt. Habemus enim in nostra communione, & Pastorum successionem certam in Ecclesiis Apostolicis, vel Apostolicarum filiabus; & apertam ejusdem doctrinæ professionem in operibus Sanctorum Patrum, aliorumque Scriptorum; scimus, qui, & quando nonnunquam in paucis erraverint, maxima aliorum parte contradicente; sci-

(*a*) Et qui plura desiderant, adeant Bossuetum in XI. *Hist. variat.* ubi luce clarius ostendit, quam immerito in hujusmodi damnatis sectæ suæ causæ patrocinium quærant Protestantes. Legi etiam meretur Cardinal. Vinc. Gotti in *vera Ecclesia Christi* Tom. I. cap. 9.

scimus, quinam fuerint in suis erroribus pertinaces, & quomodo, & quando ab Ecclesia condemnati &c. Hæc omnia ex publicis tabulis apparent. Provocamus autem adversarios, ut suarum Ecclesiarum successionem, & doctrinam eadem certitudine, & perspicuitate ostendant.

## CAPUT V.

*Asseritur summa, & infallibilis Ecclesiæ auctoritas in definiendis quæstionibus fidei, & morum.*

99. Hæc materia arctissime conjuncta est cum illa, quam cap. 3. pertractavimus. Si enim ex Christi promissionibus Ecclesia visibilis nec errare, nec deficere potest, debet quoque in ea esse suprema, & infallibilis auctoritas definiendi controversias, quæ de fide, & moribus in ea exoriuntur.

100. Porro hæc judicandi potestas in Pastoribus dumtaxat reperitur, quos *posuit Spiritus Sanct. regere Ecclesiam Dei Act. XX.* 28., & vocari solent *Ecclesia docens*; ut in republica una tantum est pars, quæ imperat, leges fert, de earumque sensu judicat, ceterorum autem laus in obedientia est posita.

101. Rursus Pastores ipsi considerari possunt vel divisi, vel simul collecti: primo modo non repræsentant Ecclesiam, nec sibi vindicant παρχσίας *infallibilitatis* privilegium: sed solum prout *collective* sumuntur; tunc enim *Ecclesiam docentem* constituunt.

102. Ac demum Pastores *collective* sumpti adhuc dupliciter considerari debent, vel prout in aliquo dogmate docendo simul conspirant, quamvis locorum intervallo disjuncti; vel quando simul coeunt in Conciliis, & controversias ex Dei verbo discutiunt, ac tandem unanimi sententia definiunt. Utroque modo Ecclesiam esse infallibilem certo tenemus; idque primo ostendere aggredimur de Ecclesia toto orbe dispersa: post autem de eadem in Conciliis congregata dicemus.

103. Certe supremam fuisse etiam in Ecclesia veteri judicandi potestatem, liquido constat ex *Deuteron.* XVII. 8. seq. Huc respexit Christus Dominus, quando *Matt.* XXIII. 2. dicebat: *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Quæ verba ita pulchre exponit Sanctus Augustinus Libr. IV. *de Doctrin. Christian.* capit. 27.: *illa ergo cathedra non eorum, sed Moysi cogebat eos bona dicere, etiam non facientes. Agebant ergo sua in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.*

104. Sed luculentius adhuc hæc veritas declarata est in N. T. clarissimis iis promissionibus, quas supra num. 38. seq. recensuimus, ac præcipue in verbis Sancti Pauli 1. ad *Timoth.* III. ubi Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis*, quatenus ipsa fundata in Christi promissionibus sine ullo errandi periculo omnes veritates, quas a Spiritu Sancto accepit, fideliter custodit, ac filiis suis credendas proponit.

105. Respondet Jo. Gerhardus (Loco XXIII. cap. 9.), promissiones Ecclesiæ factas non esse absolutas, sed *conditionales*, ut conditionales erant illæ, quæ ad Vetus Testam. spectabant, si nempe verbo divinitus promulgato adhæreat. Id autem multis locis Vet., ac Novi Testam. confirmare conatur (*a*).

106. Resp. Eas promissiones, *conditionales*, quas solent adversarii proferre, ad singulos fideles spectare, non autem ad totam Ecclesiam. Sane ipsemet Gerhardus cap. præced. Ecclesiæ promissam fuisse durationem perpetuam, & quidem *absolute* fatetur, & solum contendit, non fuisse promissam perpetuam *claritatem externam*, ut semper visibilis sit. Quam sententiam suffragio suo approbant omnes alii, quando contra Socinianos Ecclesiam non posse omnino deficere nobiscum demonstrant. Cur ergo non erunt *absolutæ* etiam illæ promissiones, quibus Spiritus Sancti auxilium promittitur, ne erret?

107. Deinde cujusnam quæso ponderis essent illæ tam sæpius repetitæ Christi promissiones, si nihil aliud Christus sponsæ suæ pollicitus fuisset quam eam nunquam erraturam, quamdiu divino verbo adhæserit? Annon idem esset, ac spondere, Ecclesiam non erraturam, quamdiu non erraverit? Certe aliquid plus illi promittere voluit, quando dixit, *portas inferi non esse contra eam prævaliturās*; cum ipsis pastoribus se *futurum usque ad consummationem sæculi, &c.* Christus enim *censendus est in Apostolorum persona etiam successores ejus muneris compellasse*, ut recte notat Grotius, quia Apostoli non erant victuri usque ad consummationem sæculi.

108. Accedit in hujus rei confirmationem majo-

(*a*) Loca a Gerhardo allegata non respiciunt Ecclesiam nostram; hæc autem sunt ex Vet. Test. *Lev.* XXVI. 11. *Paralip.* XV. 2. *Ps.* CXXXII. 13. *Jerem.* VII. 13. ex Novo autem *Joan.* VIII. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*: quæ verba a Christo dicta sunt iis Judæis, qui jam crediderant. *Joann.* XV. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis*; ubi particula *si* videtur sumi pro *quia*, nempe *quia facitis &c.* 1. ad *Timoth.* VI. 4. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus D. N. J. C. & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens &c.* quæ verba quomodo huc spectent, non video; *Hebr.* III. 6. *Domus (Christi) sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*; quod etiam repetitur v. ad designandam necessitatem perseverantiæ usque in finem. Eadem fere ratio est de aliis locis 1. Ep. *Joann.* II. 18. & 24. Item *Rom.* XI. 19. & seq. omnia quippe ad privatos fideles, non ad Ecclesiam pertinent.

jorum nostrorum exemplum, qui omnes enatas controversias ad Ecclesiæ tribunal semper deferre consueverunt, ejusque definitionibus ore, & corde omnino assentiri. Id primo docuerunt Apostoli in controversia de legalium observantia. Id postea in causis gravioribus Sabellii, Pauli Samosateni, Arii, Pelagii, Nestorii, Eutychetis &c. semper servatum est. Audito autem summo Ecclesiæ Matris oraculo, qui fideles erant ejus filii, illico paruerunt, & qui parere detrectarunt, tremendo anathemate percussi, ut rebelles, ejecti sunt: quæ excommunicationis sententia, & rejectio a cœtu fidelium crudelis, & injusta foret, si Ecclesia non polleret summa, & infallibili auctoritate controversias fidei definiendi.

109. Perquam facile nobis esse innumera pene SS. Patrum testimonia pro hoc dogmate confirmando afferre; sed paucis contenti esse debemus, quoniam factis ipsis, ut mox ostendimus, supremam, & infallibilem Ecclesiæ auctoritatem agnoverunt S. Irenæus Lib. III. *adv. hæreses* c. 4. *Non oportet*, inquit, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quæ sunt veritatis*.

110. S. Ambrosius ita Valentiniano Imperat. scribebat Lib. V. Ep. 32.: *Certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?*

111. Sed instar omnium sit S. Augustinus, qui hanc veritatem clarius explicandi contra Donatistas occasionem habuit. In Lib. I. *contra Cresconium* c. 33. loquens de valore baptismi ab hæreticis collati, *quamvis*, inquit, *hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat*. Et in Lib. II. c. 32. *Non accipio*, inquit, *quod de baptizandis hæreticis, & schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit*. Ac demum celebre est illud ejusdem S. Doctoris effatum (*contra epist. fundamenti* c. 5.): *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas* (a).

112. Ratio quoque theologica infallibilem hanc Ecclesiæ auctoritatem manifeste vincit; ut enim in quacunque bene ordinata republica præter leges debent esse Magistratus, & Judices earumdem custodes, & interpretes, ita in Ecclesia præter verbum Dei aliquis debet esse supremus ejusdem custos, & interpres, qui controversias de legitimo verbi Dei sensu exortas finire possit: unde sapienter inquiebat Melchior Canus (L. XII. *de locis theol.* cap. 6.) *si in exploranda Scripturæ intelligentia nullus est Ecclesiæ certus judex, audeo dicere, rempubl. fuisse nullam stultius constitutam*. Hujusmodi autem interpres debet esse tutus, & infallibilis, *ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ* Eph. IV. 14.; sed *ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula*. Phil. III. 16.

113. Et certe, ut quid Christus Dominus tanto opere suam religionem instituisset, eamque & Scripturis, & traditione per universum orbem propagari voluisset, si nullum esset tutissimum medium, quo possemus ejusdem doctrinam certo cognoscere? Jam vero seposita Ecclesiæ auctoritate, quam Acatholici negant, nullum est, aut esse potest medium, veram Christi doctrinam certissime cognoscendi; media enim, quæ nobis suppeditant Acatholici, ipsis fatentibus errori obnoxia sunt: restat igitur &c.

114. Hujus rationis tanta est vis, ut ipsi Adversarii sin minus verbis, factis saltem cogantur necessitatem hujus supremi & infallibilis judicis confiteri. Taceo enim de appellatione ad Concilium generale, quæ adhuc prostat in duabus eorum confessionibus Augustana, & Argentoratensi: solum observo, quæ Calvinistæ in suis Synodis egerunt (b), præcipue in Dordracena, & Charentoniana contra Remonstrantes, Latitudinarios, atque Independentes. Eos enim condemnarunt, a-

na-

(a) Isaac Beausobrius (*Discours sur les livres apocryphes* Tomo II. *de l'histoire des dogmes des Manichéens* p. 446.) hoc tamquam in æstu disputationis incaute a S. Patre prolatum vellicare audet; nec alio modo emolliri posse dicit, nisi per *auctoritatem Ecclesiæ* intelligatur ejus testimonium, quo nobis Evangeliorum αὐθεντίαν, confirmat. Verum ut multis aliis in locis, ita etiam hic nimia Sanct. Doctorem carpendi prurigo Beausobrium fefellit: ex verbis enim sequent. facile apparet, S. Augustinum ibi agere non de Ecclesiæ testimonio, sed de ejus auctoritate in definiendis dogmatibus fidei; ita enim prosequitur: *quibus ergo obtemperavi dicentibus: Crede Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi: noli credere Manichæis;* Alias admodum frivolas, & ineptas hujus loci interpretationes a Jac. Picenino allatas refutat Card. Vinc. Gotti in sua *Vera Ecclesia Christi* Tomo II. P. I. art. 3. §. 3. Joann. Franc. Buddeus in *Instit. Theol. Dogm.* Lib. I. c. 2. in not. ad §. 39. ut se ab hoc, aliisque id genus nodis expediat, inquit: *negari nequit, veteris Ecclesiæ doctores, dum Ecclesiæ auctoritate hæreticos compescere voluerunt, interdum ita locutos, ut plus, quam decet, ei tribuere viderentur*. Ita perfacile est, non solum hanc, sed omnes difficultates in Theologia dissolvere.

(b) Quarum collectionem duobus volum. edidit Aimonius.

nathemate percusserunt, atque e sinu suo ejecerunt; quæ agendi ratio erat omnium iniquissima, si in sua societate supernam, & infallibilem quæstiones fidei definiendi auctoritatem non agnoscebant, ut illi condemnati merito conquerebantur. Insuper eorum Ministri adiguntur, ut juramento se obstringant ad definitiones synodorum fideliter tenendas, & docendas. Quod iterum injustum est, si quilibet jus habet eas examinandi, & rejiciendi, dum illas verbo Dei consentaneas non inveniat.

115. Neque vero juvat respondere, id fieri oportere ad externum ordinem in Ecclesia servandum. Nam primo, quando de fide agitur, non sufficit externa obedientia, sed requiritur internus cordis assensus; *corde enim creditur ad justitiam* Rom. X. 10. Præterea, quæ in Synodis damnantur, reputantur errores, quibus nemo tuta conscientia adhærere potest. 3. Additur contra refractarios excommunicatio, quæ eos privat omnibus bonis spiritualibus. 4. Demum additur etiam juramentum, quo homines se adstringunt ad ea dogmata usque ad mortem credenda (a).

116. Nullatenus autem audiendi sunt, qui hanc infallibilem Ecclesiæ auctoritatem appellant *dominium* in sacris litteris expresse prohibitum, nempe a Sancto Petro 1. *Epist.* V. 13. ubi inquit: *neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*; & a S. Paulo 2. *Cor.* I. 23. *non quia dominamur fidei vestræ:* unde etiam hanc auctoritatem non alio, quam odioso *tyrannidis* titulo nominant.

117. Resp. enim, Ecclesiam proprie non dominari, sed dominari Spiritum Sanct., qui Ecclesiam regit, ne in verbi Dei intelligentia erret. Præterea in locis objectis excluditur solum dominatus temporalis; quasi Apostoli propter evangelium vellent temporale dominium in fideles exercere, unde acute observat Erasmus in græco non esse dictum a S. Paulo *οὐχ ὅτι κυριεύομεν τῆς ὑμῶν πίστεως, non quia dominamur fidei vestræ*, ut legit Vulgata; sed *ὑμῶν τῆς πίστεως*, idest non *dominamur vobis ; ἕνεκα causa fidei;* quem sensum etiam adoptarunt Theodoretus, Gagnæus, & alii. Quod adhuc expressius S. Petrus innuit in verbis supra allatis, quæ referuntur ad illud præceptum a Christo Apostolis datum *Matth. XX.* 25.: *principes gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos*.

118. Perperam etiam objiciunt ea Christi verba Joann. V. 34.: *ego non ab homine testimonium accipio*. Neque enim Christus ab hominibus testimonium accipit, cum Ecclesia ipsius verba interpretatur; sed potius a Spiritu Sancto, qui Ecclesiæ præsto est, & de quo Christus ipse dicit Joann. XV. 26.: *ille testimonium perhibebit de me*. Quamquam locus allatus ex Joann. V. alium omnino sensum habet, scilicet non indiguisse Christum testimonio Joannis, vel aliorum hominum ad suam divinitatem comprobandam, quandoquidem testimonium multo majus habebat, nempe operum suorum, & Dei Patris. En integrum textum: *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati: ego autem testimonium ab homine non accipio... Ego habeo testimonium majus Joanne... Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me... Et qui misit me, Pater, testimonium perhibuit de me*.

119. Neque demum ex quo Pastores Ecclesiæ sint legitimi judices sensus Scripturarum, efficitur, eos esse supra Scripturas, ut perpetuo clamant Adversarii, sicuti ex quo magistratus, & judices de sensu legum judicium proferant, minime sequitur, eos esse supra leges. Si Ecclesia sibi potestatem arrogaret immutandi Scripturas, vel eas rejiciendi, tunc esset supra Scripturas, sed hanc blasphemiam Catholicorum nemo somniavit. Quas enim Scripturas ex traditione primorum fidelium accepit, has fideliter, & intemerate custodit; & quando de earum sensu dubia occurrunt, non proprio arbitratu, sed re bene perpensa, adhibita etiam perpetua traditione, resolvit; & ne in resolutione erret, Spiritus Sanctus ei præsto est.

120. Multa colligit Joann. Gerhardus ex sacris litteris, ut ostendat, Ecclesiam reipsa errasse. 1. Apostoli communem errorem secuti, arbitrati sunt, Messiæ regnum futurum temporale: unde *Act.* I. 6. interrogabant: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel.* 2. Nec *sciebant Scripturam, quia oportebat Christum a mortuis resurgere*, ut *Joann.* XX. 9. dicitur de Petro, & Joanne. 3. Ut colligitur *Act.* X., Petrus ignorabat, Gentiles ad Evangelium esse admittendos, & nonnisi nova visione fuit de hac veritate edoctus; unde etiam *Act.* XI. de hac re debuit cum Judæis conversis disceptare. 4. Idem Petrus *Act.* X. 14. videtur ignorasse abrogationem legalium; renuebat enim manducare *commune, & immundum*, in quem iterum errorem lapsus est, segregans se a mensis Gentilium; quamobrem a Paulo *Gal.* II. reprehensus fuit, *quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii*. Addit deinde alia exempla Galatarum, Corinthiorum, Pergamensium, ac Thyatirensium, quorum errores Scriptura memorat, ac denique totius Ecclesiæ Orientalis, quam ut schismaticam, & hæreticam Ecclesia Romana anathematizat.

121.

(a) De hac auctoritate, quam Protestantes contra sua quidem principia, sed quadam tamen necessitate adacti sibi arrogarunt, digna sunt, quæ audiantur Remonstrantium querelæ in *Epistolis præstantium, & eruditorum virorum &c.* De eadem etiam plurimum disputavit Bossuetus in *Colloquio* cum Jo. Claudio. Sed præstat etiam audire Bælium, qui in Dist. Art. *Maimbourg* rem. D. inquit: *in omnibus societatibus esse debet tribunal, a quo suprema sententia prodeat in controversiis privatorum, & quod potestatem habeat infligendi pœnas rebellibus debitas; alioquin turbæ impediri non possent, & controversiæ æternum durarent.*

121. Quantum attinet ad 1. & 2. negari non potest, Apostolos nonnulla ignorasse, antequam Spiritus Sanctus eos doceret *omnem veritatem* necessariam ad salutem; nec tamen eo tempore deerat auctoritas infallibilis in Ecclesia, cum esset præsens, & visibilis Christus Dominus ejus caput, apparens suis discipulis, *& loquens de regno Dei Act.* I. 3.

122. Resp. ad 3. Petrus non ignorabat, nec ignorare poterat, Gentiles esse ad Evangelium vocatos, cum id sæpius prædixerit Christus, imo & omnibus Apostolis præceperit, ut *docerent omnes gentes*. Solum ergo dici potest, vel ipsum opportunitatem spectasse, de qua tunc fuit per visionem admonitus, vel potius non tam ipsum, quam per ipsum fuisse alios Judæos de hac re edoctos, quæ ipsis paradoxa videri poterat; vel demum per novam revelationem fuisse Apostolis magis explicatum, quod antea non bene intellexerant; unde etiam Sanctus Paulus *Ephes.* III. 5. inquit: *Nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium.*

123. Resp. ad 4. Neque etiam ignorabat S. Petrus, abrogata esse legalia; ut enim narrat Sanctus Paulus *Galat.* II. 12., prius *cum gentibus edebat*, post autem *segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant;* ex quo patet, eum non errasse in fide, ut crederet, adhuc homines legalibus adstringi, sed in eo peccasse, quod recedens a Gentilium mensa imprudenter occasionem scandali aliis præberet, seu ut Tertullianus ait *de præscript. hæret.* cap. 23. illud fuit *vitium conversationis, non prædicationis;* quamobrem etiam Paulus non dicit, eum ambulasse contra Evangelium, sed potius *non recte ambulasse ad veritatem Evangelii.* Quod autem dicebat in visione *Act.* X.: *Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum*, non probat, eum credidisse, hæc non posse sine peccato comedi, sed solum se numquam comedisse. Ceterum nescio, quomodo adversarii non solum Ecclesiam, sed ipsos quoque Apostolos obnoxios errori facere non vereantur; quos tamen fuisse Spiritu Sancto plenos Scriptura testatur. Et singulariter Sancto Petro dixit Christus: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Lucæ XXII. 32.

124. Quæ postea adduntur de Ecclesiis particularibus, nullam habent difficultatem, cum nemo neget, has deficere posse; *divisim* tamen, non *collectim;* quia si singulæ simul deficerent, etiam Ecclesia universalis, quæ ex illis conflatur, tota periret, quod fieri non posse Christus promisit. In Ecclesia Orientali, præcipue in Græca, non paucos Orthodoxos, & Apostolicæ Romanæ Sedis fideles divina gratia semper servavit.

125. Objiciunt secundum nonnulla Sanct. Patrum dicta, ac præcipue Hieronymi, qui in fine ep. 119. *ad Minervium, & Alexandrum* inquiebat: *Nec juxta Pythagoræ discipulos præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est;* & Tertulliani, qui in *Apologet.* c. 4. *suspecta lex est*, inquit, *quæ probari se non vult; improba autem, si non probata dominetur.*

126. Resp. S. Hieronymum de sua, aliorumque privata auctoritate loqui, non de Ecclesiæ. Loquit enim: *neque tanta est meæ pusillitatis auctoritas, qui nihil sum .... quanta eorum, qui nos in Domino præcesserunt. Nec juxta Pythagoræ &c.* De Ecclesiæ auctoritate aliter loquitur S. Doctor; &, ut alia prætercam, notissima sunt, quæ Damaso scribebat Epist. 15. *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si qui in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.* Imo in eadem epistola ita concludit: *Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt, & a fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.*

127. Tertulliani autem verba, si quid probarent, non tam Ecclesiæ, quæ non est lex, quam Scripturæ auctoritatem everterent, quæ prima est Christianorum lex. Sed Africanus Doctor ibi agit de legibus humanis, quas Imperatores ethnici tulerant contra Christianos, quasque rursus examinari merito poscebat, ut eorum cognita injustitia, tollerentur. Unde etiam exemplum affert Lycurgi, cujus leges fuerunt a Lacedæmonis examinatæ; & emendatæ, qua de causa superbus ille legislator præ dolore obiit.

128. Ceterum Tertullianus multa tradit de Ecclesiæ auctoritate, præcipue in Libro de *præscr. hæret.*, ubi cap. 19. vult, prius quærendam Ecclesiam, seu ut ejus verbis utar, *a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani;* quibus verbis designatur Ecclesia, & postea pergit: *ubi enim apparuerit, esse veritatem & disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & traditionum;* unde regulam suam statuit, ut inquiratur, quænam sunt Ecclesiæ apostolicæ, & apostolicarum soboles, & quæ proinde Apostolorum doctrinam *tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas* receperunt; atque infert, *omnium doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, Matricibus, & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam;* & hoc vocat *præscriptionem; hoc testimonium veritatis.* Præcipuam autem auctoritatem defert Ecclesiæ Romanæ, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.*

129. Ob. tertio palmarem, ut putant Adversarii, difficultatem. Non potest Ecclesiæ suprema, & infallibilis auctoritas tribui, nisi incidendo in circulum vitiosum, unde quasi ex labyrinto nullus est exitus. Hæc enim auctoritas ex sacris lit-

litteris demonstranda est; at vero quaenam sint sacrae, & canonicae Scripturae, & insuper quinam sit legitimus earumdem sensus, ab ejusdem Ecclesiae auctoritate pendet. Quod si dicatur, posse nos ex solis Hermeneuticae regulis ea loca intelligere, quae infallibilem Ecclesiae auctoritatem tribuunt, poterunt pari jure ex iisdem regulis alia omnia loca intelligi, ex quibus pendent omnia nostrae fidei dogmata, quin ad Ecclesiam confugiemus.

130. Insuper Ecclesia sibi vindicans hanc auctoritatem, infallibiliter definit, se infallibilem habere definiendi potestatem; & nisi haec haberetur Ecclesiae definitio, non esset hoc dogma ab omnibus indubia fide credendum, adeo ut posset quilibet impune de Ecclesiae auctoritate dubitare. Haec tamen omnia puram, putamque involvunt petitionem principii.

131. Resp. Primo hac ipsa difficultate, si qua est, premi etiam Adversarios. Hanc enim libertatem, quam sibi arrogant, omnia fidei dogmata privato suo spiritu examinandi, ex Scripturis probare conantur. Quando autem ab ipsis sciscitamur, quinam sint canonici libri, & quinam eorumdem germanus sensus, iterum ad spiritum privatum perpetuo circulo nos provocant.

132. Resp. 2. Nullum in hac materia esse circulum vitiosum. Nam quando contra Heterodoxos infallibilis Ecclesiae auctoritas ex sacris litteris ostenditur, non ii adhibentur libri sacri, de quibus canonici necne sint, inter nos, & illos disputatur, sed ii duntaxat, de quorum αὐθεντίας nulla prorsus est disputatio; undecumque postea haec αὐθεντίας derivetur. Sumimus ergo id, quod utique litigantium parti commune est, & certum, ut inde Ecclesiae auctoritatem supremam ostendamus. Rursus quando ex canonicis illis, & divinis libris testimonia in rem nostram allegamus, non ea in nostro sensu intelligenda esse contendimus, quia Ecclesia ita intelligenda illa esse definivit; sed nos nostris Adversariis, quoad fieri potest, accommodando, ex certis, & communibus Hermeneuticae legibus evincimus, hunc, & non alium esse obvium, & germanum eorumdem sensum. Nullus itaque est in nostro ratiocinio vitiosus circulus (a).

133. Accedit, quod supremam Ecclesiae auctoritatem aliis etiam argumentis invicte demonstramus; ac potissimum ex constanti omnium saeculorum usu; ex ipso enim Apostolorum aevo id semper servatum est, ut graviores fidei, morumque controversiae ad Ecclesiae tribunal deferrentur, ejusdem infallibili oraculo definirentur; cui oraculo omnes illi, qui fasces submittere recusarunt, tamquam ethnici, & publicani ejecti sunt. Quo fit, ut omnes fideles hanc infallibilem, & supremam definiendi auctoritatem, ut nostrae religionis dogma capitale, semper habuerint, atque habere debeant.

134. Neque demum Ecclesia utens auctoritate definiendi controversias fidei sibi a Deo collata, id sibi arrogat, de quo disputatur, sed potius in ea possessione manet, in qua semper fuit. Et non solum iniquum, sed ridiculum plane foret, ut a possessione sua decederet, quia aliqui ipsius rebelles filii eidem obtemperare detrectant. Nec etiam ad confirmandam hanc auctoritatem aliqua opus erat definitione; nam antiqua, & nunquam interrupta possessio ad id sufficiebat. Quod quidem pro certo habuit Synodus Tridentina, dum Sess. IV. de Ecclesiae auctoritate dixit: *cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum*.

135. Dices (cum Jurio *Vrai syst. de l' église*). Ecclesia universalis de nulla re judicat, nihil definit, neminem docet, aut condemnat: haec enim omnia ab Ecclesiis particularibus fiunt, seu potius ab eorum Pastoribus.

136. Resp. Nihil magis falsum dici posse. Primo enim Ecclesia universalis in Conciliis oecumenicis congregata judicat, definit, docet, condemnat. Id factum est in ipso Ecclesiae exordio ab Apostolorum Concilio, & postea secutis temporibus, quotiescumque opus fuit: deinde quando Ecclesiae particulares, seu earumdem Pastores simul uniuntur in aliquo dogmate proponendo, vel oppositis erroribus condemnandis, ex singulorum communi consensu resultat generalis totius Ecclesiae definitio, & doctrina. Neque vero in hac auctoritate exercenda requiritur populi vox, aut definitio; nam haec auctoritas spectat ad Ecclesiam docentem, quam Pastores constituunt. Quanquam nec deest etiam populi consensus, qui id credit, quod Ecclesia docens illi credendum proponit (b).

137. Dices adhuc. Si communis fuisset olim Christianorum doctrina, Ecclesiam habere supremam, & infallibilem judicandi potestatem, nullae unquam fuissent haereses, & nulla schismata; quae tamen semper Ecclesiam ab ipso sui exordio afflixerunt. Praeterea saltem nunc in Ecclesia Romana nullae esse deberent Theologicae illae controversiae, quae olim excitatae, non sine gravi fidelium scandalo, ac detrimento adhuc hodie perdurant.

138. Respond. primae difficultati, si quid ea valeret, etiam Apostolorum, atque ipsius Christi auctoritatem, quae certe summa erat, & infallibilis, eversum iri; haereses enim, & schismata etiam A-

(a) Confer elegantissimum Facciolatum in *Acroasi* VI. *Dialectica*.

(b) Hanc Jurii objectionem fusius diluit illustrissimus Bossuetus in *Hist. var. Eccles. Protestantium*, Lib. XV. n. 86. & seq., ubi ex ipso Jurio ostendit, Ecclesiam universalem loqui, docere, judicare, condemnare &c. Ostendit insuper, quam falsa sit idea Ecclesiae *universalis* a Jurio conficta, quae scilicet omnes communiones, quae appellantur Christianae, suo sinu complectatur.

Apostolorum ævo fuerunt ab iis excitata, qui eorum doctrinam, quæ utique cælestis erat, & divina, corrumpere conabantur; nec auctoritati ipsis a Christo collatæ parere volebant. Christus item invenit pervicaces Judæos, quorum durities neque verbis, neque miraculis suis emolliri potuit. Demum & sæcularis Regum auctoritas hoc argumento labefactaretur, cum tam multi justas ipsorum leges contemnant. Si igitur Regum, Apostolorum, atque ipsius Christi auctoritas propter inobedientes, & refractarios non evertitur, stabit etiam summa Ecclesiæ auctoritas in rebus fidei, morumque definiendis, quanquam aliqui eidem obtemperare recusent; quod Christus ipse futurum esse prædixit, dum eos, qui Ecclesiam non audierint, habendos esse jussit, sicut ethnicos, & Publicanos Matth. XVIII. 17. Nimirum tanta est hominum infirmitas, & nequitia, ut nisi Deus gratia sua interiore præsto sit, nulla eos auctoritas continere in officio possit.

139. Respond. secundæ difficultati, Ecclesiam justis de causis suam definitivam sententiam in multis controversiis, quæ inter Catholicos agitantur, aliquando suspendere. Nemo autem molestius sciscitetur, quænam sint hæ justæ causæ; neque enim semper subditis, & filiis datum est, causas perscrutari eorum, quæ a matre Ecclesia prudenter sine dubio fiunt (*a*). Addo, nullas Ecclesiæ novæ revelationes fieri, & nonnisi ea definiri ab Ecclesia posse fidei dogmata, quæ in verbo Dei sive scripto, sive oretenus tradito continentur. Si itaque Deo non placuit aliqua nobis in verbo suo revelare, ea ab Ecclesia definiri non possunt. Nonnullas hujus generis quæstiones enumerat Sanctus Augustinus, Lib. II. *de peccato originali* cap. 13. Tom. X., & concludit in iis, *& multa ignorari salva Christiana fide, & alicubi errare sine aliquo hæretici dogmatis crimine*.

140. Objic. quarto. Posita infallibili de rebus fidei judicandi potestate, quam nos Ecclesiæ tribuimus, sequitur, inutile esse sacrarum litterarum studium: sufficit enim suprema Ecclesiæ oracula nosse.

141. Respond. neg. sequelam; Scripturarum enim divinarum studium semper est fidelibus utilissimum; & primo quidem ad confirmandam fidem nostram, quando videmus, Ecclesiæ definitiones esse sacris litteris apprime conformes: deinde plurimum prodest ad augendam fidem, quæ per charitatem operatur: quot enim in sacris eloquiis invenimus exhortationes, promissiones, & minas? quot virtutum exempla, & alia bene vivendi incitamenta? Utile præterea est sacrarum litterarum studium, ut præter dogmata, ac præcepta, etiam agnoscamus consilia, quæ ad Christianam perfectionem adipiscendam magnum conferunt adjumentum. Demum utilissimum est Scripturarum studium ad convincendos hæreticos, qui Ecclesiæ definitionibus acquiescere nolunt; vel saltem ne nos, aut alios ab eorum fallaciis decipi patiamur.

142. Quamquam autem fatemur, sacrarum litterarum studium esse summopere utile, negamus tamen esse omnibus necessarium. Sane ab initio religionis nullæ erant sacræ litteræ, & tamen erat, & florebat Ecclesia. Ulterius etiam postea multæ barbaræ nationes fuerunt ad Christi fidem perductæ, apud quas nullæ adhuc erant Sacræ Scripturæ versiones, utpote quæ tardius fieri cœperunt. S. Irenæus Lib. III. *adv.* hæres. cap. 4. postquam necessitatem divinarum traditionum asseruisset, subdit, multas gentes barbarorum, *sine charta, & atramento, & sine litteris* credidisse, eorumque fidem, ut maxime puram commendat (*b*). Demum etiam nunc ubique in Ecclesiis consuetudo vetustissima viget, quam non puto ab Adversariis improbatum iri, exigendi professionem Symboli tum e Catechumenis, tum a simplicibus, & rudibus, qui Scripturas nondum legerunt, imo fortasse nec legere norunt. Cur ergo eadem ratione non possunt isti etiam dogmaticas Ecclesiæ definitiones recipere, & firmiter credere, etiamsi sacras litteras non legerint?

143. Obj. ult. Non constat inter ipsos Catholicos, ubinam suprema illa judicandi potestas resideat. Quidam enim Romano Pontifici, alii Conciliis generalibus, & alii demum Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ eam attribuunt (c).

144. Resp. Omnes ad unum Catholicos hanc supremam, & infallibilem judicandi potestatem agnoscere in Ecclesia universali, sive illa sit in Conciliis Œcumenicis legitime congregata, sive toto terrarum orbe dispersa, & in unam, eamdemque doctrinam consentiens. De hac re nulla est inter Catholicos dissensionis umbra. Tota contro-

ver-

(*a*) Invenimus aliquando etiam graves errores longo tempore in Ecclesia toleratos, quia, ut observat Bossuetus Lib. XV. *Hist. variat. Eccl. Protest.* num. 128., spes est, eosdem ex seipsis dissipatum iri, & timeri potest, ne solemni condemnatione famosiores reddantur, magisque hominum malitia dilatetur.

(*b*) Sanct. Joan. Chrysost. Homil. II. alias I. in Evangelium Sanct. Joannis Tomo VII. asserit quidem, etiam Barbaros, Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopes Evangelium S. Joannis in propriam linguam vertisse; sed non propterea labefactatur assertio S. Irenæi, qui quasi duobus sæculis antea vixit, & qui fortasse & aliis nationibus barbaris loquebatur.

(*c*) Mirum, quantum sibi in hoc argumento complaceant Heterodoxi, ut Bælius in sua *Critique générale de l'Hist. du Calvinisme &c.* Jo. la Placette in Dissert. *de insanabili Eccles. Rom. scepticismo*, & Boillierius *dans le Pyrronisme de l'Église Romaine*. Imo iste postremus in opusculo alioquin commendabili, cui titulus *Court examen de la thése de M. de Prades* pag. VI. hoc argumentum tanti facit, ut Facultatem Sorbonicam, atque ipsam totam Ecclesiam Rom., quasi novus Goliath audacter ad ipsius solutionem provocet.

versia, quæ inter eos viget, solummodo est de Pontifice Romano; an scilicet ipse etiam, qui solus aliquid ex cathedra definit, infallibilis sit? Sed hæc controversia ad fidem minime spectat, & salvo charitatis vinculo inter Catholicos agitatur. Solum obiter Adversarios monemus, nullum omnino apud nos esse articulum fidei, qui non a Pontifice, & simul ab Ecclesia definitus non sit.

## CAPUT VI.

*Ostenditur, Concilia generalia rite, ac legitime celebrata, in fidei morumque definitionibus errare non posse.*

145. Concilia Ecclesiæ definiri possunt *Conventus legitimi Episcoporum, ad ecclesiastica negotia pertractanda*. Hic autem sermo non est, nisi de œcumenicis, ad quæ Episcopi totius Ecclesiæ Catholicæ convocantur. Quamvis porro necesse non sit, omnes Episcopos simul convenire, quod nec *moraliter* fieri potest, tantus tamen eorum numerus ex omnibus Catholici orbis partibus congregari debet, quantus universali Ecclesiæ repræsentandæ par sit (*a*).

146. Ut autem rite celebrentur Concilia, necesse est, omnem ab iis violentiam procul esse. Hinc secundum Concilium Ephesinum quamquam ex omnibus mundi partibus legitime congregatum, communi tamen omnium fidelium consensione nullum est, quia nulla in eo fuit suffragiorum libertas, Dioscori, ceterorûmque Eutychianorum violentia omnibus ecclesiasticis regulis violatis.

147. Generalium Synodorum convocatio ad solam auctoritatem summi Pontificis spectat, *sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam*, ut inquit Sanct. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10., quia solus in tota Ecclesia primatu jurisdictionis potitur; unde Ecclesiastica illa regula a Socrate Lib. II. *Histor. Eccles.*, & Sozomeno Lib. II. cap. 10. memorata: *Ne absque consensu Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur* (*b*).

148. Ad eumdem etiam Rom. Pontificem spectat Conciliis œcumenicis præsidere, vel per se, si præsens Concilio adsit, vel per suos legatos.

149. Sed hæc ad Canonistas, a quibus etiam peti possunt, quæ de aliis Conciliis latius disputari solent, nempe de nationalibus, quæ scilicet conflantur ex Episcopis unius regni, vel nationis, Patriarcha, vel Primate præside; de provincialibus, quæ a Metropolita ex Episcopis suæ Provinciæ convocantur; & de diœcesanis, quæ Episcopus cum suæ diœcesis Clero celebrat (*c*). Cum enim propositum nobis sit, sermonem habere de Conciliis, quæ omnes fatentur esse rite celebrata, parum interest inpræsentiarum disquirere, ad solum Pontificem pertineat necne jus convocandi Concilia: quamvis enim vel inter Catholicos aliqua de hac re controversia sit, nemo tamen negat, Concilia, quæ a Sede Apostolica, universaque Ecclesia probantur, pro legitimis habenda esse.

150. Est autem controversia cum Luthero, Calvino, ceterisque Heterodoxis, qui ut Ecclesiæ universæ, ita etiam Conciliis infallibilem judicandi potestatem denegant (*d*). Catholicorum contra una vox est, ejusmodi generalia Concilia recte celebrata in fidei, morumque dogmatibus errare minime posse, non secus ac Ecclesiam, quam repræsentant. Hæc autem communis Catholicorum sententia.

151. Prob. 1. Ex Concilio habito ab Apostolis in controversia legalium, ut Ecclesiæ in fidei controversiis definiendis normam præscriberent. Suam e-

(*a*) In Concilio Hierosolym. nonnisi quatuor, aut quinque fuere Apostoli. Conciliis etiam Orientalibus pauci intererant Occidentales: quia tamen illi fidem totius Ecclesiæ Occidentalis exponebant, jam totius Ecclesiæ consensus apparebat. Ceterum prorsus falsa, & absurda est illa Jurii opinio, qua in *Reflex. Hist. sur les Conciles* contendit, omnes omnino Episcopos adesse oportere, ut aliquod Concilium vere sit Œcumenicum. Neque id solum, sed præterea multo absurdius vult, ceteros quosque doctos, etiam laicos, esse vocandos; unde colligit, nullum hactenus celebratum fuisse, nec celebrari posse Concilium universale. Sed eadem ratione colligere potuisset, nullum celebratum fuisse Concilium *nationale*, aut *provinciale*; neque enim illi interfuere omnes quotquot erant in scientiis ecclesiasticis apprime instructi. Adi-sis Mel. Canum Lib. V. *de locis theol.* c. 2.

(*b*) Jo. Launoius in pluribus suis epistolis P. VI. conatur ostendere, nedum multa Concilia fuisse ab Imperatoribus congregata, sed etiam jus ea congregandi ad solum Pontificem non pertinere. Idem censent Dupinius *Traité de la Doctrine Chret.* Lib. I. c. 13., & auctor libri, cui titulus *Eclaircissement de plusieurs difficultés touchant les Conciles généraux* Part. V. §. 4. Natal. Alexand. Diss. V. in sæc. IV. in resp. ad 2. object. docet, Conciliorum convocationem, jure *regiminis ecclesiastici* spectare ad Episcopos, & summos Pontifices (quod postea fusius ostendit Dissert. XI.); jure tamen protectionis, quam *fidei, & Ecclesiæ impendere tenentur*, spectare etiam ad Principes. Sed vid. Card. Bellarminus Lib. I. *de Conciliis, & Ecclesia* cap. 12. 13. 19. & 20. Hanc auctoritatem convocandi Concilia summis Pontificibus vindicavit etiam Jos. Regger. *Instit. Juris. Eccl.* edit. Vienn. 1765. Sect. 2. cap. 4. num. 199. contra nuperum J. C. Justinum Febronium, qui in suo opere *de statu Ecclesiæ &c.* c. 9. §. 1. & 3. sibi probandum sumpserat, *nulla lege divina, aut humana convocationem universalium Conciliorum summo Pontifici reservari; sed tacito dumtaxat Principum, & Ecclesiarum consensu jus hujusmodi Romano præsuli delatum fuisse*. Quem tamen errorem una cum multis aliis ejuravit in celebri sua *retractatione* exhibita Pontifici Max. Pio VI. ann. 1778. n. 20.

(*c*) De postremis duos tomos in 4. edidit Bened. XIV. inscriptos *de Synodo Diœcesana*, omnium laudibus celebratissimos.

(*d*) Confer Bellarmin. præfat. ad Lib. I. *de Conc. & Ecclesia*.

enim definitionem tamquam infallibile Spiritus S. oraculum ita pronuntiarunt *Act.* XV. 28.: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* (a).

152. Neque vero est, cur quisquam respondeat, id potuisse ab Apostolis dici, quia quilibet eorum Spiritu Sancto plenus erat, & infallibilis, non autem ab Ecclesiæ Pastoribus, qui eodem privilegio non gaudent.

153. Non, inquam. Etenim si Apostoli ex peculiari illa Spiritus Sancti inspiratione, qua afflati erant, quæstionem definire voluissent, potuissent separatim id præstare. At vero cum voluerint una simul in Concilium convenire, rem diligenter, magnaque disquisitione discutere, & ex communi consensione definire; non alia de causa id eos fecisse dicendum est, nisi ut ostenderent, Christum suæ Ecclesiæ semper præsto esse, prout jam promiserat Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* & Joan. XVI. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.*

154. Id fuit a Patribus V. Synodi observatum Collat. VIII. ubi inquiunt, *licet Spiritus Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, & non indigerent alieno Consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebat, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverit.*

155. Huic nostræ rationi illud videtur obstare, quod quemadmodum Christus dixit Apostolis: *Ecce ego vobiscum sum* &c., ita etiam dixit Matth. 18. 20.: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* atqui tamen inde non colligitur, Concilia omnia particularia in nomine Jesu Christi congregata habere privilegium, ut falli nequeant: ergo &c.

156. Sed resp. eo loco non esse sermonem de Episcopis in aliquo Concilio congregatis, sed de hominibus piis convenientibus ad orandum, quibus Christus Dominus suum præsidium pollicetur, dummodo petant, sicut oportet, & ea petant, quæ sunt utilia ad salutem; ut enim inquit S. Thomas (in Comm. ad hunc locum), *impossibile est preces multorum non exaudiri; ex multis orationibus fiat quasi una.* Unde etiam dixerat Jesus in vers. præced.: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis* &c. (b).

157. Prob. 2. Quemadmodum comitia generalia totam rempublicam; ita Concilia generalia rite celebrata universam repræsentant Ecclesiam: atqui, ut supra probatum est, Ecclesia in dogmaticis definitionibus falli non potest: ergo &c. Major probat. Quamquam enim ad Concilium generale non omnes undequaque Episcopi conveniant, imo nec convenire possint, si tamen plures ex omnibus mundi partibus simul congregati inveniantur, nec ceteri repugnent, imo definitiones Concilii unanimiter recipere parati sint, jam satis aperte Ecclesiæ universitas repræsentatur.

Hinc S. Augustinus Lib. I. *de bapt.* cap. 18. plenarium Concilium vocat *totius Ecclesiæ consensionem;* & Martinus V. in diplomate, quo recipiendorum in Ecclesia hæreticorum modus præscribitur, jubet eos interrogari, *utrum credant, quod illud sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit.* Eugenius autem IV. (epistola ad Fridericum Rom. Imperat.) *Concilium*, inquit, *generale Constantiense, sicut & cetera Concilia, Catholicam Ecclesiam repræsentans suscipimus;* & Leo X. Sess. XI. Conc. Lateran. *In præsenti*, inquit, *Concilio Lateranensi universalem Ecclesiam repræsentante &c.*

158. Dices. Referente Paulo Sarpio in *Hist. Conc. Trid.* Lib. II. p. m. 135. & seq. cui etiam Card. Pallavicinus consentit (*Hist. Concil. Trid.* Lib. VI. cap. 2.) cum plurimi Episcopi vehementer instarent, ut synodus Tridentina suis titulis hunc etiam adderet: *Repræsentans universam Ecclesiam*, Legati Pontificii renuerunt, asserentes, id in antiquis Ecclesiæ Conciliis minime reperiri. Quæ Legatorum responsio fuit a Paulo III. Rom. Pontifice approbata; & consequenter vetitum, ne Synodus Tridentina sese tanquam Ecclesiam universalem repræsentantem inscriberet.

159. Resp. Nullam fuisse controversiam, an Tridentina Synodus Ecclesiam universalem repræsentaret; id enim erat omnibus certum, sed solum, an hujusmodi titulo uti deberet: aliquæ autem a Legatis afferebantur causæ, cur id minime expediret, inter quas non postremum locum illa obtinere videbatur, quod veteres Synodi eodem titulo usæ non fuerint, quanquam nemini dubium esse potest, quin universalem Ecclesiam se repræsentare existimaverint. Sane Concilium Nicænum ad Arianos condemnandos hanc phrasim adhibuit: *eos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia* (ad calcem Symboli), quod dicere non po-

(a) Frustra est Jo. Moshemius, dum in suo opere mendaciis, & erroribus pleno *de rebus Christianorum ante Constantinum Magnum* §. 48. contendens, *Concilia nulla re alia, quam posteriorum temporum consuetudine, & opinione, idest incertissimis fulcris niti*, negat *Conventum* illum fuisse Concilium proprie dictum. Sed tota antiquitas hunc conventum pro vero, & legitimo Concilio semper habuit, imo pro primo omnium, quæ postea consecuta sunt, Conciliorum exemplari, & forma. Quibus autem, & quam certissimis fulcris innitantur Concilia, ex iis monumentis, quæ allata sunt, & quæ mox afferentur, abunde constabit.

(b) Sunt tamen, qui ex laud. Christi verbis infallibilem Conciliorum auctoritatem colligunt. Reipsa hoc in sensu allegata fuerunt a duobus Conciliis œcumenicis, scilicet Chalcedonensi in Epist. ad S. Leonem, & Constantinop. III. Act. 18. Vid. Bellarminus *de Ecclesia, & Conciliis* Lib. II. c. 2.

potuisset, nisi se universalem Ecclesiam repræsentare putasset.

160. Prob. 3. ex Ss. Patribus. S. Ambrosius, *sequor autem*, inquit epist. XXXII. *tractatum Nicæni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare*. S. Basilius epist. CXIV. Patres Nicænos *non sine Spiritus S. afflatu locutos fuisse*, dicit. S. autem Augustinus Lib. I. *contr. Donat.* cap. 18. non alia ratione S. Cyprianum excusat, nisi quia Rebaptizantium controversia nondum fuerat plenario Concilio definita, & S. Cyprianum sine dubio cessurum affirmat (Lib. II. c. 4.), *si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur*. S. Cælestinus in epist. ad Concilium Ephesinum P. II. Act. 2. *Spiritus Sancti*, inquit, *testatur præsentiam congregatio Sacerdotum*, & paulo post: *Sanctum namque est pro debita sibi veneratione, in quo utique nunc Apostolorum frequentissime illius, quam legimus, congregationis aspicienda reverentia est*. S. Leo de Chalcedonensi Concilio loquens: *Quæ nostro*, ait, *prius ministerio* (Dominus) *definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit consensu* (ep. CXX. al. LXV. ad Theodoretum). Demum S. Gregorius M. *Sicut*, inquit, *sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor* (*a*).

161. Ulterius tanta erat apud veteres de Conciliorum infallibili auctoritate persuasio, ut fideles omnes pro eorum definitionibus tuendis bonorum expoliationem; exilia, & mortem ipsam tolerare non dubitaverunt. Satis est ea legere, quæ Catholici pro Nicæna fide tuendâ, a Vandalis in Africa perpessi sunt (*b*). Illi vero, qui generalium Synodorum decretis parere contumaciter detrectabant, ut hæretici, excommunicati, atque ab Ecclesia præcisi, a Catholicis semper habiti sunt.

162. Unum addo ex Bossueto (*c*), nempe vel ipsos Calvinistas, in variis, quas habuerunt, Synodis hanc infallibilem judicandi auctoritatem facto comprobare visos esse. Etenim in Synodo Vitriensi (*d*) omnes solemni juramenti religione se obstrinxerant, ad Synodi nationalis definitiones acceptandas, *ex firma persuasione*, ut ibidem dicitur, *quod Deus ei præsidebit, eamque in omni veritate, & æquitate per verbi sui regulam diriget*. Hoc autem juramentum vel sacrilegum plane erat, si Synodum falli posse credebant, vel illusorium, si tantum sub ea conditione Synodo se adhæsuros jurabant, ut eam a recta fidei regula non deviasse constaret. Hoc enim modo etiam Hæretici nostris, & nos Hæreticorum quorumlibet Synodis adhæsuros jurare possemus, si nempe a veritatis tramite non deflectant. Accedit, quod Remonstrantes, & Independentes ab Ecclesia tanquam putrida membra in Conciliis Dordrechtano, & Charentoniano ejecti sunt, quod judicium, negata infallibili Conciliorum auctoritate, omnium iniquissimum est.

163. Obj. primo (*e*) Concilium illud, quo Judæi de Christi morte deliberarunt Joann. XI. 47. certo fuit œcumenicum: atqui hoc Concilium errore omnium maximo lapsum est: ergo &c.

164. Resp. (*f*). Eo tempore Synagogam errasse, quo infallibilis esse desierat, & quo ei nova Christi Ecclesia jam successerat. Nimirum promissa, & tributa fuerat Synagogæ auctoritas infallibilis, non tamen usque ad consummationem sæculi; nostræ Ecclesiæ promissa est, sed dumtaxat usque ad Christi adventum: imo, Messia adveniente, ejusdem occasus erat oraculis Prophetarum prænunciatus. Non tamen, Synagoga errante, omnis sublata erat infallibilis auctoritas, sed hæc erat in ipso Christo visibili tunc Ecclesiæ capite; cujus Divinitas & antiquis prophetiis, & recenti Joannis, ac Simeonis testimonio, ac denique prodigiis, & miraculis adeo luculenter demonstrata erat, ut esset inexcusabilis, qui eam non agnosceret. Aliter hanc difficultatem expedit Melchior Canus Lib. V. *de loc. theol.* cap. postr. in resp. ad 2. Consulatur, si lubet.

165. Obj. 2. S. Gregorius Nazianz. ab Imperatore Theodosio ad Concilium Constantinop., quod anno 382. celebrandum erat, invitatus, ita libere respondit Epistol. 55. ad Procopium: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam; quoniam nullus Concilii finem lætum, & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit*. Itane vero de Conciliis scripsisset S. Gregorius, si summam, & irreformabilem auctoritatem a Christo haberent?

166. Resp. S. Gregorium loqui de Conciliis sui temporis illegitime celebratis, & in quibus malis Arianorum artibus, & Constantii, ac Valentis Arianæ hæreseos fautorum præpotentia, omnes Ecclesiasticæ regulæ violatæ fuerant. Nec concilia generalia erant, si unum Ariminense excipiatur; de quo postea. Videtur quidem etiam ad Concilium Constantinopolitanum, quod an. 381. celebratum fuerat, digitum intendere; sed non quantum ad fidem, quæ in eo contra Arianos, & Macedonianos egregie defensa fuerat; sed quantum ad

(*a*) Lib. I. Ep. 24. Nemo autem miretur nonnisi priora quatuor Concilia a S. Gregorio memorari. Nam in V. nulla nova fidei definitio facta fuit, & insuper eo tempore illud Concilium nondum erat ab omnibus receptum, ut inferius n. 182. declarabitur.

(*b*) Vid. Victor Vitensis in tribus libris de *Vandalorum persecutionibus*.

(*c*) *Exposition de la doctrine Chrétienne* n. 20. & *Conférence avec M. Claude*.

(*d*) Anno 1617. in Libro *Disciplinæ* c. 9. art. 3.

(*e*) Cum Calvino lib. IV. *Inst.* c. 9.

(*f*) Cum Bossueto *Conf. avec M. Claude* Tom. IV. Opp. edit. Paris. 1743. in 4.

aliquas turbas in eodem post mortem Meletii excitatas, propter quas ipse e re judicaverat, a Constantinopolitano Episcopatu se abdicare (*d*). Ceterum quanti S. Gregorius Concilia rite celebrata faceret, apparet ex iis, quæ de Patribus Nicænis scribit, nempe eos fuisse a Spiritu S. coactos (orat. XX. n. 14. Tom. I.)

167. Obj. 3. S. Augustinus Lib. II. *de baptismo* cap. 3. *Concilia*, inquit, *quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus credere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat*. Si autem emendantur, profecto errant.

168. Resp. Primo S. Augustinum nomine *Concilii plenarii* non intelligere Synodos vere œcumenicas, de quibus nos loquimur, sed nationales, quæ magna quidem Episcoporum frequentia celebrantur, non tamen universam Ecclesiam repræsentant. Hujus explicationis fundamentum est non leve, quod ibidem dicit S. Pater, *Concilia plenaria sæpe priora posterioribus emendari*, quod in Concilia œcumenica cadere nullatenus potest; nam ætate S. Augustini nonnisi duo aut ad summum tria numerabantur Concilia œcumenica, Nicænum, Constantinopolitanum, & Sardicense (*a*): quamobrem inepte illa particula *sæpe* fuisset apposita; & eo etiam ineptius, quod nullum ex his Conciliis fuerat emendatum. Ulterius S. Augustinus, qui eo loco gradatim incedit ab epistolis Episcoporum ad Synodos provinciales, ab his ad generales, per saltum fuisset progressus ad Concilia œcumenica, nulla facta Synodorum nationalium mentione, si Concilia plenaria ea intellexisset, quæ nos œcumenica dicimus.

169. Neque vero insuetum est, ut nationale Concilium vocetur *plenarium*. Nam S. Augustinus etiam plenarium illud vocat, quo Rebaptizantium controversia finita est, quodque Arelatense I. vel aliud non œcumenicum a doctissimis viris fuisse putatur. Id etiam in more videtur in Africa fuisse: in codice enim illius Ecclesiæ (Tom. II. Conc. can. 48.) Synodus Capuana celebrata an. 389. *plenaria* vocatur, & Concilium Carthaginense habitum an. 405. vocatur *universale* (ib. post can. 90.). Donatistæ etiam suum Concilium Bagajense appellare solebant Concilium *universale*, *perfectum*, *generale*, *& plenarium* (*b*). Id quoque Romanis usitatum fuit, ut liquet ex Conciliis celebratis sub Symmacho, in quibus dicitur: *Symmachus Concilio generali præsidens*, quanquam nonnisi Episcopi Italiæ iis adessent. Etiam Concilium Toletanum III. se *universalem* Synodum appellavit. Ac demum Patres Concilii Constantin. I., qui nonnisi orientales erant, suam Synodum appellarunt *œcumenicam*, quæ certe tunc temporis generalis non erat. Neque enim ea Synodus pro generali habita est, nisi postquam Damasus R. P. in Rom. Concilio ea confirmavit, quæ Constantinopoli contra Hæreticos statuta fuerant. (Videsis Theodoretum L. V. *Hist. Eccl.* cap. 9.)

170. Obstare quidem videntur ea S. Augustini verba: *Quæ fiunt ex universo orbe Christiano*. Sed hæc cum aliqua restrictione accipienda esse, patet ex eo, quod subdit, hæc plenaria Concilia *sæpe* emendari, quod certe de œcumenicis dici ab Augustino nulla ratione poterat, cujus ætate duo, aut tria tantummodo celebrata fuerant, nullumque ex his a posterioribus emendatum.

171. Resp. 2. Locutum esse de Synodis male celebratis, cujusmodi fuerunt ejus ætate duo Concilia Ariminense, & Seleuciense, ab Ecclesia rejecta, & emendata, quando *experimento rerum* detecti fuerunt Arianorum doli (c).

172. Obj. 4. S. Leo M. de Concilio Chalcedonen-

(*a*) Mortuo Meletio, S. Gregorius Nazianz. contendebat, neminem esse in ejus locum sufficiendum, juxta fœdus cum Paulino sancitum, ut qui eorum superstes fuisset, solus Cathedram Antiochiæ occuparet. Id autem evincere non potuit; nam alii Meletio Flavianum subrogarunt, quo schisma Ecclesiæ Antiochenæ diutius propagatum fuit. Præterea Episcopi Macedoniæ, & Ægypti exaltationem S. Gregorii ad Episcopatum Constant. improbare cœperunt, quia antea fuerat Zazimorum Episcopus; translatio autem de uno ad alium Episcopatum sacris canonibus interdicta erat. His, aliisque de causis S. Gregorius se ab Episcopatu abdicavit, in cujus locum Nectarius adhuc Catechumenus suffectus est, nulla habita ratione Apostolici præcepti de non evehendis ad Episcopatum Neophytis 1. ad Tim. III. 6. & can. 2. Conc. Nicæni. Legi potest vita S. Gregorii Nazianzeni conscripta a Card. Baronio, & inserta Tomo II. *Epist. & Opusc.* ejusdem Cardinalis a Raymundo Albericio Romæ edit. 1759. Videatur imprimis cap. XVI., ubi agitur de S. Gregorii abdicatione ab Episcopatu.

(*b*) Quod tamen ab Africanis fuisse concilium Arianorum putabatur. Decepti siquidem ab Arianis fuerant, qui conciliabulum ab ipsis Philippopoli celebratum pro Sardicensi Concilio venditabant. Vid. S. Augustinus Lib. II. Cont. Cresconium c. 34. Tom. IX.

(c) Vid. S. Augustinus Lib. II. *contr. epist. Parmen.* cap. 3. cum Lib. II. *de bapt.* cap. 7. Lib. III. c. 2. & Lib. III. *cont. Crescon.* c. 37.

(*d*) Alii dicunt, S. Doctorem non fuisse locutum de emendatione in dogmatibus fidei, & morum; quod haud inepte colligunt ex iis verbis adjectis, *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat*, quæ verba dogmatibus accommodari nequeunt, sed duntaxat factis, aut rebus disciplinæ. Huic explicationi obstare videtur scopus S. Augustini refutandi Donatistas, qui anabaptismum auctoritate S. Cypriani, & Synodorum, quas ille celebraverat, tueri conabantur, qui certe error ad fidem spectabat. Huic vero difficultati solvendæ addunt S. Doctorem fuisse in suo ratiocinio his gradibus quasi progressum. 1. Epistolas Episcoporum posse a Synodis Provincialibus emendari. 2. Provincialium Synodorum decreta pariter emendari posse a Nationalibus. 3. I-

nensi loquens, quod in primis quatuor œcumenicis numeretur, *Multa*, ait in epistol. ad Pulcheriam Aug., *in illo ambitiose, & temerarie gesta fuisse*. Hic autem loquendi modus Spiritum S. Conciliis assistere non significat.

173. Resp. Verba S. Leonis esse referenda ad Patriarchatus prærogativam, quæ in Concilio Chalcedonensi Episcopo Constantinopolitano tributa fuit, non sine Patriarchæ Alexandrini injuria, cui primus honoris, & dignitatis gradus, quem in Ecclesia Orientali obtinebat, ademptus est. Quamobrem hoc Concilii Chalcedon. decretum fuit diu a Romanis Pontificibus improbatum; sed quæ ad fidei dogmata pertinebant, plena omnium Patrum & totius Ecclesiæ consensione firmata sunt.

174. Obj. 5. Ipsum primum Apostolorum Concilium erravit, decretum sibi ipsi repugnans efformando; statuit enim cæremonias legales esse abolitas; & postea præcipit abstinentiam a sanguine & suffocato Act. cap. XV. 29.

175. Resp. Nullam esse in illius primi Concilii sanctionibus pugnam. Quanquam enim legalium observantia generaliter abolita fuit, conveniens tamen visum est, ut aliqua haberetur ratio præcepti de non comedendis carnibus cum sanguine, quod a Deo post diluvium Noe impositum fuerat Gen. IX. 4. quod proinde etiam ad Gentiles pertinebat, cum & ipsi a Noe originem traherent. Quod tamen præceptum ad disciplinam spectabat, & temporarium erat; unde etiam postea cessavit. Vel dicendum cum S. Thoma 1. 2. quæst. 103. artic. 4. ad 3. præceptam fuisse abstinentiam a sanguine, & suffocato, ut posset coalescere unio Gentilium, & Judæorum simul habitantium. Judæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum erant abominationi. Hac vero causa cessante, cessavit etiam hæc prohibitio (*a*).

176. Obj. 6. In Concilio Nicæno decreta edita sunt a veritate omnino absona. Nam can. 12. decretum est, eos, qui militiæ cingulum, quod deposuerant, iterum resumerent, pœnitentiæ decem annorum esse subjiciendos; cum tamen militia licita sit, ut colligitur ex verbis S. Jo. Baptistæ apud Lucam III. 14. Ulterius can. 19. statuitur, rebaptizandos esse Paulianistas, cum tamen certum sit, baptismum ab Hæreticis collatum valere.

177. Respond. ad 1. cum Gabr. Albaspinæo (in not. ad hunc can.), hunc canonem esse intelligendum tantum de pœnitentibus, quibus licitum non erat militiæ cingulum, idest, non arma solum, sed alia etiam publica sæcularia munera iterum resumere, quæ cum pœnitentiæ statu conjungi non poterant. Hinc sæpius hujusmodi canon repetitus fuit (*b*). Alii tamen censent, hunc canonem de iis esse intelligendum, qui grassante persecutione Licinii militiæ cingulum potius deponere, quam a Religione Christiana deficere elegerunt: post autem rerum temporalium desideria eamdem militiam Christiana Religione repudiata resumpserunt, quos sancta Synodus decem annorum pœnitentiæ subjecit (*c*).

178. Ad 2. resp. cum S. Augustino in Lib. *de Hæres.* n. 34. Paulianistas regulam baptismatis vitiasse, atque hac de caussa fuisse eorum baptismum irritum declaratum (*d*). Ceterum tantum ab-

stas quoque a Synodis plenariis; quod ad Donatistas refellendos satis superque erat. Post autem quasi ad mensuræ cumulum addidisse, etiam plenaria Concilia posse a posterioribus emendari; sin minus in dogmate, saltem in factis, vel etiam mutatione disciplinæ, cum nempe *experimento rerum &c.* Eruditus auctor libri *Eclaircissement ... sur les Conciles &c.* P. III. §. 3. S. August. dictum intelligendum esse vult de iis rebus, quæ in Conciliis quidem tenentur, sed expresse tamen non definiuntur; cui sententiæ subscribit etiam P. Card. Lud. Richard. Ord. Præd. in sua *Analysi Conciliorum* Tom. I. c. 13. §. 4. Atque hoc eodem sensu explicari solet celebris illa responsio Jacobi Novelli Cardinalis, qui postea Summus Pontifex fuit, & dictus Benedictus VII. Cum enim aliqui constitutionem Joannis XXII. *Cum inter nonnullos* vellicarent; quod Bullam Nicolai III. *Exiit* reformasset, respondet Jacobus Card. *illud quod circa fidem, & mores male determinatum est per Papam, vel Concilium, potest per alium perspecta melius veritate corrigi, & emendari*, & quidem ibi loqui de Concilio generali, liquet ex iis, quæ addit in resp. ad sextam object. Quidquid vero sit de verbis, ex toto contextu apparet, Jacobum Card. non intellexisse ea, quæ in Conciliis determinantur, ut certa fide ab omnibus credenda: ita enim subdit in resp. ad 10. 1. *nisi Ecclesia expresse determinet, quod tale quid sit tenendum, sicut pertinens ad fidei articulum.* Unde etiam concludit, Nicolaum III. nonnisi leviter peccasse, quia illius dictum non *fuit positum sub articulis fidei*. Natalis Alexander Diss. XI. in Secul. XIV. artic. 1. ostendit, Joan. XXII. constitutiones in *dogmate fidei* non esse contrarias constitutioni Nicolai III. *Exiit*.

(*a*) In aliquibus tamen Ecclesiis abstinentia a sanguine diu servata fuit. Vid. cels. S. R. I. Principi: Mart. Gerbert *Monumenta vet. Liturgiæ Alemannicæ* pars ult. ubi referuntur ea, quæ in antiquissimo Alemanniæ *Sacramentario* continentur. Consuli etiam possunt Nicol. le Nourry in *Apparatu ad Bibliothecam maximam vet. Patrum* Dissert. I. de Clementis Alexandr. operibus cap. 3. art. 5. & Duguet Tomo II. *Conférences ecclesiast.* Diss. 42. *sur le 14. Canon du Concile d'Ancyre*.

(*b*) Vid. Can. 5. ep. Siricii ad Episc. Tarrac. can. 2. S. Innoc. ad Episc. Rothomag. & can. 5. 10. & 12. S. Leonis ep. ad Rusticum.

(*c*) Ita respondet Zegerus Bern. Van-Espen in schol. ad hunc Canonem in *Comment. in canones, & decreta juris veteris, ac novi, &c.* suamque interpretationem confirmari putat ex Eusebio, qui Lib. X. *Hist. Eccl.* cap. 8. de Licinio dicit: *Cunctos militantes, nisi dæmonibus sacrificare mallent, exauctorari, & honore militiæ spoliari jubet*. Quod repetit etiam in *vita Constantini* Lib. I. cap. 54.

(*d*) Verba S. Aug. hæc sunt: *Istos sane Paulianos baptizandos esse in Eccl. Cath. Nicæno Concilio constitutum est. Unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.*

abest, fuisse hoc canone anabaptismum probatum, ut contra multi putent eo ipso canone fuisse condemnatum; dum enim solos Paulianistas rebaptizari præcipitur, aliorum hæreticorum baptismus probari videtur.

179. Obj. 7. Concilia Ariminense, & Seleuciense anno 459. in Arianam impietatem consensere. Ephesinum II. anno 449. probavit hæresim Eutychianam. Duo etiam Constantinopolitana in causa Photii turpissime errarunt; nam in altero, anno 861., præsidentibus Nicolai I. Legatis, S. Ignatius a Patriarchatu Constantinopolitano impie deturbatus est, atque in ejus locum Photius adhuc laicus suffectus; in altero autem anno 879. præsidentibus pariter Jo. VIII. Legatis, idem Photius antea rite depositus, fuit iterum restitutus, & Synodus VIII. generalis abrogata.

180. Resp. In hujusmodi Conciliis id non fuisse servatum, quod S. Leone teste (Epist. XL.) necessarium est, ut nempe *omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo, & æquo constituantur examine, quod fidei congruat, & errantibus subveniat*. In Ariminensi enim, & Seleuciensi Imperat. Constantii violentia omnia agebantur, idemque contigit sub Dioscoro in latrocinio Ephesino; propterea hæc Concilia ab omnibus Fidelibus execrationi sunt habita. Id ipsum dici debet de duobus Conciliis Constantinopolitanis in causa Photii, quæ etiam a Romanis Pontificibus Nicolao I. & Joanne VIII. improbata, ac rejecta sunt.

181. Sed sciscitabitur aliquis, quænam certa, & clara sit regula Concilia rite, & legitime celebrata ab aliis discernendi? Repondeo, multa haberi Concilia, quæ esse rite, & ex juris regulis congregata, & celebrata, facile quilibet videre potest, & de quorum proinde infallibili auctoritate nullum suboriri potest dubium. Ita etiam quædam recenseri possunt, in quibus violentia, malæque artes adeo palam, aperteque adhibitæ sunt, ut de eorum vitio facile constet. Sed si quædam sint, de quibus prudenter dubitari queat, rite nec ne, ac legitime celebrata sint, tunc Ecclesiæ judicium attendendum est. Si enim universali Ecclesiæ consensione recipiantur, argumentum est, ea fuisse, quantum ad substantiam saltem, rite peracta; & si aliqui in iis defectus contigerint, ii subsequenti Ecclesiæ consensu tolluntur. Cum vero iis universali Ecclesiæ consensus non suffragatur, hoc ipso e Conciliorum generalium numero expungi debent.

182. Nemo tamen inde colliget, Concilia œcumenica non ex seipsis summa auctoritate pollere, sed tantum ex Ecclesiæ acceptatione eam mutuari, quo pacto a provincialibus Synodis non distinguerentur; nam & ipsæ sunt infallibiles, semel ac Ecclesiæ universalis suffragium iis accesserit. Non, inquam; si enim Concilia generalia rite celebrata sint, ex seipsis infallibili pollent auctoritate, nec ab Ecclesia rejici possunt, cum ipsam Ecclesiam, ut dictum est, repræsentent. Solum ergo quando ambigitur, rite nec ne celebrata sint, consensus Ecclesiæ accedens omne dubium tollit. Contra vero Concilia particularia etiam rite celebrata falli possunt.

183. Obj. 8. Concilium V. (celebratum an. 552.) quod certo pro œcumenico habetur, longo tempore non fuit ab Ecclesiis Hispaniarum, Venetiarum, aliisque receptum: ergo &c.

184. Resp. Ecclesias plerasque occidentales diu recusasse Concilium V. recipere, non quia arbitrarentur, posse sine grandi piaculo Concilia generalia in materia fidei rejici, sed quia putabant, Concilium V. non fuisse œcumenicum, utpote quod fuerat ab Imperatore Justiniano una cum solis Episcopis orientalibus celebratum, Vigilio R. P. aliisque Episcopis occidentalibus dissentientibus. Et reipsa Synodus V. *œcumenica* dici non poterat, nisi postquam Vigilius, ejusque successor Pelagius cum universa Ecclesia ei adhæserunt, paucis exceptis Venetiarum, atque Istriæ Episcopis, qui propterea ut schismatici habebantur, donec tandem & ipsi communi jam consensioni accesserunt.

185. Dices. S. Gregorius M. Constantio Episcopo Mediolan. scribens (Lib. II. Indict. 3. epist. 37.) indulsit, ut cum Theodelinde Longobardorum Regina Synodi V. qua illa offendebatur, *nulla memoria fieret*; atqui tunc temporis Synodus V. universalis communiter habebatur: ergo &c.

186. Resp. Id esse tribuendum cuidam prudenti Rom. Pontificis *condescendentiæ*, quia, ut idem Pontifex ibi subdit, *in ea* (Synodo) *de personis tantummodo, non autem de fide aliquid positum est*, scilicet nulla nova facta est fidei definitio, ut explicat Bossuetus: quanquam enim multi canones ad fidem spectantes a Synodo V. fuerint conditi, quia tamen constabat, nihil aliud iisdem canonibus actum, quam ut Ephesina, & Chalcedonensis firmaretur fides, S. Gregorius dicere potuit, de fide nihil fuisse positum, scilicet nullam novam fidei definitionem. Et hæc etiam ratio indulgentiæ cum Longobardis fuit, quia Concilio non in dogmatibus fidei, sed tantum in tribus Capitulis, de scriptis scilicet Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ reluctabantur.

187. Dices secundo. Concilium V. e diametro pugnabat cum Concilio Chalcedonensi; hoc enim Theodoretum, & Ibam in suam communionem ut catholicos recepit; secus vero Synodus V. quæ utrumque una cum Theodoro Mopsuesteno proscripsit: necesse est ergo alterutram Synodum errasse.

188. Resp. Hoc quidem fuisse pluribus visum, qui propterea Synodum V. recipere detrectabant; quasi id sine Chalcedonensis injuria fieri non posset. Sed hi magno in errore versabantur, diversa enim causa in utraque Synodo agitata fuit. In Chalcedonensi actum est de personis, & quia Theodoretus, Ibas pœnitentiæ, & sinceræ fidei signa exhibuerunt, ad communionem, & pristinum hono-

noris gradum admissi sunt. Nihil etiam contra Theodorum Mopsuestenum actum est, quia in pace Ecclesiæ jam obierat. In Synodo autem V. eorum scripta solummodo ad trutinam vocata sunt, quod in Chalcedonensi actum non fuerat, & quia erroribus scatebant, merito condemnata fuere (Confer Natal. Alexandr. Dissert. IV. in Sæc. VI.).

189. Obj. 9. Synodus Nicæna II. seu VII. generalis (an. 787.) fuit in Concilio Francofordiensi a trecentis Patribus circa cultum imaginibus Sanctorum decretum reprobata, & condemnata (an. 794.); quæ condemnatio iterum confirmata fuit in Concilio Parisiis habito sub Imperat. Ludovico Pio, Caroli M. Filio (an. 825. Vid. Fleury *Hist. Eccl.* Lib. 47. n. 4.) Adde celebres libros Carolinos, Caroli M. fœtus, in quibus Synodus Nicæna impiæ Iconomachorum Synodo comparatur.

190. Resp. Non Synodum Nicænam II., quæ generalis fuit; sed Francofordiensem, & Parisinam, quarum neutra generalis erat, & ante eas auctorem Librorum Carolinorum errasse, & quidem dupliciter. Primo, quod putaverint Synodum Nicænam œcumenicam non fuisse; quanquam hujus erroris aliquam excusationem habuisse videntur, eo quod nulli ex Germania, Gallia, Hispania ei interfuerint Episcopi; imo magna pars occidentis ei aperte reluctaretur. Et quanquam Hadrianus Papa eam susceperat, nondum tamen solemniter confirmaverat (*a*). Hinc Patres Francofordienses, & Parisini ejusdem Synodi acta ad trutinam revocari posse, arbitrati sunt.

191. Errarunt insuper Synodi Francofordiensis, & Parisina una cum auctore librorum Carolinorum, putantes, in Synodo generali Nicæna adorationem *latriæ*, quæ soli Deo debetur, fuisse Sanctorum imaginibus attributam. Error autem ex interpretis vitio ortus est, qui græca verba Constantini Constantiæ in Cypro Episcopi imperito in linguam latinam hoc modo transtulit: *Ego etiam indignus his consentio, & ejusdem sum sententiæ; suscipiens, & honorarie amplectens sanctas, & venerabiles imagines, secundum servitium adorationis, quod consubstantiali, & vivificæ Trinitati emitto* (Lib. III. *Carol.* cap. 17. n. 332.); quæ postrema verba omnino vitiata erant: ut enim Anastasius Bibliothecarius observat, ita verti debuissent: *Et adorationem, quæ fit secundum latriam, soli supersubstantiali, & vivificæ Trinitati emitto.*

192. Attamen quantum ad rei substantiam Patres Francofordienses, & Galli a Nicænis non dissentiebant. Hinc Hadriano, quanquam Nicænam Synodum jam receperat, tamquam *Domno Apostolico, & Patri suo* se indivulse adhærere profitebantur. Post autem pacatis animis, reque melius perspecta, communi totius Ecclesiæ suffragio Synodus VII. œcumenicæ, & infallibilis Synodi venerationem obtinuit.

193. Addit Natalis Alexander (Dissert. VII. in Sæc. VIII. 8.), Patres Francofordienses existimasse definitionem Synodi VII. catholicam esse; fuisse tamen socordiæ, & negligentiæ reos illius Synodi Patres, qui Constantini professionem hæreticam, ut ipsis quidem ex interpretis vitio videbatur, non emendaverant.

194. Dices cum Dallæo. Incredibile plane videtur, in trecentis Præsulibus neminem inveniri potuisse, qui græcum idioma ita calleret, ut verum, germanumque Synodi VII. sensum assequeretur. Ulterius aderant in Concilio Francofordiensi Theophilactus, & Stephanus, qui Synodo VII. interfuerant, ut proinde prodigio simile videatur, non fuisse errorem interpretis detectum.

195. Resp. Etsi id mirum videatur, negari tamen non posse, cum certis constet historiæ monumentis.

196. Post hæc Petrus (*b*) plura simul coacervat Concilia, quæ generalia fuisse suo marte definit, nec tamen fuerunt ab Ecclesia recepta, cujusmodi sunt Concilia Tyri, & Jerusalem, in quibus S. Athanasius condemnatus est (anno 335.) duo Antiochena (an. 340. & 341.) Sardicense (an. 347.), & Mediolanense (an. 354.) Verum mirari subit, ignorasse Jurium, hæc omnia Concilia, si Sardicense excipias, fuisse particularia, de quibus non est nobis hoc loco concertatio; & insuper pleraque ex iis fuisse Arianorum vi illegitime celebrata (*c*).

197. Perperam etiam a nonnullis errores quorumdam Conciliorum vel in factis, vel in ordine objiciuntur, quibus breviter respondemus cum doctissimo Cano Libro V. *de locis Theol.* cap. postr. ad 7. argum.: *Nos in dogmate fidei, & decretis ad salutem fidelium necessariis Conciliorum auctoritatem asserimus: in rerum gestarum judicio, & ordine non asserimus. Nec in his, quæ parum, vel certe nihil ad nos attinent, tempus, & operam sumimus.*

198. Obj. 10. Singuli Episcopi, ex quibus Synodus œcumenica conflatur, falli possunt, & reipsa sæpe contingit, eorum multos falli: nulla ergo

(*a*) Hadrianus in *epist. apologet.* ad Carolum M. *Ipsam*, inquit, *suscepimus Synodum, sed adhuc pro eadem Synodo nullum responsum Imperatori reddidimus.* Auctor autem Libror. Carolinorum Lib. IV. c. 28. *Inter cetera deliramenta*, inquit, *quæ in eadem Synodo vel gesta, vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus deliramentis minus est, quod eamdem Synodum universalem nuncupat; cum neque universalis fidei inconvulsam habeat puritatem, neque per universarum Ecclesiarum gestam constet auctoritatem.*

(*b*) *Reflexions historiques sur les Conciles* p. 26. & seq.

(*c*) Excipiendum est tamen Concilium Antiochenum an. 432., quod observantibus Fratribus Balleriniis in Tom. III. Operum S. Leonis p. 28., fuit non ab Arianis, sed ab Orthodoxis, qui Nicœnæ Synodo interfuerant, celebratum.

go videtur ratio, cur omnes simul falli non possint. Sicut enim multitudo quantumvis magna hominum cæcorum nunquam constituit cœtum hominum videntium, ita quælibet congregatio Episcoporum fallibilium Concilium infallibile constituere non potest.

199. Resp. Infallibilem Conciliorum auctoritatem non ex intrinseca Episcoporum virtute, & scientia, sed ex extrinseca Spiritus Sancti ope descendere, quem Ecclesiæ nunquam defuturum repetitæ sæpius Jesu Christi promissiones nos certos faciunt. Hoc autem privilegium singulis promissum non est, sed omnibus, prout Ecclesiam constituunt, vel repræsentant.

200. Inst. 1. Promissiones divinæ suspenduntur ab hac conditione, quod Episcopi sancti, & justi sint. Nam Malach. II. 6. pactum Dei cum Levi his verbis exprimitur: *Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus &c.*, & Dan. IX. 4: dicitur: *Deus custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Non ergo, quod pollicetur Dominus, statim futurum est, sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius: unde constat pactum retinendæ veritatis quondam cum sacerdotali tribu initum per posterorum culpas irritari:* & iterum ( in cap. XVIII. Jeremiæ ): *Falso*, dicit, *Sacerdotes illa jactare: non peribit lex a Sacerdote, nec consilium a sapiente, nec sermo a propheta, cum Scriptura dicat: in perversam animam non intrabit sapientia.* Profecto, inquit ( *Vrai systeme de l' Eglise* pag. 7. ), nulla ratione credi potest, Spiritum S. in medio hypocritarum esse. Cum itaque certo constare nequeat, an Episcopi in Concilio congregati justi; an hypocritæ sint, nec certo de infallibili Conciliorum auctoritate constare poterit (*a*).

201. Resp. Episcoporum sanctitatem minime requiri ad infallibilem Conciliorum auctoritatem stabiliendam. Sancti non erant Scribæ, & Pharisæi; & tamen de illis dicebat Christus Matth. XXIII. 3. *Quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Hæc enim Pastorum infallibilis auctoritas in Conciliis est gratis data ad utilitatem aliorum: gratiæ autem hujusmodi etiam peccatoribus tribui possunt; ut patet ex Apostolo Paulo 1. Corinth. XIII. 1. & seq.

202. Promissiones autem illæ conditionatæ, quemadmodum & verba S. Hieronymi, intelligi debent de singulis Pastoribus, non autem de omnibus simul collectis, quatenus universam Ecclesiam aut constituunt, aut repræsentant. Quod si quædam sint Scripturæ, aut sanctorum Patrum loca similia, quæ ad universam Synagogam spectare videantur, ad illud tempus sunt referenda, quo Christus venturus erat, & ipsa cessare debebat.

203. Inst. 2. Hujusmodi promissiones a conditione suspendi declarat Apostolus Roman. XI. 20. & seq. ubi ex quo Judæorum Synagogæ Deus non pepercerit, nobis quoque timendum esse, concludit, ne forte nec nobis parcat; censet ergo, & nostra Concilia deficere posse, sicut aliquando Synagoga defecit, nisi &c.

204. Respond. Apostolum loqui de singulis, non de omnibus. *Tu autem fide stas:* inquit, *noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.*

205. Inst. 3. Quamvis S. Petrus, quando Christum confessus est, ab eoque claves recepit, universam repræsentaret Ecclesiam, ut plurimi Patres testantur (*b*), non tamen certum est, eum accepisse infallibilis auctoritatis privilegium, quod ad suos successores Romanos Pontifices dimanaret; de hoc enim acerrime inter Catholicos disputatur; & adhuc sub judice lis est: ergo etiamsi concedatur; Concilium repræsentare universam Ecclesiam, non potest tamen inde colligi, ad ipsum etiam auctoritatis infallibilis privilegium promanare.

206. Resp. Qui Romani Pontificis infallibilem auctoritatem negant, dicunt Petrum repræsentasse Ecclesiam, tanquam futurum visibile ipsius caput, non autem quasi ipsa tota esset Ecclesia: at vero Concilia œcumenica universam Ecclesiam omnino repræsentant, & reipsa eam constituunt, cum ex omnibus mundi partibus aliqui simul conveniunt, ceteri autem ipsis adhærent. Qui vero infallibilem Rom. Pontificis auctoritatem defendunt, multo facilius singulares promissiones a Christo factas S. Petro explicant, & cum Sanct. Patrum traditione conciliant. Sed id modo non agimus, de sola illa prærogativa solliciti, quæ Ecclesiæ convenit, cujus Rom. Pontifex est supremum visibile caput.

207. Obj. ult. Qui Conciliorum infallibilem auctoritatem tuentur, inter se digladiantur, an eam a Pontificis confirmatione recipiant, an vero eamdem a seipsis habeant immediate. Hæc secunda sententia placet Gallis, prima vero Romanis: nisi ergo prius constet, quandonam Concilia infallibilia sint, inutile est eorumdem auctoritatem propugnare.

208.

(*a*) Hoc etiam urgebat Calvinus Lib. IV. *Instit.* c. 9. n. 8. commendens, *quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter oportere, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio, quales homines interfuerint &c.* At vero quomodo rudes, quorum maxima pars est, hæc omnia expendent? Anne doctos interrogabunt, iisque acquiescent? Sed primo ipsis doctis quamdifficile erit hæc omnia expendere; præcipue si agatur de Conciliis longo tempore antea celebratis. Deinde qui totius Ecclesiæ auctoritatem nihil faciunt, quomodo istorum assertionibus acquiescent?

(*b*) Apud Natal. Alexand. Sæc. I. Diss. 4. §. 3. n. 4. & Diss. 8. in Sæc. XI. & XII. n. 3.

208. Respond. Quidquid sit de ea quæstione, quæ inter Catholicos salva fidei unitate agitatur, illud omnibus ratum, fixumque est, Concilia generalia a Pontifice confirmata esse infallibilia, cujusmodi sunt ea omnia, quæ sine controversia pro legitimis, & œcumenicis habentur; & ex quibus solis nostra fidei, morumque dogmata eruimus. Quanquam enim Gallorum judicio Concilia legitime celebrata, etiam ante Pontificis confirmationem ut infallibilia habeantur; nemo tamen eorum est, qui dicat, per accedentem postea Pontificis confirmationem eadem Concilia vitiari: imo ipsi Galli fatentur, Pontificis confirmationem, saltem tanquam solemnem supremi capitis accessionem, majus robur iisdem Conciliis addere; per eam enim magis luculenter apparet capitis cum toto corpore consensio: & insuper fateri debent, deficiente Pontificis confirmatione, saltem dubitari merito posse, an Concilium sit œcumenicum, seu universam Ecclesiam repræsentans.... Vid. Melchior Canus Lib. V. *de locis theol.* cap. 5.

## APPENDIX

### *De Concilio Tridentino*.

209. Cum Protestantes omnia fere Concilia hactenus celebrata, exceptis quatuor primis, parvi faciant, contra nullum tamen ita debacchantur, sicuti contra Tridentinum, a quo ipsorum errores condemnati fuere (*a*): propterea operæ pretium visum fuit, peculiares illius vindicias agere, non quidem quantum ad singula, quæ in eo definita sunt; res enim hæc nonnisi longis disputationibus perfici posset, quibus hic locus non est; sed tantummodo generaliter examinando præcipua criminationum capita, quibus ejusdem Concilii auctoritatem labefactare conantur.

210. Negant autem primo loco, illud fuisse vere œcumenicum; 1. quia illi non interfuere Episcopi Græci, & Ecclesiæ Orientalis. 2. quia non fuerunt vocati Protestantes. 3. quia exiguus in eo fuit Episcoporum numerus, præcipue sub Paulo III. & maxima illorum pars erat Italorum, qui specialiter solent esse Romano Pontifici addicti: unde etiam passim vocabatur *Concilium Papæ*, *& Italorum*. Imo contra sessiones habitas sub Paulo. III. reclamarunt Germani, & Galli pariter reclamarunt contra sessiones, quæ sub Julio III. habitæ fuerant. 4. quia nec fuit ubique receptum, præcipue in Gallia; ubi Clero pro ejus receptione sæpius instante Reges, & Senatus semper restiterunt.

211. Hæc tamen levia sunt. Et quantum ad priores duas difficultates, ostendant adversarii vel unico in tota retro antiquitate exemplo, fuisse ad œcumenica Concilia eos vocatos, qui erant a communione Ecclesiæ catholicæ propter hæresim, vel schisma separati. Quomodo enim ii convocari debent, qui sunt a toto corpore jam sejuncti? Ceterum Protestantes ad Concilium Tridentinum invitati fuerunt, datis etiam publicæ fidei litteris, amplissimaque potestate eis facta, *ut de iis rebus, quæ in ipsa Synodo tractari debebant, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipsum œcumenicum Concilium libere, & tuto venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videbuntur, tam scripto, quam verbo offerre, & proponere, & cum Patribus, sive iis, qui ab ipsa S. Synodo delecti fuerint, conferre, & absque ullis conviciis, & contumeliis disputare, necnon quando illis placuerit, recedere possint, & valeant*. Ita Sess. XIII. & XV. Quæ libertas postea in Sess. XVIII. fuit ad omnes alios dissidentes extensa. Unde immerito conqueruntur, se inauditos condemnatos fuisse, cum id eorum culpa evenerit.

212. Ceterum quanquam Protestantes se Concilio sistere recusaverint, eorum tamen causa fuit ea diligentia, quæ maxime adhiberi poterat, discussa, ut fidem facit ejusdem Concilii historia, & testis est etiam Didacus Payva Lusitanus, qui unus ex cœtu Patrum Tridentinorum fuit. Hic enim in Lib. I. *Defens. Trident. fidei* hæc inter alia multa habet, Protestantes alloquens: *postquam adventus vestri spem, in quam Cæsaris litteris fuerant magna omnium nostrorum exultatione ingressi* (Patres Concilii), *prorsus abjecerunt, & vestra tergiversatione intelleximus, non veritatem vos, sed erroris excusationem captare, diligentissime procurarunt, ut eorum libri, qui se nuper ab Ecclesia Romana totos abalienarunt.... Tridentum undique comportarentur... ut causam a vobis callide, & veteratorie desertam*

(*a*) Eminent inter eos Car. Molinæus in *Concilio super actis Concilii Trident.* latine, & gallice Tomo V. operum, & Innoc. Gentiletus in *Exam. Concil. Trid.* utriusque autem objectiones accurate pro more suo dispunxit Nat. Alexander Diss. XII. in Sæc. XVI. art. 17. Petrus Jurius in *Reflex. Histor. sur les Conciles, & particulièrement sur celui de Trente* ejus historiam compendiariam genio suo accommodatam exhibet vol. 2. in 12. Amst. 1683. Leibnitius etiam in tractatu, quem cum Bossueto habuit de Protestantium reconciliatione cum Ecclesia Romana, quanquam fatetur, pleraque fuisse in eo Concilio recte, sapienterque statuta, conatur tamen evincere illud pro œcumenico habendum non esse; adeoque ea retractari posse, quæ fuerant in illo contra Protestantes definita; cui constanter respondit Bossuetus, id permitti non posse, quin omnia iterum retractentur, quæ in aliis Conciliis usque ad Nicænum definita fuerunt. Sed ab Acatholicis solet omnibus præferri Mart. Chemnitius *in examine Concilii Tridentini*, cujus auctiorem editionem dedit Georg. Christianus Joannis Francof. ad Mœnum 1707. Chemnitii conatus retudit inter alios celebris Theologus Lusitanus Didacus Payva d'Andrada in libris X. *Orthodoxarum explicationum, & in Defensione Trident. fidei Catholicæ* lib. quinque.

*tam scriptis saltem coram tanto consessu defenderetis, & tueremini..... atque fuisse nos sæpius ab integerrimis Legatis familiariter admonitos, omni asseveratione affirmare possum, ut minore diligentia vestras, quam sanctorum Patrum lucubrationes, evolveremus* &c. Plura enim in hujus rei confirmationem addit.

213. Quod vero dicunt, de sessionibus habitis sub Paulo III. nullam continet difficultatem, posquam doctrina in iis contenta fuit demum in sess. ultima a toto Concilio detecta, & unanimi calculo approbata, atque ab Ecclesia universa recepta; unde communis omnium consensus etiam de primis illis sessionibus tandem apparuit. Sane in Concilio Ephesino supra ducentos erant Episcopi orientales, & nonnisi duo, aut tres occidentales; & in Concilio pariter Chalcedonensi duo, vel tres occidentales, sexcenti autem Orientales; nec tamen nostri unquam de iis conquesti sunt, quasi in Concilio dominarentur. Imo & illud addendum, quod memoratus mox Didacus Payva testatur, scilicet nihil definiri consuevisse, *quamdiu graves aliquot, ac spectati viri a majori parte dissentiebant*; quod nonnullis etiam exemplis ibidem confirmat; ut proinde perperam major Italorum numerus objiciatur, cum non a majori numero, sed ab unanimi fere suffragiorum consensu definitiones fidei procederent.

214. Quantum ad postremum, Bossuetus Leibnitio id ipsum perpetuo objicienti constanter respondit, Concilii Trident. decreta, quæ ad fidem, & mores pertinent, fuisse toto orbe catholico recepta; ubique enim tenentur, creduntur, & defenduntur. Ubique etiam recepta est professio fidei a Pio IV. edita, in qua summatim tota Conc. Trident. doctrina expressa est, una cum distincta ejusdem Concilii mentione: quo eluditur subtilis illa Leibnitii cavillatio, contendentis, doctrinam Conc. Trid. non autem ejusdem Concilii auctoritatem ubique obtinere; ita enim habet professio fidei: *cetera item omnia a sacris canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor* (*a*).

215. Quod autem objicitur, regnum Galliæ Clero pro Concilii receptione sæpius instanti semper restitisse, nonnisi de rebus ad disciplinam spectantibus intelligi potest: in rebus enim fidei; ut scite animadvertebat idem laudatissimus Bossuetus, nunquam deliberatum fuit, nec deliberari poterat, an Concilium recipiendum esset; nisi velimus dicere, deliberari inter Catholicos potuisse, an credi debeat, Ecclesiam esse infallibilem; vel deliberatum in Galliis aliquando fuisse, an religio Catholica servari deberet. Inauditum autem non est, ut quædam disciplinæ capita etiam in Conciliis statuta alicubi non recipiantur. Sic S. Gregorius Papa epist. 31. Lib. VI. *Romana*, inquit, *Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius* (Constantinopolitanæ I.) *hactenus non habet, nec accepit; in hoc accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*.

216. Et post hanc universalem Ecclesiæ totius receptionem frustra, & otiose adhuc repetuntur illæ tam sæpe decantatæ querelæ, Episcopis integram non fuisse libertatem, omnia ex Rom. Pontificis arbitrio acta, res non satis diligenter examinatas, graves inter Episcopos ferbuisse discordias, & alia hujus generis ex famosa Pauli Sarpi historia deprompta. Primo enim norunt viri cordati, hæc partim omnino falsa esse, partim exaggerata, partim ad rem principalem minime pertinere; quod nobis haud difficile foret ostendere, nisi obstaret necessariæ brevitatis ratio. Deinde quidquid leviter fortasse peccatum est, id totum subsecuta Ecclesiæ universæ consensio abunde sanavit, in Ecclesia enim universa privilegium ἀναμαρτησίας præcipue residet, hæc autem Concilium contra canones celebratum recipere non potest, quin graviter erret; & promissiones Jesu Christi deficiant.

217. Ceterum quantum pertinet ad libertatem suffragiorum, omittere non possum luculentissimum ejusdem testimonium, quod nobis suppeditat Didacus Payva, inquiens: *Testari certe ipse possum, nihil fuisse a Patribus magis exoptatum, a Legatisve vigilantius procuratum, quam ut nihil in eo non libere, non pacate, atque legitime fieri, certissimis argumentis constaret* (*b*).

218.

(*a*) Cavillabatur Leibnitius, in Professione fidei Piana, quam Henricus IV. in sua abjuratione emisit, fuisse suppressam mentionem Concilii Tridentini. Sed illi reposuit Bossuetus in *Dissert.*, qua pluribus epistolis Leibnitii respondit Tom. I. *des oeuvres postum.* &c. p. 411. acta hujus abjurationis in Gallia factæ non inveniri; in abjuratione tamen, quam nomine Regis Romæ ediderunt duo Card. Petronius, & Ossatus, nihil fuisse in Piana professione fidei immutatum. Ceterum Nat. Alexander Dissert. XII. in Sæc. XVI. art. 15. num. 43. pro certo asserit, Ecclesiam Gallicanam tandem recepisse Concil. Trid. *in generalibus Cleri comitiis illam repræsentantibus* ann. 1615. *Lutetiæ Parisiorum celebratis*. Quamvis promulgationem ejusdem Concilii a Rege hactenus impetrare non potuit. Vid. Petrus de Marca *De concord. Sacerd. & Imp.* Lib. II. cap. 7. n. 6. ubi etiam dicit, *Concilii Trid. definitiones fidei admissas fuisse edicto publico, quod ea de re latum est* anno 1579.

(*b*) Præcipue libertati Concilii obstare aliquibus videbatur illa formula in Sess. XVII. (quæ fuit prima sub Pio IV.) adhibita: *Proponentibus Legatis ac Præsidentibus*. Verumtamen 1. certum est ex tota Concilii historia, eam dumtaxat fuisse usurpatam ad vitandam confusionem, quæ procul dubio fuisset maxima, *si quilibet* ex Patribus quidlibet proponere voluisset. 2. non propterea fuisse sublatam libertatem singulis, præcipue autem Oratoribus Principum, exponendi Legatis, & Præsidentibus, quæ videbantur necessaria, aut utilia, ut ipsi postea ea in sessionibus proponerent; cu-

218. Alia communis Protestantibus querela contra Synodum Trident. est, quod Ecclesia Catholica fuerit in ea simul pars, & judex; nam causa erat judicanda inter Ecclesiam Catholicam, & Protestantes, qui eam gravissimorum errorum accusabant, potissimum autem ferre non poterant, eidem Synodo præsidere Pontificem Rom. a quo jam antea ( nempe a Leone X. ) fuerant condemnati, & contra quem præcipua erant accusationum capita. Addebant præterea, se Concilium liberum sæpe postulasse, auctoritate imperatoris aliorumque Principum colligendum, & celebrandum; tale autem non fuisse Tridentinum.

219. Sed nihil magis injustum, quam hujusmodi querelæ, quæ si locum haberent, nulla unquam hæresis condemnari potuisset; semper enim causa agebatur inter Ecclesiam Catholicam, & Novatores: eodemque prætextu se subtrahere potuissent a judicio Ecclesiæ Arius, Macedonius, Nestorius, & quotquot in Synodis œcumenicis condemnati fuere. Imo & inter ipsos Acatholicos non aliter res instituta fuit, quotiescumque actum est de Remonstrantibus, Latitudinariis, Independentibus, aliisque condemnandis. Et si hæc methodus apud Acatholicos obtinet, quanto potiore jure obtinere debebit in Ecclesia Catholica, quæ firmiter credit, in medio suæ congregationis esse ipsum Jesum Christum, qui Pastorum mentem dirigat, ne in re tanti momenti a veritate aberrent? Et postremo, quænam alia erit controversias finiendi via?

220. Quod addunt contra summi Pontificis auctoritatem, plane toti antiquitati repugnat, quæ semper Pontifici Rom. jus convocandi Concilia œcumenica, eisque præsidendi tribuit. Refert Socrates Libr. II. *Histor. Eccles.* cap. 8. Concilium, quod Episcopi Orientales Antiochiæ celebraverant, ex eo capite ut nullum habitum fuisse, quod Rom. Pontifex nec per se, nec per suos Legatos eidem interfuerit, *cum ecclesiastica regula vetet, ne absque consensu Rom. Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur*. Idem habet Sozomenus Lib. III. cap. 10. Et nimis longus essem, si omnia, quæ huc spectant, antiquitatis monumenta afferre vellem. Et plane ridiculum erat exigere, ut Pontifex juribus sui Primatus, quibus ab exordio Ecclesiæ potiebatur, se abdicaret, quia Novatores ea agnoscere recusabant.

221. Scholion. Male Leibnitius, ut quocumque tandem modo evinceret, Concilium Tridentinum rectractari posse, dicebat, hic agi de puro facto, scilicet an illud Concilium legitimum, atque œcumenicum fuerit, semota quæstione juris, an Concilia legitime celebrata infallibilia sint. Respondebat enim Bossuetus, negato hoc facto, necessario consequi, Ecclesiam, quæ Concilium Trident. hactenus pro œcumenico habuit, ejusque definitionibus constanter adhæsit, in turpissimum errorem fuisse lapsam. Neque hoc solum; sed cum nullum sit aliud Concilium, quod majori polleat auctoritate, uno negato, januam aperiri ad cetera etiam neganda. Imo vel ipsa prima quatuor, quæ tamen se venerari Acatholici fatentur, in dubium revocari possent. Ariani enim, Macedoniani, Nestoriani, & Eutychiani arma a nostris Protestantibus mutuabuntur, ut pari jure ea Concilia fuisse illegitime celebrata, conentur evincere. Sed quid multa? Si mille congerentur Concilia, numquam ea probarent adversarii, quotiescumque in his suos errores condemnatos viderent.

## CAPUT VII.

### *De notis Ecclesiæ.*

222. Ut quæ hactenus longa quidem, sed admodum necessaria oratione pro asserenda summa, & falli nescia Ecclesiæ auctoritate in rebus fidei, & morum determinandis attulimus, ad usum deducantur, necesse omnino est, eam cognosci Ecclesiam, quæ vera est, & cui propterea soli divinæ promissiones factæ sunt. Qua quidem in re magna opus est diligentia: solemne enim semper fuit hæreticis suas factiones, & sectas, quæ non sunt nisi *Synagoga Satanæ*, & *Ecclesiæ malignantium*, sacro *Ecclesiæ Christi* nomine insignire (*a*).

223. Certæ igitur afferendæ sunt notæ, quibus veram Christi sponsam omnino perspicue detegere valeamus; tum ut a falsis doctoribus caventes solam

jus libertatis in tota Concilii historia varia occurrunt exempla. 3. Demum in Sess. XXIV. cap. ultim. ad tollendum omnem scrupulum declaravit sancta Synodus, *mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur &c.* Nihil autem dico de illo Pauli Sarpi scommate: *Spiritum Sanctum Roma Tridentinum in mantica a cursoribus deferri consuevisse*. Putida calumnia est, cui detergendæ sufficit vera hujus Concilii acta persolvere, præcipue autem litteras, quas S. Carolus Borromæus Pii IV. nepos, ejusdem Pontificis mandato Legatis scribebat. Suo officio fungebatur Pontifex ea mittendo ad Concilium, quæ tractari opus esse judicabat, plenam tamen Patribus in iis definiendis libertatem relinquebat.

(*a*) Tertullianus Lib. IV. *contra Marcionem* cap. 5. *Faciunt*, inquit, *favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ*. Idem de Novatiano asserebat Sanctus Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum, eum similis assimilans, quæ homines imitantur. Idem de Arianis, Donatistis, ceterisque hæreticis dici potest, quorum exemplum Lutherani, & Calvinistæ imitati sunt, & qui ex duabus istis majoribus sectis postea prodierunt, de quibus singulatim dicere nimis longum esset, & minime necessarium. *Breviter*, inquit, Melchior Canus initio Libr. IV. *de locis theolog.*, *hæreticis omnibus hoc gentile est, simul atque sese Ecclesiæ auctoritate urgeri vident, aut illam spernere, aut Ecclesiæ rem ad se, nomenque transferre, & eam in illis esse negare, in quibus revera est.*

lam Ecclesiæ Matris vocem audiamus; tum etiam quia ex veteri, & unanimi Ss. Patrum doctrina ratum, & firmum omnino est, nullam extra veram Ecclesiam Christi obtineri posse salutem; quidquid Novatores aliqui contra hanc communem, verissimamque sententiam effutiant, quas super Dissert. cap. 6. & 7. refutavimus.

224. Porro ex communi hominum sensu notæ alicujus rei, adeoque etiam Ecclesiæ, debent illi soli convenire; alias essent ad illam rem indicandam ineptæ. Deinde debent esse faciles, & sensibiles, ut cuilibet, modo diligentiam adhibere velit, perviæ sint. Tertio notæ non semper constituunt intrinsecam rei naturam, sed satis est, si eam extrinsece indicent, & nos doceant, ubinam res ipsa sit: unde & proprietates alicujus rei possunt esse ejusdem notæ.

225. Ut autem hæc materia, quæ tanti est momenti, quanti hominum, quos Christus pretioso suo Sanguine redemit, æterna salus, clara in luce ponatur, eam in plures articulos partiemur; in quorum primo notas a Protestantibus inventas exponemus, & refutabimus, in ceteris autem eas stabiliemus, quas Synodus Constantinopolitana nobis in Symbolo tradidit, Ecclesiam appellans *unam, sanctam, catholicam, & apostolicam.*

## ARTICULUS I.

*Exponuntur, & rejiciuntur notæ, quibus veram Christi Ecclesiam cognosci oportere, Acatholici contendunt.*

226. Et quidem primo sunt aliqui inter Acatholicos, qui totam hanc controversiam supervacaneam esse putant, nec notis opus esse ad veram cognoscendam Ecclesiam (*a*). Alii autem, qui passim nobiscum necessitatem fatentur, statuendi aliquas notas, quibus vera Christi Ecclesia cognoscatur, modo plures, modo pauciores enumerant (*b*). Ut plurimum tamen duas esse volunt *essentiales*, & *proprias*, scilicet puram verbi Dei prædicationem, & legitimam Sacramentorum, scilicet baptismi, atque eucharistiæ ( non enim plura agnoscunt ) administrationem. Imo Jo. Gerhardus ( in *Locis theolog.* Tom. XI. loc. XXIII. c. 10. ). *Si stricte loqui volumus*, ait, *posset una tantum propria, & essentialis Ecclesiæ nota constitui, videlicet, pura verbi Dei prædicatio, cujus appendix est legitimus Sacramentorum usus.* Non negant tamen Heterodoxi, alias esse notas Ecclesiæ *communes, minus proprias, & accidentales.*

227. Si autem ipsi nihil aliud vellent, quam in vera Christi Ecclesia puram semper conservari verbi Dei prædicationem, ac legitimum Sacramentorum usum, quo tendere videntur omnia, quæ coacervant, Scripturarum, sanctorumque Patrum testimonia, nulla prorsus nobis esset cum iis controversia; nos enim ipsi superius ( num. 4. ) Ecclesiam definientes eam constitui docuimus per veræ fidei professionem, ac legitimum Sacramentorum usum.

228. Verum hic non quæritur, in quo sita sit Ecclesiæ natura; sed potius quomodo possit certis signis cognosci. Absurdum autem videtur, talia veræ Ecclesiæ signa constitui, quæ vix a doctis Theologis, ab aliis vero fidelibus, qui maximam partem constituunt, ne vix quidem cognosci possunt. Ut enim cognosceretur, ubinam sit pura verbi Dei prædicatio, oportet diligentissimo, atque accurato examine singula prædicationis verbi Dei, & Sacramentorum administrationis puncta perpendere, ea cum sacris litteris conferre, adversariorum difficultates audire, & dispungere, aliaque hujus generis non pauca examinis media adhibere, quæ rudibus impossibilia omnino esse, sapientibus autem perdifficilia, nec satis tuta superius ( Dissertat. II. cap. 1. ) ostendimus. At vero omnes, nemine excepto, debent veram Dei Ecclesiam cognoscere, eique interius, exteriusque conjungi, ut possint in ea salutem æternam consequi: alia igitur quærenda sunt veræ Ecclesiæ signa, beneficio quorum possit quilibet eam certo cognoscere, atque a falsis communionibus discernere.

229. Hanc invictam rationem nobis suppeditat Sanctus Augustinus *Contr. Epist. fundamenti* capit. 4. Tom. VIII., ubi enumerans varia motiva, quibus se in Ecclesia Catholica teneri affirmabat, censuit, omittendam esse *sincerissimam sapientiam*, seu puritatem doctrinæ, *quia*, inquit, *ad ejus cognitionem via examinis pauci spirituales in hac vita perveniunt.*

230.

(*a*) Ita Simon Episcopius in *Disput. priv. de notis Ecclesiæ* cap. 2. tum Andr. Jadecius in notis ad Smiglecium, ac Pisecius in *resp. ad decem orationes &c.* atque etiam ita sentire consequenter debent, quotquot *indifferentismum*, ac *tolerantismum* admittunt, multoque magis, qui Ecclesiam invisibilem sibi effingunt.

(*b*) Lutherus in ultim. Part. Libri *de Conciliis, & Ecclesia*, septem proponit Ecclesiæ notas, quarum prima est vera, & incorrupta prædicatio Evangelii, secunda legitima administratio baptismi, tertia legitimus usus eucharistiæ, quarta legitimus usus clavium, quinta legitima electio Ministrorum, sexta oratio publica idiomate vernaculo, septima mysterium crucis, seu tribulationes intus, & foris. Addit tamen, vel solam primam sufficere *ad convincendos animos, quod ibi sit Catholica Ecclesia*. In *Confessione Augustana* art. 7., tum in ejusdem *Confession. Apologia* nonnisi duæ priores ex supra relatis notis proponuntur. His consonat etiam Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 1. §. 9. & seq. ubi tamen §. 12. vult, illas duas notas ita esse intelligendas, ut si quidpiam vitii vel in doctrina, vel in sacramentorum administratione obrepat, non debeat nos ab ejus Ecclesiæ communione alienare. Quæ sententia etiam a Lutheranis adoptata fuit, utpote necessaria ad mutuam tolerantiam.

230. Insinuat quoque ibidem aliam hujus omissionis causam, quia nempe de ipsa doctrinæ puritate controversia vigebat cum suis adversariis; unde subdit: *ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime tenent*. *Et de unit. Ecclesiæ* cap. 5. num. 9. *Et illa*, inquit, *interim seponenda sunt, quæ .... & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari. Est quidem auctorum hominum dijudicare, atque discernere, quis ea probabilius interpretetur, sed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea causa, quæ populos tenet, nostram disputationem committere*. Ita disputatur omnium cautissimus S. Augustinus.

231. Contra vero Protestantes dum contendunt, solam, aut præcipuam veræ Ecclesiæ notam esse doctrinæ puritatem, nos deducere volunt in illum controversiarum labyrinthum, unde exitus inveniri non possit. Et quomodo, amabo, poterit aliquis certo judicio affirmare, sectam ex. gr. Lutheranorum veram esse Ecclesiam Dei propter puram, quæ in ea sit, verbi Dei prædicationem, cum non ignoret, eamdem sectam non a Catholicis solum, sed etiam a Calvinistis, Socinianis, aliisque accusari, quod verbum Dei insigniter corruperit? Idem dicatur de ceteris omnibus communionibus, de quarum orthodoxia lites vigent immortales.

232. Hujusmodi autem difficultas, quæ certe gravissima est, adhuc major efficitur, si consideremus, quod adversarii pene omnes docent, etiam in vera Ecclesia posse doctrinas minus puras prædicari, nec *per quamlibet corruptelam* cessare veram Ecclesiam Dei; sed tunc solum, quando corruptela ad puncta *essentialia*, seu, ut ipsi loquuntur, *fundamentalia* se extendit. Primo enim quis certo determinabit, quænam sint dogmata religionis *fundamentalia*, & quænam minus necessaria? Deinde quis tam facile, rudis præcipue, de variis corruptelæ gradibus judicium feret? Quod tamen judicium necessarium omnino est, si ex doctrinæ puritate veram Ecclesiam Dei dignoscere debeamus (*a*).

233. Hinc veteres Ecclesiæ Patres potius ab Ecclesia esse veram verbi divini intelligentiam desumendam volebant, quam ex pura verbi Dei prædicatione cognoscendam Ecclesiam. Plura hanc in rem eorum testimonia præsto essent, sed pauca sufficient.

234. S. Irenæus Lib. *adv. Hær.* cap. 2. *Quid enim*, ait, *& si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab iis sumere de præsenti quæstione, quod certum, & liquidum est?* & cap. 3. loquens de Ecclesia Romana, *ad hanc Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem* (vel, ut alii legunt, *potiorem*) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*.

235. Tertullianus autem *de Præscript. Hæret.* cap. 21. *Quid prædicaverint Apostoli*, ait, *idest, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt?*

236. S. Aug. Lib. I. *contra Crescentium* c. 25. Tom. IX. agens de gravissima Anabaptismi materia, hanc regulam statuit, quæ sine dubio in aliis materiis etiam valet: *quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat*. Non itaque volunt isti Patres, ex doctrina cognoscendam esse Ecclesiam, sed potius ex Ecclesia doctrinam. Et notissima insuper est illa ejusdem S. Augustini vox *contra epistol. fundam.* cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas*. Ac demum adhuc clarius in Psal. LVI. num. 6. Tom. IV. de hæreticis loquens ait: *Ideo ergo erraverunt a ventre, quia locuti sunt falsa? an potius ideo locuti sunt falsa, quia erraverunt a ventre? In ventre quippe Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur*.

237. Objiciunt Adversarii primo non pauca Sacræ Scripturæ loca, quibus dicitur, *oves Christi vocem ejus audire* Joann. X. 27., *nos mundari lavacro aquæ in verbo vitæ* Ephes. V., 26., officium Ecclesiæ esse prædicare Evangelium, & baptizare Matth. XXVIII. 19. ac demum hæc omnia esse dona Jesu Christi Ecclesiæ propria, quibus a falsis distinguitur, unde inferunt, veras Ecclesiæ notas, quibus dignoscatur, non esse, nisi puram verbi Dei prædicationem, & legitimum Sacramentorum usum.

238. Resp. Ut aliquid sit Ecclesiæ nota, non sufficere, illud in vera Ecclesia reipsa inveniri, aut *essentialiter* illi competere, aut demum per illud eam a Satanæ Synagogis distingui, sed requiri ulterius, ut illud in omnium oculos ita incur-

(*a*) Ex hac communi Protestantium doctrina recte colligebat Petr. Nicolius in Tom. III. *des œuvres de controverse* c. 19. rudes, & idiotas, qui a pseudo-reformatoribus seduci se permiserunt, nullo modo posse propter ignorantiam a schismatis crimine excusari, utpote qui ab Ecclesia Romana, quæ in certa possessione erat doctrinæ fidei, & ministerii sacramentorum, se segregarunt; quin scirent, aut scire possent, eam errare, & quidem graviter, in articulis fundamentalibus. Audiebant quidem tunc, sicuti modo audiunt a suis pseudo-pastoribus, Ecclesiam nostram gravissimorum errorum in fide, & moribus accusari, sed nihil magis injustum, sanæque rationi contrarium, quam hujusmodi accusationibus fidem adhibere, priusquam sciretur, aut sciri posset, eas esse legitimas, & certas; præcipue cum tunc viderent, & adhuc videant, multos, gravissimos, doctissimos, atque integerrimos, viros Rom. Eccl. constanter, & indivulse adhærere. Sed id obiter. Vid. infr. n. 193. & seq.

currat, ut facile quilibet possit ejus ope veram Ecclesiam invenire. Jam vero audimus quidem ab omnibus Christianis communionibus puram Christi doctrinam jactari: an autem talis reipsa habeatur doctrinæ puritas, quis certo judicet? Quis etiam certo determinare audeat, ubinam & a quibus Sacramenta rite, & legitime administrentur?

239. Sed quid ulterius, si aliquis Catholicus Heterodoxos moneat, primo apud eos non esse legitimum Eucharistiæ usum, quia legitimos ejusdem Ministros non habent, veros nempe Sacerdotes divino sacri ordinis charactere instructos? Secundo præter hæc duo alia quinque esse Sacramenta a Christo instituta, nec veram esse Ecclesiam, quæ duobus solis utcumque retentis alia explodit? Tunc certe rudes saltem, & indocti, quorum semper maxima pars est, hærebunt omnino, cum tale non valeant examen instituere, quod de rebus tanti momenti non opinione solum, sed plane ad veritatem persuadeantur.

240. Objic. 2. Sancti Patres perpetuo solebant Ecclesiam ex verbo Dei in sacris litteris contento demonstrare. Sic S. Augustinus epist. CV. (alias CLXVI. num. 14. Tom. II.) *In scripturis*, inquit, *discimus Christum: in scripturis discimus Ecclesiam*; & pergit postea multis Scripturarum testimoniis veram Dei Ecclesiam ostendere. Item in Libr. *de unit. Ecclesiæ* c. 4. num. 6. Tom. IX. *nolo*, inquit, *humanis documentis*, *sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari*. Et iterum cap. 20. num. 50. Donatistas provocat, *ut utrum ipsi Ecclesiam teneant*, *nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant*.

241. Resp. S. Augustinum utrobique contra Donatistas probare Ecclesiam, non ex pura verbi Dei prædicatione, ac legitimo Sacramentorum usu, ut adversarii contendunt, sed potius ex notis, quas nos constituimus, præcipue autem ex nota *Catholicitatis*, seu ex eo, quod vera Dei Ecclesia debeat esse toto terrarum orbe diffusa, prout sæpius in sacris litteris veteris potissimum testamenti promissum fuit; qua nota etiam nos inferius utemur.

242. Id facile patet ex ipsis laudatis Sancti Patris locis contra Donatistas; & præcipue ex libro *de unitat. Eccles.*, ubi ita persequitur: *Si enim Sacræ Scripturæ in Africa sola designarunt Ecclesiam .... non tenent Ecclesiam*, *nisi Donatistæ .... Si autem Christi Ecclesia Canonicarum Scripturarum divinis*, *& certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est*, recte inferebat, Donatistarum sectam in sola Africæ parte conclusam non esse veram Ecclesiam. Et cap. 19. postquam multis Prophetarum, ac Christi Domini vaticiniis confirmasset, Ecclesiam esse toto orbe dilatandam, ita colligit: *Hoc in Lege*, *& Prophetis*, *& Psalmis esse scriptum ipse* (Christus) *testatus est: hoc ejus ore commendatum tenemus: hæc sunt causæ nostræ documenta*, *hæc fundamenta*, *hæc firmamenta*. Ex Scripturis igitur Sanctus Pater demonstrabat veram Ecclesiam, non ex iis probando veritatem doctrinæ in Ecclesia prædicatæ; sed probando Ecclesiæ promissam esse diffusionem per totum mundum, seu ex nota *catholicitatis*.

243. Inst. S. Joann. Chrysostomus (in Opere imperf. in Matthæum Homil. XLIX. Tom. VI.) hæc habet: *antea multis modis ostendebatur*, *quæ esset Ecclesia Christi*, *& quæ gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur*, *quæ sit vera Ecclesia Christi*, *nisi tantumodo per Scripturas*.

244. Resp. Opus imperfectum in Matth. non esse genuinum fœtum S. Jo. Chrysostomi, sed ignobilis auctoris, imo hæretici Ariani, ut criticis omnibus notum est; quamquam a non paucis veteribus sub nomine S. Jo. Chrysostomi fuerit sæpius laudatum; quamobrem nec operæ pretium videtur, in ejus mente investiganda immorari. Probabiliter tamen videns suam sectam ad paucos ita redactam, ut nullos jam veræ Ecclesiæ characteres haberet, ad scripturas confugiendum esse volebat, ut inde aliquod desperatæ causæ suæ patrocinium quæreret, scilicet hæreticorum more, qui suas sectas Ecclesiæ nomine insignire quacumque demum ratione volunt.

245. Inst. secundo. Verus S. Jo. Chrysostomus. Homil. XXXIII. *in Acta Apostolorum* num. 4. Tom. IX. Gentilem, qui Christianus fieri velit, sed nesciat, cui Christianorum communioni adhæreat, ita monendum censet: *si diceremus*, *nos ratiociniis credere*, *merito turbareris*. *Si vero Scripturis nos credere dicamus*, *ejusque simplicibus*, *& veris*, *facile tibi fuerit judicare*. *Si quis cum illis consentit*, *Christianus est; si pugnat cum illis*, *hic procul est a canone:* nullam ergo aliam S. Pater Ecclesiæ inveniendæ viam indigitat, quam examen doctrinæ.

246. Resp. Ita quidem asserit S. Pater in principio; sed omittenda non sunt, quæ postea subdit. Cum enim Gentilis objicere posset, facile sibi non esse ex Scripturis veram Dei Ecclesiam cognoscere, quia non uno modo exponuntur, se *aptum esse discipulum*, *non Doctorem*, eo tandem Sanct. Pater devenit, ut hanc aliam notam proponat, qua etiam rudis potest veram Ecclesiam cognoscere, scilicet originem apostolicam. *Ut vero*, inquit, *clarius loquar*, *illi* (hæretici) *quosdam habent*, *a quibus appellentur*, *hæresiarchæ certe nomen: sic singulæ hæreses*. *Nobis vir nullus nomen indidit*, *sed ipsa fides;* attendens nimirum ad nomen *Catholicæ*, quod Ecclesia nostra ex ipsa origine apostolica obtinuit.

AR-

## ARTICULUS II.

*Proponuntur veræ notæ, quibus facile ab unoquoque possit Ecclesia Christi cognosci. Earum autem prima est unitas.*

247. Doctores Catholici non omnino inter se convenire videntur in proponendis veræ Ecclesiæ notis; sed levis hæc est discrepantia; nam omnes consentiunt in quatuor illis, quas Synodus Constantinopolitana proposuit, quando in Symbolo Ecclesiam, quam prodere omnes fideles jubentur, appellavit *unam*, *sanctam*, *catholicam*, & *apostolicam*. Parum autem refert, si aliqui alias addunt (*a*).

248. Sed illud primo observandum ex Bellarminio Libr. IV. *de notis Ecclesiæ* cap. 3., hujusmodi notis non ita evidenter demonstrari, nostram Ecclesiam esse veram, sicut evidenter demonstratur propositio aliqua geometrica; tunc enim vel nullus omnino, vel nonnisi paucissimi invenirentur, qui id negarent. Talis nihilominus evidentia in iis invenitur, quæ hominem prudentem, suæque salutis sollicitum movere debet, ut inexcusabiles sint, qui pervicaciter refragantur.

249. Observandum ulterius, ex istis notis non demonstrari *directe*, & *intrinsece* veritatem dogmatum, quæ vera Christi Ecclesia profitetur; sed argumenta tantummodo suppeditari, quibus ostendatur, nostram Ecclesiam esse illam ipsam, quam Christus sibi desponsavit, & cum qua perpetuo se permansurum sæpius promisit; unde postea *indirecte* sequitur, omnia, quæ ab illa proponuntur, dogmata, verissima esse debere propter infallibilem judicandi potestatem illi collatam.

250. Frigida autem est illa cavillatio Adversariorum (apud Joann. Gherardum *in locis theologicis* Loco XXIII. cap. 10.) dicentium, notas nostras, si rem faciunt tantum evidenter credibilem, esse suspectas, quia *multa sunt credibilia, quæ tamen non sunt vera*. Inepta hæc est cavillatio, quæ non habet locum, ubi dicitur, aliquid esse *evidenter credibile*; tunc enim habetur illa certitudo *moralis*, qua in omnibus, etiam gravissimis hujus vitæ negotiis, homines prudentes dirigi solent. Sed age, primam veræ Ecclesiæ notam statuamus.

## PROPOSITIO.

*Vera Christi Ecclesia debet esse una, maxime vero unitate fidei, & regiminis: hæc proinde unitas est veræ Ecclesiæ nota.*

251. Prob. primo, Ecclesiam debere esse unam ex variis utriusque fœderis locis. Cant. VI. 8. dicitur: *una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ*. Nomine autem *columba* designari Ecclesiam sancti Patres, atque imprimis S. Augustinus jam observarunt (*b*).

252. Observarunt etiam, unitatem Ecclesiæ designari in Sacra Scriptura variis figuris, ut in illa *una domo*, in qua comedendus erat agnus paschalis *Exodi XII.* 46., tum in tunica illa inconsutili Jesu Christi, quam a militibus minime scindi voluit Deus *Joan. XIX.* 23. seq. ac denique similitudine unius corporis, cujus sunt multa membra *Roman. XII.* 4. & 1. *Corint. XII.* 12. Has omnes figuras unitatis Ecclesiæ collegit, & pulchre exornavit S. Cyprianus in aureo opere *de unitate Ecclesiæ*.

253. Hanc autem unitatem potissimum esse in doctrina fidei, clarius, ac sine figuris nos docet S. Paulus *Ephes. IV.* 3. seq., ubi hortatur fideles, ut sint *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus*, inquit, *& unus spiritus .... Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium &c.*; & *Roman. XVI.* 17. *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis*. Et nihil magis in Paulinis epistolis, imo toto novo fœdere nobis inculcatum est, quam unitas, & concordia maxime in doctrina.

254. Unitatem etiam regiminis sub diversis Pastoribus, & uno capite idem Sanct. Paulus aperte declarat, dum vult, Ecclesiam esse *unum corpus in Christo* Roman. XII. 5. & alibi frequenter; quod certe corpus sine capite esse non potest. Et cum Ecclesia sit corpus visibile, etiam illius caput visibile esse debet. Quod adhuc luculentius idem S. Apostolus ostendit *Ephes.* IV. 11. dicens, Christum *dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores; ... in ædificationem Corporis Christi*. Ac demum, ut sexcenta alia loca omittam, cele-

(*a*) S. Augustinus toto libro *de unitate Ecclesiæ*, seu *epistola ad Catholicos contra Donatistas* Tom. IX. non aliunde probat, Ecclesiam nostram esse veram, nisi quia sola Catholica est, scilicet toto orbe diffusa juxta prædictiones sæpissime factas in Lege, & in Psalmis, in Prophetis, atque etiam ipsius Christi ore. Non propterea alias ejusdem veræ Ecclesiæ notas rejecisse censendus est, quas alibi commemorat, præcipue *cont. epist. fundamenti* c. 4. Tom. 8. Vide infra num. ult.

(*b*) Speciminis loco sit Optatus Milevitanus Lib. I. *adv. Parmenianum*, ubi inquit, *Christus sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur, qui cum unam laudat, ceteras damnat*. Et ante eum S. Cyprianus *de unit. Ecclesiæ* n. 4. *quam unam Ecclesiam*, ait, *etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit: una est columba mea &c.*

lebre est illud monitum Pastoribus datum *Actor.* XX. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

255. Hanc doctrinæ, atque regiminis unitatem Sancti Patres pro veræ Ecclesiæ nota semper habuerunt. Nam Sanct. Pater Augustinus *de unit. Ecclesiæ* cap. 4. de iis loquens, *qui ab Ecclesia ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto, quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniuntur*, cujusmodi erant Donatistæ, *manifestum est*, inquit, *eos non esse in Catholica Ecclesia.* Non alia utique ratione id *manifestum erat*, nisi quia Ecclesiæ Catholicæ nota, & character est unitas. Et antea cap. 2. *Hæc autem Ecclesia*, inquit, *Corpus Christi est, sicut Apostolus dicit* Coloss. I. 24. *pro Corpore Christi, quod est Ecclesia. Unde utique manifestum est, eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse.*

256. Simili omnino sensu Sanctus Cyprianus *de unitate Ecclesiæ* n. 8. postquam Ecclesiam unam esse ostendit, *hanc Ecclesiæ unitatem*, inquit, *qui non tenet, tenere is fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, ac resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit* (a)? *Quando & beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, & Sacramentum unitatis ostendat dicens: unum corpus, & unus spiritus &c.* Nempe pro signo, & nota veræ Ecclesiæ unitatem statuens, ac contra pro nota falsæ Ecclesiæ divisionem. Unde etiam num. 10. *Quisquis*, inquit, *ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur.* Item num. 12. *Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris, & Filii fidem, vitam non tenet, & salutem.* Quid clarius, & apertius desiderari potest, ut intelligamus, quinam ad Ecclesiam pertineant, aut non pertineant? adeoque quænam sit, & ubinam sit vera Dei Ecclesia, in qua sola obtineri potest æterna salus?

257. De unitate autem cum Romano Pontifice se loqui declaravit Sanct. Martyr non uno in loco, neque obscure; nam allatis verbis Christi Domini ad Petrum Matth. XVI. *Tu es Petrus &c.* inquit: *Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat.... tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et postea: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur* (b). Et in Epist. 55. ubi loquens de Fortunato, & Felicissimo schismaticis inquit: *navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis orta est, a schismaticis, & profanis litteras ferre.* Et sane nulla esset regiminis unitas, si nullus esset primus inter Pastores, qui cæteros in officio continere posset. Unde idem Sanctus Pater in laud. epist. *Neque enim*, ait, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, .... cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa ... nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet.*

258. Clemens Alexandrinus in Lib. VII. *Stromatum* num. 17. postquam multa in hanc rem disputasset, ita concludit: *ex iis, quæ dicta sunt, manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam eam, quæ est antiqua .... In unius ergo sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas dividere.* Ubi unitatem conjungit antiquitati, atque hoc inter veram Ecclesiam, atque hæreticorum sectas ponit discrimen, quod illa unitatem servet, istæ autem in partes dissecentur. Imo addit *Ecclesiæ eminentiam esse ex unitate.*

259. Prætereo multos alios Patres, ne nimius sim; sed præterire non possum verba S. Optati Milev. in Lib. II. *de schismate Donatistarum*, ubi primum dicit: *Ecclesia una est .... Hæc apud hæreticos, & schismaticos esse non potest.* Deinde ostendit, hujus unitatis centrum desumendum esse ab Apostolica Petri sede. Nam Parmenianum alloquens, *negare non potes*, inquit, *scire te in urbe Romana Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus .... in qua una Ecclesiæ unitas ab omnibus servaretur .... ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Ita multi alii Patres, qui *unitatem* tamquam proprium Ecclesiæ Christi characterem prædicant, & insuper hujus unitatis centrum, & vinculum dicunt esse Rom. Pontificem S. Petri successorem.

260. Ss. Patrum auctoritate etiam manifesta ratio suffragatur. Quis enim sanæ mentis sibi persuadeat, voluisse Christum Dominum pretiosi sui sanguinis effusione talem sibi acquirere Ecclesiam, quæ in varias, sibique repugnantes sectas divisa nec unam fidem profiteretur, nec eadem haberet Sa-

(a) Haud ignoro, hæc verba: *qui Ecclesiæ renititur &c.* a Fello, Baluzio, aliisque addititia reputari. Sunt tamen laudata a Pelagio II. in epist. ad Episcopos Istriæ, & inveniuntur in pluribus antiquis codicibus; atque etiamsi resecentur, adhuc integra *vis* laudati testimonii manet.

(b) Nolo, de horum postremorum verborum αὐθεντία controversiam moveri, ut enim bene observat Prudentius Maran in præfat. suæ editionis Cypriani ex recognitione Stephani Baluzii §. 3. reliqua S. Patris verba, etiam his demptis, sufficiunt ad primatum S. Petri ostendendum, sine quo veram unitatem haberi, & conservari non posse S. Martyr contendebat. Sed de S. Petri primatu dicetur suo loco.

Sacramenta, neque certo, ordinatoque Pastorum regimini subderetur? Tales autem sunt Protestantium communiones, in quibus nulla est unitas fidei, cum quilibet ex Scriptura sacra suo modo intellecta suos sibi fidei articulos condat, nullaque haberi potest certa regiminis forma, cum nulla pars ab altera pendeat, nullo existente communi vinculo, atque unitatis centro (a).

261. Obj. 1. Unitas fidei, quæ dicitur Ecclesiæ nota, vel est unitas in doctrina vera, & pura, vel unitas qualiscumque. Si hoc secundum dicatur, hæc unitas etiam invenitur apud nonnullos hæreticos, apud Paganos, Judæos, potissimum vero apud Mahumetanos. Si autem sit unitas in doctrina vera, nostra sententia eadem erit cum sententia Protestantium, qui volunt, puram doctrinæ evangelicæ prædicationem esse Ecclesiæ notam.

262. Resp. certe unitatem, quæ est Ecclesiæ nota, esse unitatem in doctrina pura, imo veritatem doctrinæ esse ab ejus unitate inseparabilem, in hoc tamen a sententia Protestantium admodum distamus, quod isti puritatem doctrinæ cognosci volunt, diligenti de singulis articulis instituto examine; quod & nimis longum esset, & ut superius ostendimus, nec indoctis possibile, nec sapientibus tutum. Alia ergo via nos unitatem veræ doctrinæ ponimus; quia scilicet in Ecclesia Christi debet esse medium certum, & efficax hujus unitatis conservandæ; hoc autem medium nullum aliud esse potest, quam suprema, & infallibilis judicandi potestas, qualis apud nos est. Hinc aptissime dicebat S. Augustinus epist. CV. c. 5., *Deum in cathedra unitatis doctrinam posuisse veritatis;* & in Ps. LVI. n. 6. T. IV. *quisquis*, inquit, *ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est falsa loquatur.* Et ante ipsum S. Cyprianus epist. 37. Ecclesiam vocabat *domicilium unitatis, & veritatis.*

263. Facile est enim, unitatem in doctrina pura, quam Ecclesia nostra profitetur, cognoscere ex promissionibus, quibus Christus Dominus doctrinam puram in perpetua Pastorum successione se conservaturum pollicitus est. Nam Matth. 28. 19. 20. Apostolis præcepit, ut *docerent omnes gentes*, utique doctrinam puram, & sanctam; post autem pollicitus est, se cum iis futurum *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis pronum est advertere, promissam fuisse in Ecclesia perpetuam successionem Pastorum, qui veram doctrinam prædicarent usque ad finem mundi.

264. Multo autem facilius est etiam rudibus, cognoscere unitatem regiminis, quæ apud nos semper conservata fuit, & est veræ Ecclesiæ nota. Visibilis enim apud nos est hierarchia, in qua supremum obtinet locum Pontifex Maximus. Illi enim, nedum fideles omnes, sed etiam Pastores subjiciuntur. Et hæc unitas est summopere necessaria ad impedienda schismata, quibus nulla major pernicies reipublicæ Christianæ esse potest, prout variis locis contra schismaticos Donatistas ostendit S. Augustinus, & ante eum S. Cyprianus in quibusdam epistolis, & in sæpe laudato opere *de unitate Ecclesiæ*. Hanc duplicem unitatem doctrinæ & regiminis ita explicatam potest quilibet etiam rudis, modo debita uti velit diligentia, facile cognoscere; eam proinde merito inter visibilis Ecclesiæ notas recensuit Synodus generalis Constantinopolitana.

265. Dices: In Ecclesia Romana non habetur hæc doctrinæ unitas. Nam primo vel ipsi veteres Ecclesiæ Patres haud raro discordes in doctrina fuerunt; imo vix ullus eorum est, qui in graves errores lapsus non sit, ut patet in Millenariis, in Rebaptizantibus, in Quartodecimanis &c. Secundo etiam nunc variæ sunt, sibique repugnantes Theologorum sententiæ; imo integræ Scholæ Thomistarum, Augustinianorum, Scotistarum, Molinistarum lites inter se, & controversias habent immortales. Tertio demum jamdiu Ecclesia Romana accusata fuit, & adhuc accusatur, quod nedum in ritibus, moribus, ac disciplina, sed in ipsis dogmatibus variaverit, atque ab antiqua doctrinæ puritate defecerit.

266. Resp. primæ objectionis parti, nec tam multos, nec tam graves esse Ss. Patrum nævos, ut aliqui inter Protestantes antiquæ Ecclesiæ, & traditionis osores exaggerant. Sed quidquid de hoc sit, hujusmodi veterum Patrum errores nullum unitati fidei nocumentum afferunt: tunc enim errarunt, quando res nondum satis discussæ erant, & infallibili Ecclesiæ judicio nondum definitæ. Hunc enim judicio illos sese submissuros, si tunc prodiisset, dubitare nos non sinit nota eorumdem pietas, & quam profitebantur, Ecclesiæ universæ, ejusque visibili capiti observantia. Hoc fuit a S. Augustino jam animadversum in causa Rebaptizantium: nec aliter excusavit S. Cyprianum, aliosque cum eo errantes Africæ, Asiæque Episcopos. Vid. Lib. I. *De baptismo contra Donatistas*, cap. 18. Libr. II. cap. 4. T. IX. & multis aliis in locis (b).

267.

(a) Protestantes, ut ab hac molestissima difficultate se extricarent, illam unitatem excogitarunt in principiis solum *fundamentalibus*, quæ religionum *indifferentismo* latam aperit januam, & quam insuper dissert. c. 8. explosimus.

(b) Multa in hanc rem affert exempla Facundus Hermianensis in Lib. XII. c. 1. (apud Jac. Sirmondum Tom. II. *Operum variorum*), ac postea sic concludit: *Multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in servanda ejus unitate perfecti; qui cum per ignorantiam suam in pluribus errant, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cujus se confidant unitate salvari.* Quamquam doctus hic Episcopus hoc egregio principio in malæ causæ patrocinium abutebatur, scilicet in defensionem trium Capitulorum ab Ecclesia damnatorum.

267. Quod vero secundo loco objectum fuit de variis apud nos sententiis, variisque sibi adversis Scholis, nullam prorsus ingerit difficultatem. Licuit enim semper, semperque licebit salva unitate fidei eam opinionem sequi, quæ sacris litteris, sanctorumque Patrum traditioni conformior videtur, quod Ecclesia nihil definierit. Unitas doctrinæ fidei non in eo sita est, ut nulla sit opinionum diversitas; quod sine perpetuo Dei miraculo obtineri non posset; sed ut præsto sit efficax, & infallibile medium ad omnes dissensiones in fide, & moribus tollendas. Quemadmodum civitatis, aut reipublicæ unitas non impedit, quin lites inter cives oriantur, exigit tamen, ut supremum sit tribunal, cujus decisioni omnes controversiæ subjectæ sint.

268. Nihil vero magis falsum, quam quod Adversarii nunquam nobis objicere cessant, Ecclesiam scilicet nostram in doctrina fidei variasse; & sæpius provocati, ut epochas, auctores, aut certa monumenta harum variationum ostendant, id numquam præstare valuerunt. Variationes in ritibus, cæremoniis, usibus, atque etiam in disciplinæ præceptis nonnumquam fuisse, haud inviti fatemur. Sed hæc omnia sunt natura sua mutationi obnoxia; & Ecclesia, quanquam antiquitatis studiosa, & quoad fieri potest, tenax, tamen ut pia, & benigna mater sæpius debet infirmitati filiorum indulgere.

269. Ceterum variationes in fide, quæ una semper, & constans esse debet, nunquam fuisse factas evidenter a nostris fuit sæpius demonstratum. Imo facile est ostendere, has variationes nec fieri potuisse, quin magnæ contentiones, discordiæ, & turbæ excitarentur, quarum tamen nullum invenitur in ecclesiasticis monumentis vestigium. Fingamus enim, ut adversariis placet, has mutationes, non quidem repente, quod impossibile fuisset, sed sensim, ac sensim irrepsisse; tunc cum nonnisi pauci in initio essent novatores, major pars, quæ avitæ doctrinæ tenaciter adhærebat, eos facile detexisset, & condemnasset. Sed fingamus etiam, eos paucos delituisse; an etiam delitescere poterant, quando eorum numerus augebatur, ut alteri parti æqualis esset, ac etiam superior? Præcipue quia necesse omnino erat, in iisdem Ecclesiis, in iisdem Urbibus, in iisdem Monasteriis, ac pene in iisdem domibus alios esse eodem tempore, qui veterem servarent fidem, & alios, qui novam conarentur invehere. Non poterat ergo novitas non adverti. Et tunc impossibile creditu est omnes fuisse ita stupidos, & mutos, ut nemo vocem extolleret, & reclamaret. Hinc discordias nasci necesse erat, disputationes excitari, & contentiones, celebrari Concilia, & fieri schismata.

270. Sane qui in historia Ecclesiastica prorsus hospites non sunt, & peregrini, haud ignorant, quæ contentiones, & turbæ ortæ fuerint, quotiescumque novitates in doctrina fidei eruperant. Sic nota sunt schismata & hæreses, Gnosticorum, Docetarum, Ebionitarum, Marcionitarum, Valentinianorum, Montanistarum, postea Sabellianorum, Arianorum, & uno verbo omnium eorum, qui ob corruptam priscam Christi doctrinam ab Ecclesia vel sponte discesserunt, vel ut contumaces ab eadem ejecti sunt. Quidni igitur simili modo variationes aliæ, si quæ factæ fuissent, in omnium oculos incurrissent, & turbas, ac contentiones excitassent? Cum itaque nulla extent harum turbarum monumenta, vel id solum sufficere, etiamsi alia argumenta deessent, ut pro commentitiis habeantur, quas nobis nunquam objicere cessant Acatholici pristinæ fidei mutationes.

271. Obj. secundo. In nostræ religionis exordio nulla erat regiminis unitas; nam primis duobus sæculis singulæ Ecclesiæ seipsas regebant sine ulla ab aliis dependentia; nulla enim afferri possunt vel ex sacris litteris, vel ex Patrum traditione hujus dependentiæ monumenta ante sæculum III. Ulterius diversi tunc erant apud singulas Ecclesias mores, & variæ consuetudines. Sic ex. gr. in Ecclesia Ephesina non tolerabantur Nicolaitæ Apoc. II. 6. qui tamen tolerabantur in Ecclesia Pergamena ibid. 15. Neque tunc ulla novimus celebrata Concilia, quæ tamen necessaria videntur, ut una sit ubique disciplina, & una Ecclesiæ facies: non ergo unitas regiminis tunc erat Ecclesiæ nota (a). Addendum, inaudita tunc fuisse nomina Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum.

272. Resp. nihil esse magis a veritate alienum, quam hanc primarum Ecclesiarum independentiam. Satis est ipsa confessio Adversariorum, quod sæc. III. omnes jam Ecclesiæ essent simul mutuis vinculis non solum fidei, & charitatis, sed etiam disciplinæ, & dependentiæ colligatæ, ut credamus, eamdem unitatem, mutuamque conjunctionem etiam primis duobus sæculis viguisse. Sed præterea mutuæ Ecclesiarum communionis ante sæc. III. testes sunt epistolæ Dionysii Episcopi Corinthiorum *ad diversas Ecclesias*, quas Eusebius memorat Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 23. tum S. Ignatii Episcopi Antiocheni, ac denique S. Clementis Romani, ad Corinthios, qui omnes sæculo II. floruerunt (b). Demum nemini ignota est con-

(a) Ita objecit Laur. Moshemius in *Commentariis de rebus Christianorum ante Constantinum Magnum* Sæculo I. §. 28. ita ante eum objiciebat quidam pseudo-minister Calvinista, quam Bossuetus egregie confutavit *dans la seconde Instruction Pastorale sur les promesses de J. C. à son Eglise* §. 59. & seq. Tom. V. Opp. edit. Paris. 1743. Hic autem pseudo-minister erat Jac. Basnagius, multis aliis operibus apud suos celebris, ut notant editores ejusdem T. V. in admonitione prævia.

(b) Dionysii epistolæ ab Eusebio loco citato septem numerantur, quæ injuria temporum perierunt. Unius tamen fragmentum nobis servavit Eusebius, quæ ad

controversia de celebratione paschatis, propter quam S. Victor Rom. Pontifex multas Asiæ Ecclesias a sua communione rescindere paratus erat, nisi pacis sequester S. Irenæus sese interposuisset. Et quanquam Victor sæculo II. ad finem vergente regnaverit, hæc tamen controversia jam sub Aniceto post medium sæculi II. exorta erat. Quæ omnia indubia sunt monumenta mutui inter Ecclesias commercii etiam ante sæculum III.

273. Et sane cum Christus Dominus unitatem suis discipulis majorem in modum commendaverit, & cum sacræ litteræ nobis exhibeant Ecclesiam a Christo fundatam tanquam unum regnum, unum ovile, unum populum, & unum corpus, jam hoc ipso satis indigitatur, in ea ab ipso sui exordio semper viguisse, & vigere debuisse tum internam animorum, tum etiam externam membrorum colligationem, & unitatem, atque Ecclesiæ, quæ sequentibus temporibus toto orbe congregabantur, suis matricibus, a quibus originem trahebant, fuisse subjectas, ipsasque matrices unam præcipuam agnovisse, scilicet Romanam, quam S. Petrus Apostolorum Princeps omnium matrem & magistram esse voluit, dum eam sui primatus hæredem reliquit: & ad quam propterea ut S. Irenæus loquitur Lib. II. *contr. hæreses* cap. 3. *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles*. Et S. Cyprianus: *Primatus*, ait, *Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstrentur*.

274. Quanquam vero disciplina fuerit in diversis Ecclesiis diversa, non tamen inde sequitur, Ecclesias ipsas fuisse a se divisas, & independentes; nam etiam sæculo III. & sequentibus, imo & modo disciplina alicubi varia est & diversa, unitas tamen fidei, & regiminis inviolata servatur.

275. Multoque minus huic unitati obsunt quædam corruptelæ in moribus, quæ alicubi tolerantur vel negligentia Pastorum, vel ad majora mala impedienda. Nam certe primæ illæ Ecclesiæ Pergamena, Corinthiorum, & Galatarum ab Apostolorum auctoritate pendebant: scimus tamen quosdam etiam in eis irrepsisse abusus, quos Apostoli ipsi eradicare curabant.

276. Quod autem nulla primis illis temporibus sciamus celebrata fuisse Concilia, id partim furori persecutionum ubique fere sævientium tribuendum est, partim aliis causis, præcipue vero, quod recenti adhuc apostolica traditione facile possent abusus, & errores a singulis Episcopis resecari; nulla autem ratione id adscribi debet separationi, vel independentiæ Ecclesiarum.

277. Postremum de Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis levissimum est. Haud enim inficiamur, fuisse aliqua in forma regiminis Ecclesiastici posterioribus temporibus necessitate quadam id postulante mutata, vel de novo constituta. Crescente enim fidelium multitudine, novisque Ecclesiis erectis, necesse fuit ad confusionem vitandam certas diœceses dividere, & determinare, atque in ipsis diœcesibus Pastores inferioris ordinis uni Episcopo, Episcopos vero suis Metropolitis, Primatibus, ac Patriarchis subjicere. Hæc tamen veterem Ecclesiastici regiminis essentiam minime sustulerunt, qua semper cautum fuerat, ut oves Pastoribus, & Pastores ipsi supremo Ecclesiæ capiti debitam præstarent obedientiam. Ceterum quamvis nomina *Archiepiscoporum*, *Primatum*, & *Patriarcharum* fuerint in primitiva Ecclesia inaudita, res tamen ipsæ, quæ istis nominibus significantur, aliqua ratione obtinuerunt: consueverunt enim semper Ecclesiæ, quæ filiæ erant, suis matricibus debitum honorem, atque etiam obedientiam deferre (*a*).

278. Dices. Nec etiam modo est in Ecclesia Romana decantata illa doctrinæ & regiminis unitas; nam primo mira est in variis nationibus, præcipue autem apud Græcos disciplinæ varietas, & oppositio, & quidem in rebus gravioris momenti, ut in cælibatu Clericorum, in consecratione panis azymi, vel fermentati, in solutione matrimonii propter adulterium. Secundo in ipsa Ecclesia Latina de Romani Pontificis auctoritate quot sunt discordiæ! Alii enim infallibilem esse sibi persuadent, alii contra ipsum fallibilem volunt. Alii illum superiorem faciunt Conciliis œcumenicis, alii inferiorem, & subjectum. Alii ipsius auctoritatem arctis admodum limitibus circumscribunt, ut Galli; alii latioribus; quidam demum nullis omnino.

279. Resp. varietates disciplinæ, quæ semper in

Soterem Rom. Pontif. directa erat, & in quo beneficiorum ab Ecclesia Romana plurimis aliis Ecclesiis collatorum præclara fit mentio. Dionysium autem floruit medio Sæc. II. & ante Dionysium S. Ignatius Antiochenam regebat Ecclesiam an. 107. martyrio coronatus. Septem adhuc supersunt ejusdem Sancti Ignatii epistolæ variis Ecclesiis inscriptæ, quas Vossius ex codice Florentino græce edidit una excepta ad Romanos, quam diligentiæ Theodorici Ruinartii debemus, erutam ex Codice Bibliothecæ Colbertinæ. His autem duobus antiquior est Clemens Romanus ann. 102. Martyrii gloriam consecutus. Hunc Corinthii in causa religionis consuluerunt. Iis autem respondit beatissimus Pontifex ea epistola, quam adhuc suo tempore in pluribus Ecclesiis legi consuevisse testatur Eusebius Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 16. Consulatur Jo. Bapt. Cotelerius in *Patribus Apostolicis*.

(*a*) Nec refutari meretur Calvinus, dum Lib. IV. *Instit. Christ. Relig.* cap. 13. n. 14. Ecclesiæ nostræ unitatem abscissam esse clamat, ex quo ordines Religiosi instituti fuere: & scribere non est veritus, *quot sunt hodie Monasteria, tot esse schismaticorum conventicula*. Ubi etiam opportunam occasionem invenit, integra injuriarum plaustra pro more suo, & omnium hæreticorum in Monachos exonerandi. Quasi vero qui vitam Monasticam profitentur, sint ab unitatis centro divisi, & non potius arctioribus vinculis eidem colligati; & quasi hæreticorum maledicta non cedant in majorem Monachorum gloriam, juxta illud: *vituperari a malis, laudari est*.

in variis Ecclesiis obtinuerunt, nullo modo unitati regiminis obesse: videmus enim etiam in regnis temporalibus pro diversitate regionum, hominum, aut etiam temporum diversas consuetudines, imo & leges vigere, cum tamen omnia unius Principis regimini subjecta sint. Ita etiam fit in Ecclesia; & unitas regiminis sita est in debita fidelium legitimis Pastoribus obedientia, præcipue autem Romano Pontifici, cujus auctoritas in tota, qua late patet, Catholica religione extenditur. Et hæc auctoritas suprema divinitus instituta fuit, utpote omnino necessaria ad schismata tollenda, ut sancti Patres nos docent, & inferius suo loco ostendetur.

280. De summi autem Pontificis primatu non solum ordinis, sed etiam auctoritatis, & jurisdictionis, nemo Catholicorum dubitat; cum sit hoc firmissimum nostræ Ecclesiæ dogma. Si quæ controversiæ in hac materia apud nos sunt, ad aliqua puncta restringuntur, de quibus cum nulla adhuc sit Ecclesiæ definitio, salvo fidei, & charitatis vinculo inter nos disputatur.

281. Obj. tertio. In Ecclesia Romana fuerunt aliquando schismata; immo, vel etiam plures nonnunquam extiterunt, qui se summos esse Pontifices jactarent, & quilibet suos asseclas habebat; ut incertum plane esset, quinam jure, quinam autem injuria summum sibi Pontificatum arrogaret. Insuper adhuc viget magnum illud Ecclesiæ Orientalis ab Occidentali dissidium: & tamen quælibet se veram esse Christi Ecclesiam existimat: vel ergo unitas non est veræ Ecclesiæ nota, vel neque Occidentalis, neque Orientalis Ecclesia, est vera.

282. Resp. primæ objectionis parti, hujusmodi schismata plerumque haud diu durasse, atque unitatem, ac pacem brevi fuisse in Ecclesia restitutam. Deinde hæc schismata errore *facti* contingebant, non *juris*. Scilicet omnes Catholici concordissima unitate credebant, summum Pontificem esse venerandum, ut visibile totius Ecclesiæ caput, & Christianæ societatis centrum, a quo nemo sine magno piaculo disjungi possit. Solum vocabatur in dubium, quinam esset verus, & legitimus Romanus Pontifex. Ceterum quando manifeste constabat de canonica veri Pontificis electione, qui illi debitam obedientiam præstare recusabant, ut *schismatici* ab Ecclesiæ unitate rescindebantur.

283. Et sic recisi sunt omnes Orientales, qui contra Romanos Pontifices veros ac legitimos vexillum rebellionis erexerunt. Imo justissimo postea Dei judicio evenit, ut ipsa Ecclesia Orientalis, quæ Latinæ unita florentissima erat, post funestissimum schisma in varias partes misere discerperetur, ut nulla amplius sit in ea unitas. Sic Ruthieni, Armeni, Æthiopes, Syri, aliique populi singuli suos habent Patriarchas, vel suas Synodos; nec ullam amplius servant inter se communionem, dum interim Ecclesia occidentalis ubique diffusa, & simul unitâ pristinum semper servavit splendorem. Imo Deus Opt. Max. non paucos tam inter Græcos, quam inter Orientales sua providentia eidem unitos retinuit.

284. Obj. ult. In ipso primordio Ecclesiæ multæ natæ sunt hæreses, & multa fuerunt schismata, quin tamen desisteret esse vera Ecclesia Christi: non ergo unitas &c. Sane Clemens Alexandrinus Lib. VII. *Stromatum* num. 16. refert, Judæos, & Gentiles fuisse a nostra religione alienos, *propter dissensionem hæresum*.

285. Resp. Hæreticos illos, & Schismaticos nullum unitati Ecclesiæ nocumentum intulisse, quia vel sponte ab eadem recesserunt, vel ut contumaces ejecti sunt. Ita nec modo unitati Ecclesiæ obsunt, quotquot ejus vocem audire detrectant; isti enim separantur ab unitate.

286. Non ita respondere possunt Acatholici, qui nullum habent nec fidei, nec regiminis certum vinculum, ut proinde non etiam habere possint unitatem, quam temporariam quandoque, & accidentalem. Ad fucum quidem imperitis faciendum, jactant se habere fidei unitatem in sacris litteris; verumtamen cum nullum agnoscant supremum, & infallibilem earum interpretem, sed quilibet privato suo spiritu, & studio eas intelligat, manifestum est, Scripturas sacras non posse esse centrum unitatis in doctrina, sed esse potius perpetuum discordiarum fomitem, quod experientia tam vetus, quam recens, ac quotidiana mirifice confirmat. Sed de hac re dictum est satis in Dissert. II. cap. 5. & seq.

287. Manifestum est etiam, non habere Acatholicos, nec habere posse in suis communionibus unitatem regiminis, & ministerii. Postquam enim eorum antesignani a debita suis Pastoribus, ac præcipue Romano Pontifici obedientia se subtraxerunt, æquale jus etiam eorum asseclæ acquisiverunt, ab obedientia novorum Pastorum se subtrahendi. Habitæ quidem fuere in aliquibus sectis quandoque Synodi, & erecta fere ubique Consistoria, quibus obtemperandum esse volunt. Sed si posita semel Pseudo reformationis principia valent, hæc tribunalia nullius prorsus sunt auctoritatis; semper enim quilibet privatus examinare debebit, an, quod Consistoria jubent, vel Synodi definiunt, sit verbo Dei consentaneum. Quod si consentaneum non videatur, non solum poterit quilibet, sed etiam debebit obedientiam denegare. Hinc tot apud Heterodoxos ab ipso pseudo-reformationis exordio nata sunt schismata; quibus tollendis nullum aliud inveniri potuit remedium, quam mutua omnium tolerantia, quæ tandem in purum, putumque religionis indifferentismum conversa est (a).

288. Scholion. Ex hactenus dictis sponte fluit, Lu-

(a) Nota omnibus sunt, quæ Philip. Melanchton scribebat amico suo Joach. Camerario, cupiens auctorita-

Lutheranos, Calvinistas, aliosque, qui Sæc. XVI. se ab Ecclesiæ Catholicæ unitate separarunt, esse schismatis reos. Solent illi quidem hanc prætexere suæ separationis causam, quod Romana Ecclesia ab avita Christi Domini doctrina in punctis capitalibus defecerit. Hoc falsum esse nostri Theologi invicte demonstrarunt. Sed si etiam a spinoso, & longo hujus rei examine abstineamus, facile est ostendere, hanc non fuisse *justam* illius secessionis causam, ut proinde hic prætextus eos a crimine schismatis non excuset.

289. Maxima enim Acatholicorum pars judicare non potuit, imo nec scire, Ecclesiam Romanam a recta fide in punctis capitalibus aberrasse; nam pars eorum maxima ex pueris constat, vel adolescentibus, ex fœminis, ex rusticis, artificibus, mercatoribus, militibus, aliisque vulgaribus hominibus, qui nunquam examinarunt, aut examinare poterant hanc, quæ prætexebatur, secessionis ab Ecclesia Catholica causam, scilicet an reipsa Ecclesia Catholica, quæ in longissima erat, ac pacifica suæ doctrinæ atque auctoritatis possessione, a vera Jesu Christi fide tam enormiter defecisset.

290. Debebat insuper hæc maxima ignorantium multitudo, & poterat facile considerare, hanc apostasiæ criminationem non solum Ecclesiæ, quæ tunc in omnibus mundi partibus diffusa erat, intentari, sed etiam Ecclesiæ temporum præcedentium per XII. circiter sæcula (nam apostasiæ initium communiter repetebatur à sæculo IV. vel V.), in qua tot floruerant viri ingenio, doctrina, theologiæ scientia, & pietate morum spectatissimis; tot insuper erant Academiæ celeberrimæ, quæ a sua origine fidei Ecclesiæ Romanæ, indivulse semper adhæserant; tot Sancti Patres, tot Episcopi, tot Romani Pontifices, qui eamdem doctrinam professi fuerant, & scriptis suis, aliquando etiam sanguine, defenderant, & confirmaverant; in qua denique tot celebrata fuerant frequentissima, & œcumenica Concilia, quæ magno totius orientis, atque occidentis consensu eam ipsam doctrinam, quæ ut apostatica condemnabatur, suis definitionibus consecraverant. Hæc, inquam, omnia debebant illi rudes, & facile poterant considerare, quando a suis Pseudo-reformatoribus audiebant, Ecclesiam Romanam accusari, quod in punctis *fundamentalibus* a recta Jesu Christi fide declinasset.

291. At vero his perpensis communis, & sana ratio cuilibet dictabat, tantam hominum doctissimorum multitudinem, tot Pastores, & Doctores, tot celeberrimas Academias, tot denique Concilia non facile condemnari posse gravissimorum errorum, nisi accusationis veritas esset evidentissime demonstrata; nec ad hoc sufficiebant aliqua utut speciosa accusatorum argumenta. Id etiam rudes, modo communi æquitatis sensu uti vellent, facile cognoscere debebant.

292. His positis, dicant bona fide Adversarii, an maxima eorum communionis pars, quæ, ut observavimus, ex rudibus tota constabat, accusationes apostasiæ, & idololatriæ Ecclesiæ nostræ intentatas serio, ac diligenter examinaverit, aut examinare potuerit? An Ecclesiam interrogaverit, & discusserit, quæ pro justa sui defensione afferebat? An, si etiam interrogasset, & utraque parte audita, rem totam, qua summa poterat diligentia, sine præjudiciis examinasset, ingens iste ignorantium, & rudium populus ea præditus esset auctoritate, ut totam XII. sæculorum Ecclesiam ad suum tribunal vocatam judicaret, & condemnaret?

293. Hic velint nolint fateri debent omnes, quotquot æqui sunt, Protestantes, maximam eorum partem neque examinasse, neque examinare potuisse causam, ob quam a Catholica Ecclesia funestissimo schismate recedebatur; sed, quemadmodum Christus Dominus fuerat clamoribus populi sine examine condemnatus, ita sine examine judicatam, & condemnatam totam Ecclesiam Catholicam, tanquam apostaticam, & idololatram, ut proinde ab ea recedendum esset, juxta illud, quod loco probationum ab omnibus conclamabatur: *recedite, recedite; exite inde, pollutam nolite tangere, exite de medio ejus*, Isaiæ LII. 11.

294. Si res ita peracta fuit initio pseudo-reformationis, imo adhuc quotidie apud omnes heterodoxos ita peragitur, quamnam, amabo, poterant illi primi, & quamnam possunt etiam hodierni Acatholici justam, ac legitimam, aut saltem probabilem suæ secessionis causam prætexere? Et quomodo maxima eorum pars potest a gravissimo schismatis crimine excusari?

295. Quod si maxima Acatholicorum pars est certe schismatica, ut ostensum est, quid postea dicendum erit de paucis illis viris doctis, qui totam secessionis luctuosæ causam fortasse examinarunt,

tem Episcoporum, imo & ipsius Romani Pontificis restitui, sine qua nullum inveniebat populis in officio continendis medium. De effræni quidlibet sentiendi, dicendi, ac etiam faciendi libertate, quæ pseudo-reformationem consecuta est, sæpius conquerebantur Bucerus, Calvinus, Œcolampadius, Capito, aliique. Ut huic malo obstarent Calvinistæ Angli, Episcopos retinendos esse voluerunt, qui propterea *Episcopales* dicti sunt. Sed alii ducibus Boltono, Brownio, Barowio, & Grenwaldo acre bellum *Episcopalibus* intulerunt, sectamque efformarunt *Presbyterianorum*, quæ postea in minores alias, & subalternas brevi divisa est, *Brownistarum*, *Barowianorum*, *Eparatistarum*, *Nonconformistarum*, *Independentium*, *Quacherorum &c.* quæ omnes una cum nonnullis adhuc vigent in Anglia; quamvis *Episcopales* post mortem Olivieri Cromwelli iterum suas vires resumserint, & ceteris omnibus modo prævaleant. Vide quæ supra diximus Dissert. II. in nota ad num. 129.

runt, vel saltem examinare poterant? An exiguus istorum numerus satis erit, ut maxima aliorum pars a schismate absolvatur? Annon potius & ipsi schismatici dicendi erunt, utpote qui cum schismaticis communicant, imo plerumque ipsorum duces, & pastores sunt, & una cum ipsis totam Acatholicorum communionem, & societatem constituunt (a)?

## ARTICULUS III.

*De nota sanctitatis Ecclesiæ.*

296. In vetustissimo Apostolorum Symbolo, quo Ecclesia Romana, Aquilejensis, Orientalis, & aliæ olim utebantur, hæc sola sanctitatis nota Ecclesiæ tribui invenitur: ita enim habet articulus nonus: *credo in sanctam Ecclesiam* (b). Certe præcipuus hic est Ecclesiæ sponsæ Christi character, dicente Apostolo Paulo Ephes. V. 25.: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea... ut sit sancta, & immaculata*.

297. Multis porro de causis dicitur Ecclesia *sancta*. Primo ex invisibili ejus capite Christo Domino, qui est sanctus, imo *sanctus sanctorum* (c): secundo ex gratuita Dei vocatione, quia, ut inquit Apostolus 2. ad Timoth. I. 9., *nos vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam:* tertio ex fine, ad quem Ecclesia formata, & ordinata est, scilicet ad gloriam Dei, nostramque sanctificationem, ac beatitudinem sempiternam.

298. Sed præter hæc sunt alia tria, & potissima capita, propter quæ Ecclesia dicitur *sancta*, & quæ constituunt propriam, & perspicuam ipsius notam; scilicet sanctitas doctrinæ, sanctitas plurium ejus membrorum, & sanctitas, ac gloria miraculorum, quæ tria S. Augustinus Lib. II. *de civit. Dei* cap. 26. Tom. VII. in Ecclesia inveniri asserebat, ut scilicet *nihil turpe, ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponatur*, sed *veri Dei præcepta insinuentur, miracula narrentur, dona laudentur, & beneficia postulentur*. Et hæc nostræ Catholico-Romanæ Ecclesiæ convenire demonstrabit sequens

## PROPOSITIO.

*Ecclesiam Catholico-Romanam esse sanctam ostendunt sanctitas doctrinæ, sanctitas plurium ipsius membrorum, & gloria miraculorum.*

299. Antequam id demonstretur, removenda est quædam levis difficultas, nempe sanctitatem, utpote aliquid intrinsecum, & latens, esse non posse visibilis Ecclesiæ notam. Verum id non obstare ostendit exemplum animæ nostræ; quemadmodum enim anima, licet in seipsa invisibilis sit, visibilis tamen fit externis corporis actionibus, ita etiam veræ Ecclesiæ sanctitas multis argumentis apparet, ut qui debitam adhibere velit diligentiam, possit facile Ecclesiæ sanctitatem cognoscere. Quod ex mox dicendis clarius apparebit.

300. Dices. Externa sanctitas potest esse ficta, ut ficta erat sanctitas Pharisæorum, & plurium hæreticorum, aliorumque, de quibus loquens Apostolus 2. Timoth. III. 5. dicit, eos *habere quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegare*.

301. Resp. Certas esse notas, quibus vera pietas, & sanctitas a ficta, & simulata discerni possit, ut infra declarabitur. Sane ipsi adversarii non pauci, qui primis Ecclesiæ temporibus sanctitatis fama claruerunt, nullatenus habentur pro hypocritis: debent ergo esse certæ notæ, quibus vera pietas a simulata distinguatur.

302. Hoc breviter prænotato, haud difficile est demonstrare in nostra Ecclesia eam perpetuo doctrinam conservatam fuisse, quæ a Christo Apostolis, ab Apostolis autem fuit Ecclesiæ in ipso sui exordio tradita, quæ omni procul dubio sancta est, & divina. Nam primo supra (cap. 3.) demonstratum est, Ecclesiam a Christo fundatam nec deficere potuisse: eadem ergo nunc est Ecclesia, quæ ab initio fuit in sanctitate doctrinæ fundata. Deinde peculiares sunt illi factæ divinæ promissiones de perpetua conservatione doctrinæ morum; quando nempe Christus Apostolis dixit, & in persona Apostolorum etiam toti cœtui Episcoporum, qui illis succedere debebant: *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (en doctrinam morum): *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* Matth. XXVIII. 19. & 20. En promissionem Ecclesiæ Pastoribus de sancta Christi Jesu morum doctrina perpetuo conservanda.

303. Clamant quidem Heterodoxi, Ecclesiam nostram in pluribus, & gravissimis capitibus a pura, & sancta Magistri nostri doctrina aberrasse. Sed primo in determinandis istis erroribus, mirum, quantum inter se discrepant Ecclesiæ accusatores. Alios enim errores nobis exprobrant Lutherani; alios Calvinistæ, alios Sociniani, aliarumque sectarum asseclæ. Iterum alii plures nobis objiciunt, alii pauciores. Ac denique (quod intolerabile prorsus est) quædam omnino falsa

(a) Hæc quæ brevitatis amore vix delibavimus, fusius, atque accuratius pertractata invenientur a nostris Controversistis. Præcipue autem legendi sunt doctissimi fratres Petrus, & Hadrianus de Walenburch in *Tractatu de unitate Ecclesiæ*, Petrus Nicolius in opere gallico, cui titulus: *Les prétendus Réformez convaincus de schisme*.

(b) Confer. Pater Joan. Francisc. Bernard. de Rubeis *Dissert. variæ eruditionis* capit. 2. Venetiis 1762. in 4.

(c) S. Thom. 3. P. quæst. 8. art. 15. probat, in anima Christi fuisse gratiam sanctificantem *secundum maximam eminentiam*, ab eo tanquam capite in alios derivandam.

**per calumniam nobis imputant** (*a*). **Qua diversa, & subdola agendi ratione suas accusationes temerarias, & falsas esse, satis ostendunt.**

304. Frustra etiam privatas quorumdam opiniones nobis objiciunt, quas Ecclesia nunquam definivit; imo quarum nonnullas tantummodo tolerat, non approbat. Ut autem rite concluderetur, depravatam esse in Ecclesia Romana doctrinam morum, necesse foret aliquas ejus definitiones, aut præcepta in medium afferre, quæ doctrinæ Christi certissime opponerentur; quod nondum factum est, nec fieri posse, certo credimus.

305. Quæ enim Ecclesiæ nostræ dogmata ab iis erronea vocantur, a nostris Theologis fuerunt invicte, ut sanctæ, antiquæ, & universali Ecclesiæ traditioni conformia, vindicata. Exemplum sit in cultu Sanctorum, in veneratione reliquiarum, & sacrarum imaginum, in orationibus pro animabus defunctorum, aliisque hujus generis, quæ ut superstitionis plena Adversarii explodunt. Interim tamen nimia rei evidentia coacti fateri debent, hæc omnia fuisse communia in Ecclesia tam Latina, quam Græca, etiam temporibus Sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Basilii, Chrysostomi, aliorumque Patrum, qui sanctissimi, & doctissimi ab omnibus semper habiti sunt. Vel id solum, si cetera etiam argumenta deessent, abunde sufficeret ad ostendendum, sanctam esse in hujusmodi dogmatibus doctrinam Ecclesiæ Catholicæ; illam scilicet doctrinam, quam viri sanctissimi, & doctissimi professi sunt, & quam a suis majoribus acceptam posteris reliquerunt.

306. Et quidem, ut omnis scrupulus de istorum Patrum orthodoxia eximatur, sufficit considerare, eos summæ, & præstanti rerum sacrarum doctrinæ, eximiam etiam conjunxisse pietatem, & sanctitatem, ut nec facile in rebus tanti momenti decipi possent, nec ullo modo suspicari possimus, eos voluisse nos decipere. **Unde etiam factum est,** ut tota posteritas eos tanquam magistros, & doctores merito sit venerata.

307. Prob. altera pars, scilicet in nostra Ecclesia plures semper floruisse insignis sanctitatis viros. Et primo quidem ad nostram Ecclesiam pertinent omnes illi Martyres, Confessores, Anachoretæ, Pœnitentes, & Virgines, quos prima ætas tulit; cum enim nostra Ecclesia eadem prorsus sit cum illa veteri, in qua illi floruerunt, jure successionis eosdem nobis justissime vindicamus.

308. Sed ne contentionis funis hac de re longius ducatur, etiam iis omissis, satis probant nostræ Ecclesiæ sanctitatem vel ii soli Sancti, qui a Sæculo IV. (quando scilicet Ecclesiam a primæva sanctitate descivisse Adversarii clamant) usque ad nostra tempora heroicis virtutibus promeriti sunt, ut publico cultui exponerentur. Tales fuerunt inter multos alios Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Hilarius, Martinus, Chrysostomus, Basilius, duo Gregorii Nyssenus, & Nazianzenus, Gregorius item Magnus, Fulgentius, aliique, quos Ecclesia, ut sanctos Patres, merito veneratur (*b*).

309. Sed & multi alii sese offerunt, qui pro defendenda vera Christi divinitate sub Constantio, & Valente Imperatoribus, & sub Arianis Gothorum, & Wandalorum Regibus martyrii coronam adepti sunt; tum illi, qui in aliis persecutionibus a Mahumetanis, ab infidelibus, & ab Hæreticis in variis occasionibus odio Christianæ religionis, vel orthodoxæ doctrinæ, quam constantissime defenderunt, in multis mundi partibus crudeliter occisi sunt.

310. Addi his debent tot inclyti, & fortissimi Ecclesiarum fundatores, & Pastores, ut Augustinus, & alii Anglorum Apostoli, Bonifacius, & Willibaldus, quorum iste in Frisia, ille autem in

(*a*) Specimen harum calumniarum exhibere potest Joan. Gerhardus, qui in *Locis theol.* Loco XXIII. cap. II. §. 251. & seq. enumerans *peccata*, *quæ Ecclesiæ Romanæ doctrina fovet*, dicit: *contra primum præceptum regnat in papatu 1. atheismus, non quidem manifestus, sed occultus ... 2. idololatria, eaque multiplex ... Contra 2. præceptum regnat in papatu 1. magia, eaque multiplex: viget enim illic magna divinatrix μαντευτική, qua revelante diabolo res futuræ, & occultæ cognoscuntur. Responsa quærunt, & accipiunt a statatis, quas certis sanctis attribuunt. Silvester II. habuit figuram æneι capitis, quod instar oraculi in dubiis negotiis consuluit. Gregorius VII. Hildebrandus dictus, ex pane consecrato contra Imperatorem adversarium suum responsa quæsivit, quæ cum aliquando non redderentur, in ignem illum conjecit. Alexander VI. epoto per errorem veneno, quod ex ipsius jussu optimatibus quibusdam propinandum erat, lethaliter ægrotans, ministrum Modenam in conclave suum secretius misit, ut libellum deauratum, in quo magia conscripta erat, adferret, quo de fine vitæ suæ consuleret Deum suum. Minister offendit satanam sedentem in Pontificia sede, habitu pontificali indutum, ac dicentem: ego sum Papa.* Pudet prosequi ineptissimas has calumnias, quas vir apud Protestantes magni nominis Jo. Gerhardus Ecclesiæ nostræ impingere non erubuit. Ejus opus *de Locis theol.* XX. volum. in 4. comprehensum recentissime vulgavit Jo. Frid. Cotta Tubingæ 1767. 1781., ac de ipso asserere non dubitavit, *post Lutherum, & Chemnitium præstantiorem debellatorem Ecclesiæ Roman. Doctorem cogitari non posse.* Talibus certe ineptiis, ac commentitiis fabulis de nostris Doctoribus Protestantes triumphare se posse credunt. Sed hæc sint speciminis loco. *Crimine ab uno disce omnes.*

(*b*) Hoc argumentum digne pro more suo illustravit S. Augustinus in Lib. I. *de moribus Ecclesiæ catholicæ* cap. 31. & seq. Tom. I. ubi varias enumerat perfectorum Christianorum classes: loquens autem de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque ministris divinorum sacramentorum, *quorum virtus*, ait, *eo mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est, eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare; non enim sanatis magis, quam sanandis hominibus prosunt, &c.* & in Lib. *de sancta virginate* cap. 36. Tomo VI. *Respice*, inquit Christum alloquens, *agmina virginum, puerorum, puel-*

in Germania fidem Christianam latissime propagavit (*a*); tum etiam Reges, & Principes Stephanus, Ludovicus, Henricus, Leopoldus, & alii, qui omnium virtutum speculum, & exemplar ceteris Principibus Christianis facti sunt (*b*).

311. His postea multi alii sequentibus temporibus serie nunquam interrupta successerunt, ut Monachorum, ac Religiosorum Ordinum fundatores, Antonius, Benedictus, Dominicus, Franciscus, & alii non pauci, qui non sola Evangelii præcepta, sed etiam difficiliora consilia accurate servantes, & aliis servanda proponentes, ad altioris perfectionis apicem una cum multis suis filiis pervenerunt (*c*).

312. Addi denique præcipue debent, qui postremis temporibus Beatorum, & Sanctorum fastis adscripti sunt, quorum infinitus pene est catalogus, & quorum sanctitas eo pluris facienda est, quo maxima modo adhibetur cura, & diligentia pene incredibilis in eorum virtutibus examinandis, ac probandis miraculis. Satis est pervolvere opus immortale hac de re editum a sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. cujus fides in dubium revocari nullo modo potest, cum in hujusmodi causis diu, multumque versatus fuerit, & demum ad supremum Pontificatus apicem evectus earumdem Judex longo, & glorioso suo regno præfuerit (*d*). Atque horum, ut dixi, ingens est numerus, quos divina Providentia ideo infelicibus nostris, Patrumque nostrorum temporibus reservasse videtur, ut etiam hac in parte *ubi abundavit delictum, superabundasse gratiam*, palam faceret, V. 20.

313. Fidenter autem provocamus omnes Sectarios, ut in suis communionibus tales, ac tantos, & tam multos viros omnibus eximiis, atque heroicis virtutibus ornatos, quales nostri fuerunt Sancti, ostendant.

314. Non inficiamur quidem, aliquos etiam inter eos fuisse, & adhuc esse, externa quadam pietate conspicuos, quales inter ipsos Ethnicos, vel Mahumetanos haud est difficile invenire. Sed primo si tale eorum probitatis institueretur examen, quale de singulis nostrorum Sanctorum actionibus institui solet, facile appareret, quantum nostrorum sanctitas jactata sive Paganorum, sive Turcarum, sive etiam Hæreticorum probitati supereminea; ubi enim invenientur sublimes illæ virtutes, quas in nostris Sanctis fuisse post rigidissima examina comprobatum est? ex. gr. illa abdicatio spontanea ab omnibus hujus vitæ illecebris, & commodis, ut in summa rerum penuria vitam degerent? Ubi illa profunda humilitas, qua non solum honores omnes contemnerent, sed nihil magis amarent, quam pro Christo probris, injuriis, & majoribus etiam calamitatibus affligi? Ubinam illa charitas perfecta, qua non solum omnibus se spoliare voluerunt, ut aliorum indigentiæ succurrerent, sed etiam pro salute proximorum, & gloria Dei persecutiones patienter ferre, & sanguinem ipsum profundere? Nec vero contenti sint adversarii aliqua nobis proferre nomina eorum, quos pietate celebres apud suos fuisse dicunt. Poscimus ab eis certa harum virtutum documenta, quemadmodum parati sumus iis certissima suppeditare, quibus heroicæ nostræ Ecclesiæ Sanctorum virtutes demonstrentur (*e*).

315. Deinde, ut bene de hæreticis, & schismaticis sui temporis S. Cyprianus in libro *de unitate* num. 21. scribebat, *cum Deo manere non pos-*

*larumque sanctarum: in Ecclesia tua eruditum est hoc genus: illic tibi a maternis uberibus pullulavit, in nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum veluti lac infantiæ suæ suxit infusum &c.* atque ita prosequitur S. Pater describens sanctitatem eorum, qui in tenera adhuc ætate consecrari Deo etiam priscis temporibus solebant; eosque cap. 27. ita hortatur, *pergite itaque Sancti Dei, pueri, ac puellæ, mares, & feminæ, cælibes, & innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius, amate ardentius, cui placetis attentius, &c.*

(*a*) De S. Bonifacio Episcopo, & Martyre ita loquuntur Centuriatores Magdeburgenses Cent. VIII. cap. 2.: *hoc sæculo* (nempe VIII.) ... *excitavit Dominus Vinofridum, quem Romani dixerunt Bonifacium, cum suis collegis Gregorio, Lullo, Megingolo, Wilibaldo, Sturmio, Wigberto, & Burchardo, & Pipinum, & Carolum, Reges pietate, & virtute præstantes, ad Ecclesiæ suæ in Germania propagationem, & opus manuum eorum ipse gubernavit, & promovit &c.* Ita isti Romanæ Ecclesiæ osores acerrimi, obliti eorum, quæ in ejusdem Centuriæ præfat. contra eumdem S. Bonifacium scripserant, eum scilicet enumerantes inter Pontificis *Dromones*, & inter pseudo-apostolos. Sed veritas aliquando vi sua foris etiam ab invitis erumpit.

(*b*) S. Stephanum Hungariæ Regem, & Apostolum citati mox Magdburgenses Cent. XI. c. 2. dicunt, ultra, citraque Danubium in Getas, ac Sarmatas usque *veram pietatem propagasse*. Erant igitur semper in nostra Ecclesia *veræ pietatis* cultores, ut proinde Ecclesia ipsa sancta etiam ex hoc capite dici posset..

(*c*) Lutherus in c. 13. Geneseos Tom. VI. Operum edit. Wittembergensis 1563. pag. 154. fatetur, *non defuisse sua dona Francisco, Dominico, Bernardo, & aliis, qui primi instituisse collegia Monachorum dicuntur*. Alibi etiam illos *Sanctos* vocare non dedignatur.

(*d*) Opus inscriptum est *De servorum Dei beatificatione, & Beatorum sanctificatione*, in quo omnes laudantur, qui de hac materia antea scripserunt; & luculentissime apparet, quanta cautione, & diligentia in hoc gravissimo negotio procedatur.

(*e*) Certe si aliqui essent apud Protestantes viri sanctitate eximii, ii maxime esse debuissent primi pseudoreformationis auctores Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Œcolampadius, Carolostadius, ceteri; at vero sufficit eorum vitas legere, non quales a nostris editæ sunt (haberent enim eas, ut suspectas), sed quales ab ipsorum encomiatoribus prodierunt, easque cum Sanctorum nostrorum viris, quæ a sobriis, & accuratis scriptoribus elucubratæ habentur, comparare, ut quisque possit immane discrimen inter ipsorum sanctitatem, & nostrorum deprehendere.

*possunt, qui esse in Ecclesia unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.*

516. Prob. tertia pars. Deum scilicet gloria miraculorum sanctitatem nostræ Ecclesiæ, a primo ipsius exordio usque ad nostra tempora perpetuo manifestasse. Et quamvis miracula sint gratiæ gratis datæ, quæ etiam malis tribui possunt, communi tamen divinæ providentiæ ordine nonnisi eximiæ sanctitatis viris concedi solent. Ulterius cum miracula in sua Ecclesia semper futura Christus promiserit Joan. XIV. 12., & Marci XVI. 17. sequitur, iisdem miraculis nedum sanctitatem eorum, qui illa ediderunt, sed etiam veritatem, & sanctitatem nostræ Ecclesiæ, in qua edita sunt, comprobari. Demum cum miracula persæpe facta sint eo fine, ut doctrinæ, quæ in nostra Ecclesia semper viguit, & viget, tum etiam illorum, qui eam profitentur, sanctitas demonstraretur, argumentum efficacissimum suppeditant, quo de ejusdem Ecclesiæ sanctitate certi sumus; cum Deus non possit miraculis suis falsitati, & errori testimonium præbere (*a*).

517. Jam vero præter ea miracula, quæ initio nascentis Ecclesiæ facta fuisse, nec ipsi adversarii inficiantur, & quæ jure hæreditario nobis vindicamus, multa alia sunt, ac pene innumera, quæ in sequentibus sæculis usque ad nostra, quando scilicet adversarii clamant, Ecclesiam a pristina sanctitate defecisse, *certissime* edita fuerunt. Dico *certissime*; neque enim allegari oportet ea, quæ a vanis hominibus pia, ut dici solet, fraude conficta, & stulta credulitate olim vulgata modo ab omnibus rejiciuntur; vel ea, de quibus vel minimum dubium suboriri potest; sed ea solummodo, quæ negari non possunt, nisi omnibus historiæ monumentis eversis (*b*).

518. Et ut ad miracula eorum, quos ut Sanctos colimus, nos restringamus, notum est, in eorum canonizatione Ecclesiam minime esse contentam illis virtutibus heroicis, de quarum veritate rigidissimum, ut supra diximus, & accuratissimum examen instituitur, sed etiam gloriam miraculorum requirere; quasi de virtutum examine utut diligentissimo, adhuc diffidat, nisi Deus, qui solus est scrutator cordium, externo miraculorum sigillo internam illorum sanctimoniam manifestet, atque confirmet, ut omnis illusionis, fanatismi, aut hypocrisis suspicio procul amoveatur. Id jam antiquioribus temporibus fuisse usitatum, ex iis conjicere possumus, quæ sæcul. XIII. in causa Guilielmi Archiepiscopi Bituricensis postulabat, scilicet vitæ meritum esse miraculis confirmatum (*c*).

519. Hac autem in re nostra ætate non solum eadem, sed adhuc major adhiberi solet diligentia, itaut nisi de miraculis remota omni prorsus dubitatione certissime constet, nullus omnino, quantacumque ornatus sit omnium virtutum celebritate, publico Sanctorum cultu dignus habeatur. Hæc fuse declarantur in laudatissimo opere *De servorum Dei beatificatione, Beatorumque sanctificatione*, ut liquido constet, tantam requiri testium fidem, & rerum certitudinem, ut nemo, nisi pyrrhonismi, aut sectæ suæ præjudiciis plane obcæcatus, possit de his dubitare.

520. Mitto alia plura miracula, quæ haud raro in nostra Ecclesia edi, testimoniis locupletissimis comprobatum est; & quorum veritati, aut certitudini nihil detrahi potest propter adversariorum in iis rejiciendis pertinaciam; sicut nihil detrahitur veritati, & certitudini miraculorum, quæ e-

(*a*) Vide, quæ dicta sunt in Parte I. Dissert. II. n. 187. & seq.

(*b*) Melch. Canus Lib. XI. *de loc. theol.* cap. 6. *Prima*, inquit, *lex* (veras historias a falsis distinguendi) *ex hominum probitate, integritateque sumetur. Quæ omnino res locum habet, cum quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, qui viderant, accepisse. Qualia sunt pleraque in epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque hujus de civitate Dei, in dialogis Gregorii, breviter in omnibus fere Doctorum Ecclesiæ probatissimorum scriptis, in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe, præclarisque virtutibus viri sanctissimi, atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audivisse testati sunt, fides omnino illis habeatur.* Ex qua lege, quam communis hominum sensus dictat, plane efficitur, plura, quæ a laudatis Ecclesiæ Patribus aliisque viris omni fide dignis narrantur in Ecclesia nostra edita miracula, ut certissima habenda esse. Aliunde notum est, quanta libertate idem gravissimus auctor in eodem loco miracula commentitia explodat; & *certum esse*, ait, *qui ficte, & fallaciter historiam Ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse; totumque eorum narrationem inventum esse ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum.* Plura addit, non minus eleganter, quam nervose, utens etiam auctoritate magni viri Lud. Vives, qui Lib. V. *de trad. disciplinis* eos graviter arguit, *qui pietatis loco duxerint, mendacia pro religione fingere.* Sed hæc pauca sufficiant, ut videant Adversarii, non omnia a nobis probari, quæ venditantur, miracula, sed regulis sanioris critices & fictitia rejici, & dubia a certis diligenter secerni.

(*c*) Ita respondit Honorius Papa Archiepiscopo, & Capitulo Bituricensi apud Odor. Raynaldum in *Annal. Eccl.* an. 1217. n. 65. *attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis fidelis sanctus sit apud Deum, meritum sufficiat vitæ solum, ad hoc tamen ut sanctus apud omnes habeatur, necessaria sunt miracula, cum idem de utroque duximus inquirendum, eo quod alterum non sufficit sine altero, videlicet meritum, si miracula non fuerint subsecuta, neque miracula, si ea vitæ meritum non præcessit.*

exordio Ecclesiæ edita sunt, propter Judæorum, multorumque Gentilium pervicacem incredulitatem. Neque enim majora argumenta a nostris adversariis opponuntur miraculis in Ecclesia recentius editis, quam veteribus opponerentur a Judæis, & Gentilibus. Imo ausim dicere, non minora a nobis afferri momenta ad probandam veritatem miraculorum, quæ in Ecclesia pene quotidie fiunt, quam allata fuerint, aut afferri possint ad ea probanda, quæ in exordio Ecclesiæ fiebant; atque etiam non minora iis ipsis, quæ afferuntur contra Ethnicos, & Judæos, ad veritatem miraculorum Christi, & Apostolorum demonstrandam.

321. Protestantes vero nullum hactenus nobis allegare potuerunt miraculum in doctrinæ suæ confirmationem editum; cum tamen miraculis maxime opus esse videretur ad extraordinariam pseudo-reformatorum missionem, ac veritatem novæ doctrinæ comprobandam.

322. Id negare non audent, qui inter Adversarios sunt sinceriores (*a*). Verum ne a nobis victi videantur, respondere communiter solent, miraculis opus non fuisse in Ecclesiæ reformatione, cum non nova proponeretur doctrina, quæ miraculis confirmari deberet, sed antiqua multis, magnisque miraculis jam confirmata restauraretur.

323. Isti tamen difficultatem non solvunt, sed eludere conantur. Certum est enim Lutherum, aliosque primos Novatores in pluribus, & gravissimis capitibus recessisse a doctrina, quæ communissima in Ecclesia erat, & in qua ipsi instructi, & educati fuerant. Jam vero disputari acerrime cœpit, an ista doctrina, quæ tunc primo spargebatur, esset antiquæ Jesu Christi, Apostolorumque doctrinæ conformis. Id negabat tota Ecclesia, quæ in veteri possessione suæ doctrinæ a XII. & amplius sæculis, ipsa Adversariorum confessione erat. Controversia finiri non poterat, cum Novatores nullum alium ejusdem judicem agnoscerent, nisi sacram Scripturam, quam utraque pars pro se allegabat. Populus rudis, qui se ab Ecclesiæ auctoritate divelli passus fuerat, non iis erat subsidiis præditus, ut in controversia tanti momenti judicium ferret. Nulla ergo erat alia commodior via, quam miraculorum. Si enim potuissent Novatores vel uno certo miraculo fidem sibi conciliare, acta res erat, & omnis controversia sublata. Magna ergo tunc erat miraculorum necessitas. Sed ea fieri divina providentia non permisit, ut etiam hac ratione manifestum esset, novos illos præcones non esse antiquæ doctrinæ restauratores, sed corruptores: unde inexcusabiles omnino sunt, qui eorum erroribus incaute se decipi permiserunt.

324. Sane Christus Dominus Redemptor noster non fuit contentus ex veteris Testamenti oraculis liquido demonstrare, se esse Messiam in lege promissum, sed stupenda addidit prodigia, quibus & sapientum pervicaciam vinceret, qui sacr. litterarum oracula alio detorquebant, & rudium populorum fidem sibi conciliarent, qui ex veterum Prophetarum vaticiniis non satis convinci poterant. Eademque miraculorum potestate instructos Apostolos in mundum universum misit ad convertendas gentes. Idem profecto fecisset Deus, si Lutherum, Calvinum, aliosque similes misisset ad Ecclesiam in fide reformandam.

325. Solent etiam Protestantes abuti exemplo S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini, quem constat nullum fecisse miraculum ad confirmandam suam missionem.

326. Verumtamen primo S. Joannes novam doctrinam, seu diversam ab ea, quæ in Synagoga vigebat, non prædicabat. Quando autem dicebat, Jesum Christum esse Messiam in lege promissum, habebat testimonium miraculorum ipsius Christi. Deinde certum est, non pauca, nec levia in ejus nativitate facta fuisse miracula, quibus futura ejus sanctitas prænunciabatur; ut enim Lucæ I. fuse describitur, mirabilis fuit ejus conceptio, cum ipsius mater Elisabeth esset jam senex; ulterius hæc conceptio fuit ab Angelo Mariæ Virgini significata; tertio quando B. Virgo M. Elisabeth visitavit, exultavit infans in utero ejus; quarto in ejus circumcisione apertum est illico os Zachariæ ejusdem patris. Porro cum hæc divulgata essent miracula, omnes dicebant: *quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo*. Quænam

(*a*) Non enim aliquos moramur, qui fabulas nec apud suos creditas nobis venditare student. Machesius in vita Lutheri scribit, *eum veneni plurimum concoxisse, ac divinitus præservatum, ne ullam ex illo contraheret nocumentum*. Helius Eubanus Poeta non incelebris carminibus illustrat aliud miraculum Lutheri, quod scilicet an. 1521. cum Ersordiæ concionem haberet, Diabolum, qui trabem ingentem cum strage auditorum e loco suo disjicere moliebatur, imperio suo cohibuerit. Lutherus ipse miraculo adscribebat, quod orationibus suis mortem Frid. Myconii graviter ægrotantis impediverit. Denique narratur etiam, a Luthero fuisse juvenem obsessum liberatum; & chirographum diabolo a quodam datum fuisse precibus Lutheri restitutum. Sed hæc omnia vel fabulosa esse, vel virtuti supernaturali falso adscribi, ipsi fautores Lutherani facile consentiunt. Non me latet, Lutherum, ejusque asseclas plerumque nos provocare ad felicem pseudo-reformationis exitum, quem supra omnes vires humanas, atque omnino prodigiosum fuisse, dicunt. Sed primo id probaret, prodigiosam fuisse prædicationem etiam Calvini, cujus exitus non minus quam Lutheri, videbatur humanas vires superare, multoque magis probaret, prodigiosam fuisse missionem Mahumetis, cujus superstitio multo latius, quam Lutheranismus, vel Calvinismus, disseminata fuit. Deinde qui infelicis ævi historiam bene novit, & artes, quibus Novatores usi sunt, attentius considerat, facile videt, nec adeo mirabilem fuisse funesti illius incendii propagationem. Sed de missione, quam sibi arrogabat Lutherus, dignus est, qui legatur Bossuetus in *Hist. var. Eccl. Prot.* Lib. I. n. 27. & seq.

nam autem his similia facta sunt ad confirmandam Ecclesiæ pseudo-reformationem miracula? Sed jam videamus, quasnam contra sanctitatem Ecclesiæ objiciant difficultates.

327. Objiciunt primo contra primam partem, & toti sunt, ut ostendant, nostram Ecclesiam a pristina doctrinæ Christi puritate, & sanctitate jampridem descivisse. Præcipue autem eam accusant superstitionis, & idololatriæ propter cultum Sanctorum, venerationem sacrarum imaginum, sacrificium Missæ, bonorum operum merita, aliaque id genus dogmata.

328. Resp. fuisse quidem nostram Ecclesiam plurium errorum accusatam, sed nunquam convictam, & facile a nostris controversistis demonstrari, hæc dogmata perpetuo in Ecclesia Christi credita fuisse: & licet non tam perspicue ex sacris litteris eruantur, constat tamen apertissime ea ab Apostolorum traditione descendere, quemadmodum descendunt alia dogmata, quæ ipsi adversarii nobiscum tenent, ut valor baptismi infantium, vel per infusionem, aut inspersionem, valor item baptismi a peccatoribus, vel hæreticis, aut infidelibus collati, & hujus generis alia, quæ certe ex solis divinis litteris demonstrari nequeunt (vid. supra Dissert. I. num. 26. seq.).

329. Perperam autem, & injuste Adversarii nostram Ecclesiam condemnant, propter privatos quorumdam in cultu Sanctorum, in veneratione reliquiarum, atque imaginum, aliisque similibus abusus, quos ipsa non probat, licet nonnunquam ad majora impedienda mala eos tolerare cogatur. Hoc ipsum Ecclesiæ olim objiciebant Manichæi, quibus ita respondebat S. Augustinus Lib. I. *de moribus Ecclesiæ Catholicæ* c. 34. *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa religione superstitiosi sunt, vel ita libidini dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo.... Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ maledicere desinatis; vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie, tamquam malos filios, corripere studet.* Ubi plures admodum graves, qui tunc in Ecclesia serpebant, abusus vel invitus enumerat, neque excusat, sed solum eos Ecclesiæ imputari minime oportere æquissimo jure contendit (*a*).

330. Objic. 2. contra secundam partem. Etiamsi detur, nonnullos in Ecclesia Catholica fuisse omni tempore sanctos, certum est tamen, multo plures fuisse semper homines hypocritas, improbos, scelestissimos: cur ergo non potius ab istis desumitur Ecclesiæ denominatio, ut non *sancta*, sed *perversa*, & *reproba* appelletur (*b*)?

331. Respond. Ecclesiæ nomen a nobiliore ejus parte esse desumendum, quam certe constituunt homines justi, & pii, qui etiam ad ejus spiritum pertinent, & qui nonnisi in vera Christi Ecclesia reperiri possunt, licet hi pauciores sint. Hac ipsa de causa Sanct. Matthæus XXVII. 53. Jerusalem appellavit *sanctam civitatem*, tum propter templum, verumque cultum Dei, tum etiam propter aliquos Sanctos, quos in perversa natione Judaica sibi Deus semper reservavit.

332. Ceterum zizania futura in agro Dominico, idest peccatores in Ecclesia, Christus prædixit Matth. XIII. 25. seq., & alibi. Idem significavit, Ecclesiam comparans modo sagenæ, & in qua simul inveniuntur pisces boni, & mali, ibid. 47.; modo areæ, in qua simul cum tritico sunt paleæ ad comburendum, Matth. III. 12.; quæ prædictio vel in ipso primo Ecclesiæ exordio adimpleta fuit, ut patet ex epistolis Sancti Pauli, aliorumque Apostolorum, ex epistolis Sancti Clementis Romani, & Ignatii Martyris, aliisque priorum temporum monumentis. Dignus est, qui legatur Sanctus Augustinus in variis suis libris contra Donatistas, ubi copiose ostendit, *malos, qui in Ecclesia plurimi sunt, ejus sanctitati non obesse*.

333. Dices. Christus Dominus hanc membrorum Ecclesiæ sanctitatem aliquando defuturam prædixit; nam Matth. XXIV. 11. *Multi*, inquit, *pseudo-prophetæ surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Et adhuc clarius Lucæ XVIII. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Cum ergo notæ Ecclesiæ debeant esse perpetuæ, non poterit sanctitas membrorum &c.

334. Respond. His, ac similibus Christi Domini prædictionibus tantum significari fidem, & sanctimoniam in Ecclesia nonnunquam imminutum iri propter vehementes persecutiones, quæ futuræ sunt, præcipue in diebus Antichristi, quos tamen Christus ipse (Matth. XXIV. 22.) breviandos esse prædixit *propter electos*: erunt igitur etiam tunc electi, in quibus ea sanctitas apparebit, quæ est

(*a*) Synodus Trid. Sess. XXV. *De invocatione, veneratione, & reliquiis sanctorum, & sacris imaginibus* nonnulla præcepit ad omnem superstitionis speciem ab hujusmodi sacris ritibus amovendam.

(*b*) Locus iste solet ab adversariis copiosissime tractari; & nunquam cessant totius Ecclesiæ Catholicæ, potissimum autem curiæ Romanæ vitia, quæ olim fuerunt, & quorum aliqua fortasse adhuc supersunt, recensere, atque etiam exaggerare, usque ad nauseam, & quæ Cardinales a Paullo III. delecti in celebri Concilio edito primum ab apostata Petro Paulo Vergerio, olim Episcopo Justinopolitano Argentorati 1555. quæ Franc. Petrarcha in suis epistolis, quæ Erasmus, Nicol. de Clemangis, aliique de corruptione Ecclesiæ Romanæ scripserunt, in unum colligere, ut majorem ingerant horrorem, non prætermittunt. Sed quid, quæso, lucrantur cum istis accusationibus partim veris, partim falsis, nisi ut probent, nullam esse in toto mundo sanctam Ecclesiam? Facile enim est, discurrendo per omnes Christiani nominis communiones, abusus invenire, & scandala. Synagogam in veter. testam. fuisse veram Ecclesiam nemo negaverit; & tamen quot scelera, & gravissima peccata illi exprobrarunt Prophetæ!

est nota Ecclesiæ. Vide, quæ dicta sunt superius n. 72.).

335. Obj. tertio contra miracula in nostra Ecclesia edita; & primo contendunt, ea esse aut falsa, aut fallacia, qualia ab Ethnicis, Hæreticis, aut Magis sæpius facta leguntur. Deinde dicunt, iis, quæ vera sunt, confirmari non omnia Ecclesiæ nostræ dogmata, sed ea solum, quæ in eadem Ecclesia ex prophetica, & apostolica doctrina conservata fuerunt.

336. Respond. primæ objectioni parti tres esse secernendas miraculorum, quæ narrantur, classes. Aliqua sunt aperte falsa, & commentitia, quæ communiter a viris doctis, & piis rejiciuntur, quamvis fortassis a mulierculis, vel aliquibus aliis hominibus in religione male edoctis, ut vera credantur, & passim narrentur. Alia bene multa sunt dubia, & incerta, quæ licet aperte falsa non sint, satis tamen probatis monumentis non innituntur; quæque proinde nec facile rejici debent, nec temere credi. Sed his duabus classibus prætermissis, alia sunt nec pauca, atque inter ista quædam non admodum antiqua, imo fere quotidiana, quæ plurium, & fide dignorum testimoniis ita probantur, ut a viro cordato rejici nequeant, qualia sunt ea, quæ in beatificatione servorum Dei, eorumque canonisatione requiruntur. Primo enim diligentissime inquiritur de veritate eorum, quæ Sanctorum intercessione facta dicuntur. Postquam autem de hac veritate certissime constiterit, aliud instituitur non minus diligens examen, an ea, quæ evenisse dubitari non potest, ex aliquibus naturalibus causis oriri potuerint, an potius supernaturali virtuti sint omnino adscribenda. Nisi de utro certissime constet, nulla miracula admittuntur. Non est igitur, cur adversarii ex fictis quibusdam, fallacibusque miraculis, quæ nos quoque repudiamus, vel etiam ex dubiis ansam arripiant, vera, & certissima rejiciendi.

337. Quantum ad secundum, satis est observare, primo sine ullo prorsus fundamento asseri, miracula esse edita ad confirmandum unum potius, quam aliud Ecclesiæ nostræ dogma; cum vere facta sint, ut intelligamus, nostram Ecclesiam eam ipsam esse, in qua potestatem miraculorum nunquam defuturam Christus ejus sponsus promisit. Deinde Sancti, ad quorum intercessionem miracula edita sunt, omnia ea dogmata profitebantur, quæ nostra Mater Ecclesia docet. Demum habemus plura miracula, quibus Sanctorum cultus, veneratio reliquiarum, ac sacrarum imaginum, suffragia defunctorum, confessio auricularis, præsentia realis Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, ejusque adoratio, & alia Ecclesiæ nostræ dogmata ab Hæreticis oppugnata confirmantur.

338. Dices. Notæ Ecclesiæ debent esse perpetuæ; atqui miraculorum gloria jamdiu in Ecclesia cessavit; quod confessus est S. Jo. Chrysostomus Hom. XLIX. in Matth.: ergo &c.

339. Respond. Sanct. Augustinus Lib. XXII. *de Civitat. Dei* cap. 8. Ethnicis sciscitantibus, *cur nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt?* respondebat: *Possem quidem dicere necessaria fuisse prius, quam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Post autem asserere non dubitavit etiam tunc *fieri miracula in ejus* (Christi) *nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus:* & reipsa multa enumerat miracula, ea ætate facta. Nullius autem est auctoritatis auctor operis imperf. in Matth. quem esse a vero Chrysostomo longe diversum sup. n. 244. adnotavimus. Idem etiam post Augustini tempora dici debet; nam plura miracula refert S. Gregorius M. Augustino quasi duobus sæculis posterior; & multa etiam sequenti ætate usque ad nos edita esse, indubiis testimoniis convincimur. Perpetua igitur est hæc veræ Ecclesiæ nota ex miraculorum gloria deprompta; quamvis satis fuissent ad nostræ Ecclesiæ sanctitatem demonstrandam sola illa miracula, quæ priscis temporibus in eadem Ecclesia facta fuisse nec ipsi adversarii inficiantur.

340. Dices secundo. Miracula apud nos non habentur pro veris, nisi quia in vera Ecclesia fiunt, & ab ipsa Ecclesia approbantur, dicente S. Augustino Lib. *de unit. Ecclesiæ* c. 19. T. IX. *quæcumque* (miracula) *in catholica Ecclesia fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur catholica, quia hæc in ea fiunt.* Hinc etiam Concilium Tridentinum Sess. XXV. cap. *de invocatione Sanctorum* præcipit, nulla esse admittenda miracula, nisi Episcopo approbante: non ergo miracula veram designant Ecclesiam, sed potius ab Ecclesia vera distinguuntur miracula.

341. Resp. regulam illam fuisse a S. Augustino constitutam non generaliter, & in omnibus casibus, sed peculiariter contra Donatistas, qui miraculis nescio quibus, seu potius visionibus schisma, quod fecerant ab Ecclesia Catholica, defendere conabantur. Contra eos igitur volebat, veram Ecclesiam esse ex Scripturis cognoscendam, quæ manifestissime prædicant, eam toto orbe esse diffundendam, non in aliquo Africæ angulo, ubi erant Donatistæ, restringendam. Atque ad controversiæ funem resecandum nulla alia miracula admittenda esse volebat, quam quæ ab Ecclesia catholica probarentur.

342. Generaliter tamen primo Ecclesia nostra miraculis fundata fuit, ac miraculis facta credibilis, postea autem ipsa Ecclesia jam fundata, & manifestata etiam jus acquisivit vera miracula a falsis discernendi. Unde idem S. Augustinus Lib. XVIII. *de Civ. Dei* c. 8. Tom. VII. de miraculis loquens, *hæc*, inquit, *ut fidem facerent, innotuerunt; hæc per fidem, quam fecerunt,* mul-

*multo clarius innotescunt*. Unde mutue & per vera miracula innotescit Ecclesia, & ab Ecclesia de veritate miraculorum examen instituitur, & certi reddimur.

343. Et nunc etiam eodem jure Ecclesia utens miracula diligentissime examinat, ne scilicet eorum auctoritas, & fides, si vagis, incertisque vulgi rumoribus committatur, apud cordatos, & prudentes viros merito nutet. Et de Sanctitatis nota hæc dicta sufficiant.

ARTICULUS IV.

*Probatur, veram Ecclesiam debere esse* Catholicam, *atque hanc notam soli nostræ Ecclesiæ convenire*.

344. Hæc vox *Catholica* a græco vocabulo ὅλος vel ὅλικος, & propositione κατὰ composita, quanquam diversis significationibus nonnunquam usurpata fuerit, proprie tamen idem est, ac *universalis;* idque multo magis significat, quando Ecclesiæ universæ *absolute* tribuitur.

345. Invenimus quidem, etiam Ecclesias particulares fuisse aliquando appellatas *catholicas;* sed non alia de causa, nisi quia ad Ecclesiam universalem pertinebant, & ut ab Hæreticorum conventiculis distinguerentur, quæ illi Ecclesias appellare audebant (vid. sup. in not. ad n. 222.) Eodemque sensu fideles dicti sunt aliquando *Catholici*, tamquam filii Ecclesiæ *catholicæ*, seu universalis.

346. Sed etiam Ecclesia universa a Christo instituta multiplici sensu appellata est *Catholica*, seu *universalis;* præcipue autem, quia per totum mundum, atque omnes nationes diffundi debebat; secus ac Synagoga, quæ uno loco, unique nationi erat adstricta. Hinc divinus Magister præcepit discipulis suis Marci ult. 15., *ut irent in mundum universum;* & Matth. ult. 19. *ut docerent omnes gentes*. Secundo Ecclesia dicta est *catholica* ratione temporis, quia duratura erat usque ad consummationem sæculi.

347. Ecclesiam nostram esse catholicam ratione loci, seu universalis extensionis in toto mundo, in hoc articulo ostendemus; in sequenti autem ostendemus, eam esse catholicam etiam ratione perpetua durationis, seu nunquam interruptæ successionis ab Apostolorum ævo usque ad nos; unde vere dicitur *Apostolica*.

PROPOSITIO.

*Vera Christi Ecclesia debet esse* Catholica, *idest toto orbe diffusa. Id autem soli Ecclesiæ nostræ convenit*.

348. Prima pars facile probatur cum S. Augustino *de unitate Ecclesiæ* variis, & multis tam veteris, quam novi Testam. oraculis. Omissis autem brevitatis gratia testimoniis vet. Test. quæ S. Pater fuse allegavit, sola Christi Domini verba attendamus, quæ contra nostros adversarios abunde sufficiunt.

349. Et primo quidem Christus Jesus prædixit, *prædicandum Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus* Matth. XXIV. 14. Post autem mandavit discipulis suis, ut irent *in mundum universum & docerent omnes gentes* Marci XVI. & Matt. XVIII., tum ut ipsi testimonium redderent *in Jerusalem, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ* Actor. I. 8. Dixit etiam, oportere prædicari *in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus* (scil. Apostolis) *ab Jerosolyma* Lucæ XXIV. 47. Quæ verba expendens S. Augustinus Libro cit. c. 10. inquiebat: *teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cæptura, & quousque perventura esset; cæptura scilicet ab Jerusalem, & perventura in omnes gentes*.

350. Infinitus porro essem, si omnia S. Augustini, aliorumque Patrum loca congerere vellem, quibus contra Hæreticos ostendebat, apud ipsos non esse veram Ecclesiam, quia hæc debet esse Catholica, seu toto orbe diffusa; ipsorum autem sectæ erant arctis quibusdam limitibus conclusæ. Hoc fere unico argumento triumphabat S. Pater contra Donatistas, quia evidentissimæ erant promissiones Dei, Ecclesiam debere toto terrarum orbe diffundi, & evidentissimum erat quoque, nonnisi Ecclesiam nostram fuisse divina potentia per totum orbem propagatam, eademque potentia toto orbe conservari. *Date mihi*, inquiebat c. 6. *hanc Ecclesiam, si apud vos est: ostendite, vos communicare omnibus gentibus .... a Deo hanc, furore deposito, accipite, non a me, sed ab illo ipso, in quo benedicuntur omnes gentes*. Videatur enim S. Optatus Lib. II. *adv. Parmenianum*, ubi probabat, Ecclesiam veram esse apud nos, quia nostra Ecclesia in omnibus mundi partibus invenitur: *cum inde Ecclesia dicta sit Catholica, quod sit ubique diffusa*.

351. Prob. secunda pars ex S. Augustino, qui in Libro *De vera Religione* cap. 7. Tom. I. *tenenda est nobis*, inquit, *Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque hæretici, & schismatici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. Et contra epist. fundamenti* c. 4. T. VIII. enumeratis pluribus vinculis, quibus se Ecclesiæ nostræ constringi dicebat, *tenet postremo*, concludit, *& ipsum catholicæ nomen; quod non sine causa inter tam multas hæreses sola Ecclesia hoc nomen obtinuit*.

352. Nec omitti debet præclarum illud S. Paciani dictum in epist. ad Sempronianum: *Christianus mihi nomen, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.* Quod argumentum etiam nostra ætate valet; usus enim semper retentus est, ut nostra Ecclesia ab omnibus appelletur *catholica;* communiones autem ab ea separatæ propriis nominibus distinguantur, ut Ecclesia Lutheranorum, Calvinistarum &c.

353. Haud ignoramus, nomen solum satis non esse ad aliquid comprobandum, dicente Salviano *de providentia* Lib. IV. *nomen sine actu, & officio suo nihil esse;* argumentum tamen S. Augustini efficax erat, quatenus ostendebat, nostram Ecclesiam jam a primis temporibus fuisse hoc nomine ab hæreticorum, & schismaticorum conventiculis distinctam, quod certe non alia de causa factum est, quam quia illa erat vere catholica, seu toto orbe diffusa, illorum autem conventicula limitibus conclusa.

354. Deinde S. Pater ostenderat, & nos etiam ostendere possumus, solam illam Ecclesiam, quæ debitam Romano Pontifici obedientiam profitetur, habere in omnibus mundi partibus filios; adeo ut non satis mirari possimus, & laudare divinam providentiam, quod hanc extensionem per totum mundum nulli Protestantium, aut aliorum hæreticorum cœtui, imo nec ipsi Ecclesiæ græcæ, quanquam majorem, quam omnes aliæ habeat amplitudinem, convenire permisit; qua de re infra redibit sermo.

355. Obj. 1. Ecclesia dicitur *catholica*, non quod sit toto orbe diffusa, sed aliis de causis. Primo *negative*, quia nulli genti, ac nulli loco est restricta, secus ac Synagoga, cujus centrum erat Jerusalem, & nonnisi populum Israeliticum complectebatur; non autem *affirmative*, quasi omnes homines, & omnia loca comprehendat. Secundo dicitur Ecclesia *catholica* etiam affirmative, quia continet omnes electos: unde in Symbolo jubemur credere Ecclesiam esse *catholicam;* fides autem est eorum, quæ non videntur; & sic Ecclesia *catholica* est objectum fidei, quia complectitur electos, qui non videntur. Demum definiente Vincentio Lirinensi in *Commonit.* cap. 3. *hoc est vere proprieque catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Non potest ergo aliunde cognosci Ecclesia catholica, quam ex doctrinæ examine, an nempe, ut idem Lirinensis loquitur, *universitatem, antiquitatem, consensionem* doctrinæ retinuerit; non itaque ex diffusione per totum orbem debet colligi, Ecclesiam esse vere catholicam.

356. Resp. nos non negare, his, aliisque sensibus posse dici Ecclesiam Christi *catholicam;* contendimus tamen etiam *catholicam* dicendam esse propter diffusionem per totum orbem; ut scilicet non *negative* solum sit catholica, quatenus nec locis, nec personis est alligata; sed etiam *affirmative*, quia debet saltem *moraliter* ad omnes mundi partes, atque ad omnes nationes se extendere; & non solum comprehendere omnes electos, qua ratione esset Ecclesia invisibilis (quod supra c. II. abunde refutavimus), sed comprehendere omnes, qui eamdem habent professionem fidei, eadem Sacramenta, & subsunt legitimis Pastoribus, quorum caput supremum est Rom. Pontifex. Demum non negamus, Ecclesiam dici *catholicam*, etiam propter doctrinam, quæ semper, & ubique, & ab omnibus credita est, & immutabilis conservata. Sed dicimus, fuisse a Christo promissum, hanc doctrinam esse toto mundo diffundendam, semperque visibiliter conservandam. Hoc modo non possunt Hæretici, vel Schismatici ostendere, suas Ecclesias esse *catholicas;* & sola Romana Ecclesia est vere *catholica*. Ita respondebat S. Augustinus Vincentio Rogatistæ simile quid objicienti (*a*).

457. Inst. Si hoc sensu nomen *catholicæ* accipiatur, non potest Ecclesiæ Romanæ convenire, cum jam multæ, & populosæ sint nationes, in quibus ipsa plane Christiana religio ignoratur, & multo plures gentes, quæ Ecclesiam Romanam, ut Satanæ Synagogam, detestantur, ut proinde nihil minus verum sit, quam nostram Ecclesiam esse toto orbe diffusam (*b*).

358. Respondeo primo. Ecclesiam nostram etiam tunc fuisse catholicam, quando minus, quam tunc, extensæ erat; quia, ut Cresconio Donatistæ respondebat S. Augustinus (Lib. III. *contr. Cresconium* cap. 64. Tom. IX.), *Evangelium crescendo fructificare non cessat, donec in omnibus cum fuerit prædicatum, veniat finis, sic enim Dominus ait Matth. XXIV. 14. & prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in te*-

sti-

(*a*) In epist. XCIII. num. 23. Tom. II. ita Sanctus Pater hæretici objectionem exponit: *Actum autem aliquid tibi videris dicere, cum Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium sacramentorum*. Respondet autem S. Doctor, primo hanc observantiam esse aliquid occultum, Ecclesiam autem debere esse *manifestam*. Deinde non dubitat asserere, quod, *sicut anathema erit, qui annuntiaverit, Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate Evangelica accepimus: oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die; sic erit anathema quisquis annuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium, quia eadem veritate consequenter accepimus, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem*.

(*b*) Ita objiciebat olim Cresconius apud S. Augustinum Lib. III. *cont. Cresc.* c. 63. Tom. IX. scilicet quod *nobis non totus orbis communicet, quia vel adhuc multæ sunt gentium barbararum, quæ in Christum nondum crediderunt, vel sub nomine Christi hæreses multæ a communione nostræ societatis alienæ*.

*stimonium omnibus gentibus*, *& tunc veniet finis*. Et futurum aliquando unum ovile, & unum Pastorem Christus ipse prædixit Jo. X. 16.

359. Deinde extra omne dubium est, Ecclesiam nostram esse multo latius disseminatam, quam singulas aliorum sectas, saltem divisim acceptas. Si igitur nostra Ecclesia non est catholica, consequens erit, divinas promissiones defecisse, vel, si id impium est asserere, sola nostra Ecclesia utpote latius ceteris omnibus extensa, dicenda erit vere *catholica*.

360. Demum quamvis Ecclesia Romana totum non occupet orbem eo sensu, ut sit ubique sola; est tamen reipsa toto orbe diffusa eo sensu, ut nulla sit mundi pars, & nulla natio, in qua non habeat suos Pastores, & suos fidei prædicatores; & cum verbum Dei *non revertatur vacuum* (Isaiæ LV. 11.), etiam ubique habet filios. Ejus quoque filii sunt hæreticorum, & schismaticorum infantes sacro baptismate abluti, quousque adultam ætatem attingentes hæresi, vel schismati non adhæreant. Si qui item sunt inter adultos invincibili ignorantia laborantes, & propterea ab hæresis, vel schismatis culpa immunes, isti etiam ad Ecclesiam Catholicam pertinent, quamquam non ita facile hæc ignorantia invincibilis inveniatur. Vid. quæ dicta superius sunt num. 288. & seq. tum Dissert. II. num. 169.

361. Talis diffusio est nostræ unius Ecclesiæ propria; cum nec Lutheranorum, nec Calvinistarum sectæ sint ubique dispersæ; imo nec Ecclesia Orientalis, neque Mahumetismus, neque Paganismus, quæ sectæ in extensione Protestantium communiones multum superant, jactare possit, se in omni loco habere asseclas, ut merito Ecclesia nostra gloriatur, in qua sola fuerunt divinæ promissiones impletæ.

362. Obj. 2. Multa sunt sacr. litterarum utriusque testam. loca, in quibus prædicitur, Ecclesiam fore in paucis conclusam. Sic figura ejus fuit arca Noe, in qua nonnisi octo animæ salvæ factæ sunt. Christus etiam Lucæ XII. 32. Ecclesiam vocat *pusillum gregem*; & Matth. VII. 14. paucos esse dicit, qui intrant per augustam portam, quæ ducit ad vitam, item XX. 16. paucos esse electos: nota quoque sunt ejusdem vaticinia de infelicibus Antichristi temporibus, in quibus vix pauci electi tentationi resistent. Ac denique S. Joannes Apocal. XII. 6. Ecclesiam exhibet sub figura mulieris, quæ fugit in solitudinem, quibus omnibus, aliisque id genus bene multis quid aliud significatur, quam Ecclesiam nonnisi in paucis fidelibus inventum iri? Non ergo amplitudo, & universalitas potest esse ejus nota (*a*).

363. Resp. cum S. Augustino, objectis sacr. scripturarum locis non significari Ecclesiam, prout complectitur simul bonos, & malos, & cui talis promissa est amplitudo, ut toto terrarum orbe extendatur, sed designari solum electos, qui collati cum malis, & reprobis pauci sunt, & recte vocantur *pusillus grex*, quamvis etiam boni, & electi absolute, & in se non sint pauci, sed multi. Unde illud apud Matth. VII. 11. *multi ab Oriente venient*, *& recumbent cum Abraham*, *& Isaac*, *& Jacob in regno cælorum*: & illud ad Titum II. 14. de Christo; *ut mundaret nos sibi populum abundantem* (*b*), *æmulatorem bonorum operum*; ac demum Apocal. V. 11. S. Joannes vidit numerum eorum, qui stabant in circuitu throni, & erat numerus *millia millium*, idest innumerabilis. Ita respondebat Donatistis S. Augustinus *de unitat. Eccl.* cap. 13.: & concludebat c. 14. *ecce ipsi dicuntur multi*, *qui dicuntur & pauci*. *Quare? nisi multi per se ipsos considerati; pauci tamen in comparatione iniquorum*. Isti sunt in Ecclesia sicuti in arca, ut a perditione salventur. Isti ingrediuntur per angustam portam; & isti etiam turbulentissimis Antichristi temporibus tentationi non cedent. De vaticinio autem S. Joannis, vide, quæ supra dicta sunt n. 75.

364. Dices. Quando Ecclesia primo exorta est, non erat certe toto orbe diffusa; hoc enim debebat fieri successiva Evangelii propagatione: ergo tunc non erat *catholica*, nec poterat tunc hac nota discerni, adeoque &c.

365. Respondeo id parum obesse, cum adeo celeriter admirabilis Evangelii propagatio facta fuerit, ut antequam morte sublati essent Apostoli, jam in toto mundo floreret Ecclesia. Sane S. Paulus Romanis scribens inquiebat c. I. 8. *fides vestra annunciatur in universo mundo*. Hinc etiam ab ipso sui exordio Ecclesia sibi nomen *catholicæ* usurpavit; nam S. Ignatius Petri post Evodium in cathedra Antiochena successor in epist. ad Smyrnenses num. 8.: *ubi fuerit*, inquit, *Christus Jesus*, *ibi catholica est Ecclesia*. Et ipsi Smyrnenses apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 15. epistolam scripserunt *omnibus ubicumque terrarum sanctæ*, *& catholicæ Ecclesiæ populis*. Et quidem jure hoc sibi nomen tribuebat, tum quia erat jam admodum dilatata, tum etiam quia divinis promissionibus certo confidens, non dubitabat, se a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone, & mari, & in omnes omnino gentes esse diffundendam (*c*).

366. Neque etiam quisquam objiciat ea tempora, in quibus nonnumquam se vidit Ecclesia propter furentes hæreses, vel internas discordias, pro-

pter

(*a*) *His, atque hujusmodi exemplis hæretici suam paucitatem commendare conantur, & in sanctæ Ecclesiæ multitudinem toto orbe diffusam blasphemare non cessant*. Sanct. Augustinus *de unit. Ecclesiæ* c. 13. T. IX.

(*b*) Ita legebat S. Pater; sed nostra vulgata habet: *& mundaret sibi populum acceptabilem* (græce περιούσιον) *sectatorem bonorum operum*.

(*c*) Henr. Valesis in not. ad cap. 10. Lib. VII. *Histor. Eccles.* Eusebii, probat, cognomen *Catholicæ* tributum Ecclesiæ fuisse circa *primam Apostolorum suc-*

pter Pastorum ignaviam, & ignorantiam, Principum scandala, & populorum scelera quasi in angustias redactam; fuerunt enim ea tempora procellosa, quibus Petri navem agitandam esse Christus jam significaverat: (Matth. VIII. 24. seq.) sed non diu procellæ, & tempestates durarunt. Christus enim, qui tunc quasi dormire videbatur, brevi expergefactus imperavit ventis, & facta est tranquillitas; & si aliquando Ecclesia suum splendorem ex una parte amisit, ex aliis postea eumdem brevi recuperaverit. Sic clades, quas Ecclesiæ intulit teterrimum Lutheranorum, ac Calvinistarum schisma, fuerunt abunde reparatæ in novi orbis acquisitione, ubi rapidissimo cursu fuit religio catholica propagata, & hodiedum florentissima conservatur, semperque magis extenditur.

367. Imo si hæc Ecclesiæ mala attentius considerare velimus, manifeste apparebit, eam non nisi omnipotenti Dei virtute conservari potuisse. Ipsa enim tot tempestatibus intus, forisque, & longissimo tempore jactata solis humanis præsidiis diu durare nullatenus potuisset. Interim tamen vidit Judaicam nationem, a qua primæ persecutiones ortæ sunt, a propriis sedibus expulsam, atque errare toto orbe dispersam. Vidit Imperatores, Reges, & Principes, qui eam omni vi tollere frustra conati sunt, tandem victos suo jugo humiliter colla submittere. Vidit hæreticos suos rebelles filios variis temporibus contra se dolis, fraudibus, & sæpius etiam armis aperta rebellione insurgere; sed eosdem etiam vidit, communi omnium bonorum anathemate prostratos, ac tandem ocius serius dissipatos. Id certe non humanis viribus, sed unice ejus virtute contingere poterat, qui se cum Ecclesia futurum usque ad consummationem sæculi promiserat, ut numquam contra eam portæ inferi prævalere possent.

368. Obj. ult. Diffusio quantumvis maxima potest convenire etiam errori: quid enim olim magis late patens, quam superstitio, & idololatria, quæ totum occupaverat orbem? Non igitur sufficit Ecclesiæ Romanæ per totum orbem diffusio, ad probandum ipsius doctrinam esse veram.

369. Resp. Diffusionem solam, & in se consideratam non esse notam veritatis, bene vero, si spectetur, ut a Christo Servatore nostro prædicta, ut nempe possimus ita firmiter colligere: Ecclesiæ veræ promissa est ab ipsius fundatore, & capite Christo Domino talis amplitudo, ut toto diffundatur orbe: atqui soli Ecclesiæ Romanæ reipsa talis amplitudo convenit: ergo sola Romana Ecclesia est vera. Vel saltem hoc modo: veræ Ecclesiæ promissa est a Christo diffusio per totum orbem; sed sectæ Protestantium, aut schismaticorum hanc diffusionem non habent: ergo non sunt vera Christi Ecclesia; si autem vera Ecclesia non est apud ipsos, indubie apud nos erit. Ulterius gentium superstitio inconstans, & varia semper fuit, & ipsa diversitate locorum, ac populorum diversa; Ecclesia autem Christi semper, & ubique eadem, & in suis dogmatibus immutabilis. Demum superstitio habuit finem, virtute Christi Domini ubique fere abolita; vera autem Ecclesia nec defuit umquam, nec deficere potest.

370. Scholion. Multis sensibus, ut supra innuimus, Ecclesia dicta est, & dici potest *catholica*, seu *universalis*; non tamen eo sensu, quem multi Heterodoxi ex suis principiis ponere adstringuntur, ut scilicet comprehendat vel omnes, vel saltem præcipuas Christianæ Religionis sectas; videlicet omnes illas, quæ in articulis fundamentalibus conveniunt. Contra hoc systema, quod ex sublata suprema, & infallibili Ecclesiæ auctoritate necessario fluit, quodque apud Protestantes majores semper vires acquirit, satis dictum est in superiore dissertatione c. VI. & VII. Concludo verbis Lactantii Lib. IV. *Divin. Instit.* cap. ult.: *Sola igitur Catholica Ecclesia est*, *quæ verum cultum retinet*. *Hic est fons veritatis*, *hoc domicilium fidei*, *hoc templum Dei: quod si quis non intraverit*, *vel a quo si quis exiverit*, *a spe vitæ*, *& salutis æternæ alienus est*.

## ARTICULUS V.

*Ostenditur*, *veram Ecclesiam Christi debere esse* Apostolicam, *atque hanc notam soli Ecclesiæ Romano-catholicæ convenire*.

371. Ecclesia Christi duabus potissimum de causis dicitur *Apostolica*. Primo propter doctrinam Apostolorum fideliter custoditam; secundo propter perpetuam, & numquam interruptam seriem Pastorum, qui Apostolis successerunt, cum Ecclesia sine Pastoribus esse non possit: definiente enim Sancto Cypriano epist. LXIX. *Ecclesia est plebs Sacerdotis adunata & Pastori suo grex adhærens*. Hæc autem successio non debet semper esse *immediata*, cum Apostoli non fundaverint omnes Ecclesias particulares, debet tamen esse saltem *mediata*, ita ut omnes tandem Ecclesiæ suam originem a primis illis Apostolicis trahant, & sint, ut eas appellavit Tertullianus *de præscript. Hæreticor.* cap. 20., *Ecclesiarum Apostolicarum soboles*.

372. Nimis longum esset, & a præsenti instituto alienum, de singulis Ecclesiæ nostræ dogmatibus examen instituere, atque ostendere doctrinam nostram esse vere *Apostolicam*. Ad id tamen generaliter confirmandum ea sufficere possunt, quibus supra cap. III. ostendimus, Ecclesiam

*cessionem*, cum hæreses multis in locis exortæ veram Christi fidem, & Apostolorum traditionem subvertere conabantur.

siam in dogmatibus fidei nec defecisse unquam, nec posse deficere. Quamobrem nihil aliud restat, quam ut demonstremus, Ecclesiam nostram esse *Apostolicam*, ratione Pastorum, qui sibi perpetuo successerunt.

373. Hæc autem successio potest in omnibus fere præcipuis Ecclesiis facile demonstrari, sed sufficit etiam ostendere in Ecclesia Romana, quæ, ut loquitur Concilium Tridentinum, est *omnium mater, & magistra*. Reipsa quotquot ex antiquis Patribus de Apostolica Pastorum successione egerunt, ut Irenæus, Eusebius Cæsariensis, Epiphanius, Optatus, & Sanctus Augustinus, aut solum, aut præcipue Romanos Pontifices enumerandos censuerunt, non alia profecto de causa, nisi quia inde unitas Sacerdotalis profecta est. Id autem manifeste apparebit ex nonnullis eorum testimoniis, quæ brevitatis gratia ex multis seligemus.

374. S. Irenæus Lib. III. *Adv. Hæreses* cap. 3. postquam præmisisset, posse enumerari eos, qui in variis Ecclesiis constituti sunt Episcopi, eorumque successores usque ad nos, peculiariter disserit de successione Pontificum Ecclesiæ *a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ; ad hanc enim Ecclesiam*, subdit, *propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio;* ac deinde omnes Petri successores enumerat usque ad Eleutherium, qui tunc Petri Cathedram obtinebat.

375. Integer postea hac in re exscribendus esset aureus ille Tertulliani liber, quem inscripsit *de præscriptione hæreticorum* (a). Sed paucis contenti erimus. Cap. 20., postquam observasset, Apostolos apud unamquamque civitatem Ecclesias condidisse, *a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ ceteræ deinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur*, subdit: *omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, & Apostolica*. Pergit deinde, & ex Apostolica Ecclesiarum origine præscribit contra hæreticos, doctrinam Apostolorum non alibi quærendam esse, quam in Ecclesiis, quas ipsi fundaverunt, aut quæ earumdem sunt filiæ. Unde etiam subdit cap. 21: *communicamus cum Ecclesiis Apostolicis ..... hoc est testimonio veritatis*.

376. Sed clarius adhuc cap. 33. ita hæreticos compellat: *edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveravit, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt*. Hoc autem solum nostræ Ecclesiæ proprium esse ostendit.

377. Pergit porro Tertullianus, atque in Ecclesia universa principatum tribuit Ecclesiæ Romanæ, de qua inquit cap. 36.: *ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*.

378. Ac demum cap. 37. ita nomine Ecclesiæ hæreticos omnes urget: *qui estis? quando, & unde venistis? quid in meo agitis, non mei? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo; vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos* (b).

379. Optatus etiam Milevitanus Lib. II. *contra Parmenianum* postquam recensuisset Apostolicæ Sedis Antistites usque ad Siricium, ita schismaticos Donatistas alloquitur: *vos vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*.

380. Denique instar omnium aliorum sit S. Augustinus, cui Donatistæ occasionem præbuerunt hanc controversiam de Ecclesia accurate, copioseque tractandi. In *Psalmo* autem *contra partem Donati* Tom. IX. *numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit, videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*.

381. Idem argumentum enucleatius explicat in epist. LIII. ad Generosum n. c. ubi ait: *si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus .... Petro enim successit Linus &c.* & omnes ex ordine recenset usque ad Anastasium, qui tunc trigesimum octavus post Petrum Romanam Cathedram occupabat. Post tempora vero S. Augustini hæc Romanorum Pontificum successio perpetuo conservata fuit, usque ad Pium VI. cui longum, & felix regnum Ecclesia tota precatur.

382. Et sane ad constituendos Ecclesiæ Pastores

(a) Rigaltius in nota censet, minus recte legi ab aliquibus titulum hujus libri *de præscriptionibus adversus hæreticos*.

(b) Frustra Jacob. Basnagius in secunda sua *Pastoral. Instruction*. Roterod. 1720. §. 1. hanc celebrem Tertulliani provocationem sugillat, tanquam purum putumque sophisma, quo etiam pagani contra Apostolos uti potuissent, eos interrogando: *qui estis? unde, & quando venistis?* Frustra inquam; Apostoli enim publice respondebant, testantes se esse Apostolos Jesu Christi, qui magnis, & certissimis miraculis, præcipue autem gloriosa sua resurrectione, se esse verum Filium Dei, & Messiam in lege promissum invictissime demonstraverat: se esse ab illo missos, & missionis suæ veritatem, non solum divina ejus doctrina, sed signis etiam, & prodigiis manifestissime ostendere. Ita respondeant, si possunt, omnes hæretici, quotquot sunt, si possunt, inquam, suæ missionis evidentia signa monstrare.

res requiritur missio, quæ fit in sacra ordinatione; hæc autem missio, seu ordinatio ab Episcopis fieri debet, qui rursus fuerunt ab aliis Episcopis ordinati, & hi rursum ab aliis usque ad Apostolos, qui fuerunt *immediate* a Christo instituti, & missi ad prædicandum Evangelium, fundandas Ecclesias, suosque successores in sacro ministerio constituendos. Necesse est igitur, in vera Ecclesia esse perpetuam Pastorum successionem ascendendo usque ad Apostolos, qualem in Ecclesia Catholico-Romana inveniri hactenus demonstratum est.

383. Non ita autem se res habet apud Protestantes, quos possumus Tertulliani verbis superius allatis urgere, ut *edant origines Ecclesiarum suarum;* vel aliis, quibus hæreticos sui temporis novitatis convincebat, inquiens ejusdem Libri *de præscript.* cap. 30. *Ubi tunc Marcion?.... Ubi Valentius?.... Nam constat, illos neque adeo olim fuisse....& Catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem &c.* Et in Lib. *adv. Praxeam* cap. 2. ipsum Praxeam vocat *hesternum;* unde inferebat, adversus ipsum, & *adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum esse, id esse verum quodcumque primum, id esse adulterum quodcumque posterius.*

384. Reipsa primi eorum antesignani in Ecclesia catholica orti sunt, à qua postea funesto schismate se separarunt: vel itaque ab illis primo incipit in ipsorum sectis Pastorum linea, & tunc nulla eorum communio dici potest origine *Apostolica;* vel ad Pastores nostræ Ecclesiæ confugere debent, ut hanc lineam usque ad Apostolos ducant, & tunc concedere coguntur, nostram Ecclesiam esse *Apostolicam*, adeoque se ab Apostolica Ecclesia separasse.

385. Rursus Lutherus, & Zuinglius, qui primi pseudo-reformationem inchoarunt, erant quidem Sacerdotes, at non Episcopi; Calvinus autem ne Sacerdos quidem; unde non apparet, quomodo ab Ecclesia Catholica missionem habuerint, ut inter ejus Pastores cooptarentur, ac proinde in Apostolicam Pastorum seriem succederent, aliosque Pastores legitimos constituerent; ordinare enim & mittere Pastores ad solos pertinere Episcopos, plusquam certum est, unde illud S. Hieronymi in epist. 146. ad Evagrium *quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

386. Neque eos juvat, ad missionem *extraordinariam* confugere, qua *immediate* a Deo ipso se suscitatos, & missos aliquando jactabant, ad reformandam Ecclesiam. Non, inquam; nam primo nemo amplius a Deo mittitur, quantum ad dogmata fidei, cum tota, quanta est revelatio, jam plenissime a Jesu Christo Dei Filio facta sit, & Ecclesiæ ut fideli ejus custodi tradita. Secundo semper Deus consuevit missiones extraordinarias miraculis insignibus confirmare, ne ullum esset illusionis, vel seductionis periculum. Id patet exemplis Moysis, Prophetarum, Apostolorum, atque ipsius Christi, quorum omnium missio fuit multis, magnisque prodigiis illustris. Nullum autem tale signum missionis *extraordinariæ* habuerunt nostri Ecclesiæ pseudo-reformatores.

387. Simili argumento utebatur Tertullianus contra sui temporis novatores *De præscrip. Hæret.* cap. 30. inquiens: *Sic* (Christum) *Apostolos solos facere; dare illis virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur; illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.*

388. Solent quidem se tueri exemplo Sancti Joannis Baptistæ, cujus missionem extraordinariam nullis volunt fuisse miraculis confirmatam. Sed hæc evasio fuit superius jam præoccupata num. 326.

389. Etiam præclusum fuit num. 323. aliud effugium, quo dicunt, non agi hic de novis revelationibus, sed de veteri Ecclesiæ doctrina in sacris litteris contenta ab erroribus, qui irrepserunt, repurganda.

390. Nec denique quidquam valet, quod dicere nonnunquam solent, unicuique mandatum fuisse a Deo de proximo suo; unde etiam exempla laicorum allegant, qui sine missione Evangelium cum fructu prædicarunt. Sic Act. VIII. 4. dicitur, fideles dispersos *pertransisse regiones evangelizantes verbum Dei:* & ex *Hist. Eccl.* Theodoreti Lib. I. cap. 23. scimus Edesium, ac Frumentium laicos Christianam relig. apud Indos prædicasse, ac late propagasse.

391. Non, inquam, hæc valent; nam primum exemplum potest contra Adversarios retorqueri: neque enim fideles illi, quorum mentio est in Actibus Apostolorum, ausi sunt Ecclesias sua auctoritate fundare, ac Pastores constituere; sed ad hoc præstandum missi sunt Apostoli Petrus, & Joannes.

392. Id etiam fecerunt sine dubio Edesius, & Frumentius. Ac de postremo narrat Theodoretus, eum Alexandriam profectum fuisse ad Athanasium Ecclesiæ illius Antistitem, qui Episcopalis gratiæ (ἱερατικῆς χάριτος) ordinem ipsi impertitus est; & tunc Frumentius in provinciam rediens *Apostolicis miraculis editis, & signorum efficacia dictis fidem, atque auctoritatem adstruens plurimos quotidie lucrabatur.*

393. Obj. 1. Ut Ecclesia Protestantium dicatur *Apostolica*, sufficit, ut eam habeat doctrinam, quam Apostoli tradiderunt. Tertullianus enim *de præscript. Hæret.* cap. 32. loquens de Ecclesiis posterius institutis, dicit, eas *non minus Apostolicas deputari pro consanguinitate doctrinæ:* hoc autem est, quod Protestantes dicunt, examinandam esse doctrinam, easque Ecclesias esse vere *Apostolicas*, quæ doctrinam ab Apostolis traditam retinent.

394.

394. Resp. Vere utrumque requiri, & Pastorum successionem ab Apostolis incipientem, & etiam Apostolicam doctrinam, ut Ecclesia dicatur, & sit Apostolica. Si alterutrum desit, jam Ecclesia non erit Apostolica; cum igitur Protestantibus desit successio Apostolica, certe eorum communiones dici non possunt Apostolicæ. Id expresse Tertullianus loco ipso objecto ab Hæreticis exigebat, inquiens: *ita omnes hæreses ad utramque formam* ( nempe ad successionem, & doctrinam ) *nostris Ecclesiis provocatæ probent se quoque, ut putant, apostolicas*. Porro facile erat Tertulliano ostendere, Hæreticorum sui temporis conventicula a doctrina Apostolica longe recessisse, nec omnino difficile nobis esset id ipsum ostendere de communionibus Protestantium; sed cum hoc examen, ut sæpius dictum est, rudium capacitatem superet, non potest statui pro nota Ecclesiæ. Contra autem res se habet in successione Apostolica, quæ in omnium oculos incurrit.

395. Obj. 2. Ecclesia græca, aliæque orientales non minus quam Romana gloriantur de nunquam interrupta Pastorum successione; nec tamen habemus pro veris Ecclesiis: non igitur successio Apostolica sufficit &c.

396. Resp. Apostolicam successionem apud Græcos schismaticos, aliasque communiones orientales tunc defecisse, cum se ab Ecclesia catholica separarunt, imo & in errores ab Ecclesia damnatos inciderunt. Ut enim supra n. 376. vidimus cum Tertulliano, ut aliqua Ecclesia sit Apostolica, necesse est, ut habuerit auctorem, & antecessorem aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, *qui tamen cum Apostolis perseveraverit*.

397. Et quidem duo hac in re secernenda sunt. Aliud enim est, in vera Ecclesia necessario requiri successionem perpetuam Pastorum; aliud hanc successionem sufficere, ut vera sit Ecclesia. Hinc, quia Protestantes hanc Pastorum successionem non habent, eorum Ecclesia *Apostolica* dici non potest, adeoque nec vera Ecclesia. Non tamen ab opposito Græci schismatici, aut aliæ communiones orientales jactare possunt, se habere veram Ecclesiam, etiamsi habeant Pastorum successionem non interruptam, quia a vera Apostolica Ecclesia, ejusque supremo capite per schisma, ac etiam per hæreses se separarunt.

398. Obj. 4. Series Pastorum etiam in Ecclesia Romana interrupta est primo, quando Imperatores cœperunt Romanos Pontifices sua auctoritate eligere, quod sæculo X. & XI. non semel factum est: 2. quando Pontificum electio devoluta est ad Cardinales, qui humanæ, & recentioris sunt institutionis, non autem divinæ, vel apostolicæ: 3. quando a Simoniacis, & improbis Pontificibus Romana cathedra polluta fuit: quod nec Baronius ipse diffitetur ad ann. Christi 897.

399. Resp. primæ, & secundæ difficultati, distinguendam esse Pontificum ordinationem ab eorumdem electione. Hæc secunda pro diversitate temporum, & circumstantiarum mutari potuit, & mutata reipsa fuit. Sed ordinatio, vel consecratio, quæ proprie constituit Ecclesiæ Pastores, iisque intrinsecam clavium tribuit potestatem, semper eadem fuit, est, & erit; utpote quæ a Christo *immediate* descendit, & mutari nequit.

400. Nec refert, quod ad invidiam conflandam tertio loco objiciebat de Pontificum Romanorum vitiis; hæc enim vitia, utut enormia, nonnisi particulares eorumdem Pontificum personas deturpant, non autem diminuunt auctoritatem Cathedræ Apostolicæ, sicut non diminuebatur auctoritas cathedræ Mosaicæ, quando Pharisæi hypocritæ in ea sedebant. Imo peculiaris Dei providentia in eo relucet, quod permiserit quidem corruptissimos quorumdam Romanorum Pontificum mores, eorum tamen fidem integram, sartamque semper servaverit. Neque illud omittendum, nonnisi paucissimos Rom. Pontifices atrocium quorumdam criminum potuisse accusari, omnes fere alios non solum integritate fidei, sed etiam puritate morum Apostolicam S. Petri Cathedram honorasse; ac multos denique Sanctorum cultum fuisse promeritos.

401. Quantum vero attinet ad electiones simoniacas, quoad tales ab Ecclesia judicatæ, & declaratæ non sunt, nihil propter eas legitimæ Pastorum auctoritati demendum est.

402. Dices (a), successionem defecisse Romanorum Pontificum in Eugenio IV. qui Basileensis Concilii decreto dejectus fuit a Pontificatu, subrogato in ejus locum Amedeo, seu Felice V. post autem Principum favore Eugenius Pontificatum recepit, sed sine nova legitima electione. Porro, cum inde prodierit quidquid Paparum, Cardinalium, Episcoporum &c. postea fuit, sequitur, successionem summorum Pontificum, aliorumque in Ecclesia Romana Pastorum fuisse ex eo tempore interruptam.

403. Resp. depositionem Eugenii IV. factam in Concilio Basileensi fuisse illegitimam, & nullam; imo Concilium eo tempore non fuisse amplius œcumenicum, tum quod major Episcoporum pars ab eo jam discesserat; tum quod vel ipsæ nationes, quæ prius Concilio adhærebant, non amplius eidem suffragabantur; tum denique, quia ipsa Ecclesia neque Eugenii depositionem, neque Amedei electionem unquam ratam habuit; unde etiam Amedeus ipse a dignitate Pontificia, quam immerito se gerere cognovit, se ultro abdicavit, ac fuit postea sola Cardinali purpura contentus.

404. Scholion. Singulæ, quas hactenus recensuimus notæ, & aliæ nonnullæ, quæ addi possent, liquido ostendunt, Romanam Ecclesiam esse veram, & antiquam illam Ecclesiam, quam Chri-

(a) Cum Calvino in Præfat. *Institutionum Christ. Relig.* ad Franciscum Regem Christianissimum.

Christus suo sanguine sibi acquisivit, & cum qua se perpetuo futurum promisit. Multo autem magis id ostendunt, si non divisim, sed collectim simul omnes sumantur. Hinc S. P. Augustinus cap. 4. *contra epist. fundamenti* Tom. VIII. omnia simul colligens, *multa sunt alia*, dicebat, *quæ in ejus* ( Ecclesiæ Catholico-Romanæ ) *gremio me justissime tenet. Tenet consensio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicæ nomen.... Ista ergo tot, & tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenet credentem in catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem* ( Manichæos, nos vero possumus dicere Protestantes ), *ubi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio &c.*

## DISSERTATIO IV.

*De Romani Pontificis primatu ( S. Thomas Lib. IV*. contra Gentil. cap. 76. )

1. Doctissimus Bossuetus celebri Abbati de Lokum dicenti, Protestantes Catholicis circa Primatum Rom. Pontificis facile consensuros, si omnibus probarentur, quæ Ellius Du-pin ( in Diss. *de antiqua Eccl. disciplina* ) ex Gallicanæ Ecclesiæ sententia protulit; ita respondit ( Tom. I. *Œuvres posth.* p. 123. ): *Primatum Petri, ac Romanorum Pontificum, Petri successorum de jure divino esse, omnes Catholici, & Ecclesia Gallicana maxime profitetur. Id Alliacensis, Gerson, aliique Parisienses ad unum omnes: id Ecclesiæ Gallicanæ, atque Universitatis Parisiensis omnia acta testantur. Scitum, illud Facultatis Theologiæ Parisiensis adv. Lutherum... art.* 23.: Nec minus certum, unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani obedire tenentur.... *Quod autem de Rom. Pontificis primatu minus plene, ac perspicue scripsit* ( Ellius Du-pin, cui addi potest etiam Jo. Launojus ), *nec nostri probant, & ipse sive exponit, sive emendat* (*a*). Ad hoc itaque commune omnium Catholicorum dogma hac dissertatione contra Protestantes, & Schismaticos defendendum aggredimur. Quod ut efficiamus, tria a nobis præstanda sunt. Primo, ostendendum, hanc in universa Ecclesia primatus dignitatem fuisse a Servatore nostro institutam, & Sancto Petro collatam. Secundo, S. Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum usque ad mortem fuisse. Tertio, Romanum Pontificem, Petri successorem eadem Primatus prærogativa potiri; hoc enim tertium sine aliis duobus consistere nullo modo potest (*b*).

### CAPUT I.

*Ostenditur, S. Petrum fuisse a Christo Domino Apostolorum, totiusque Ecclesiæ caput, ac principem constitutum.*

2. Controversia nobis præcipua est cum Protestantibus, qui id aperte negant, nec alium S. Petro principatum a Christo collatum dicunt, quam solius honoris, & ordinis, non autem potestatis, & jurisdictionis; cum Græcis recentioribus, qui ab avita majorum sententia recedentes Petri primatum tollere nituntur (*c*); deinde etiam cum quibusdam aliis, qui sæculo elapso parem S. Paulo potestatem, ac S. Petro tribuisse, accusati sunt (*d*).

PRO-

(*a*) Dupinius in fine suæ Dissert. *De Primatu Rom. Pont.* nonnullas prærogativas recenset, ex Romanæ Ecclesiæ primatu jure divino fluentes, quæ certe indicant, ipsum noluisse Rom. Pontifici solius ordinis primatum tribuere. De Gallicanæ Ecclesiæ doctrina circa hoc dogma Vid. Petr. Ballerinus *De vi, ac rat. primatus Roman. Pont. cap.* 4.

(*b*) Ad hæc tria evincenda nos provocat Joan. Francisc. Buddeus *Instit. Theolog.* Lib. 5. cap. 3. §. 6.

(*c*) Vid. *Confessio Orient. Eccl.* Lipsiæ primo græce, & latine vulgata 1695. post autem Wratislaviæ 1751. P. I. quæst. 85.

(*d*) Prima hujus sententiæ origo invenitur in præfat. celebris libri Antonii Arnaldi *de frequenti communione* ( quæ tamen præfatio a Martino de Barcos, Joan. Wergerii Abbatis Sancti Sygirani nepote elucubrata fuerat, si vera refert Racine Tomo XI. *Abrégé de l'Histor. Eccl.* art. 18. n. 17. ). In ea enim præfatione Sancti Petrus, & Paulus *duo Romanæ Ecclesiæ capita, quæ nonnisi unum faciant*, appellantur. Porro cum id multorum animos offendisset, idem Barcosius duobus aliis libris suam sententiam tueri perrexit, quorum alter inscriptus erat: *Traité de l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul*, alter *la grandeur de l'Église Romaine établie sur l'autorité de S. Paul;* qua occasione non exiguus librorum numerus prodiit; donec tandem Innocentius X. re, ut fieri solet, diligenter examinata, in Congregat. S. Officii coram se habita die 25. Jan. 1647. ut hæreticam hanc propositionem damnavit: *S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ coryphæi, ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerant; vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt;* si tamen ita explicetur, *ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ.* Confer P. Mamachium T. I. *Orig. & Antiq. Christ.* p. 351. & seq. nec non Ittigium ab eo laudatum, qui totam hujus controversiæ historiam contexuit in *Heptade dis-*

## PROPOSITIO.

*S. Petrus fuit a Christo Apostolorum Princeps constitutus, quamobrem jure divino primatus jurisdictionis in tota Ecclesia potitus est.*

3. Prob. 2. ex Sacris Litt. Nam Matth. XVI. cum Petrus Dei singulari revelatione instructus Christi divinitatem confessus esset, ita eum Servator est allocutus v. 18.: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (a). *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque solveris &c.* Hujusmodi autem verbis significari Primatus prærogativam, & dignitatem, plura sunt quæ persuadent. Primo Petrus dicitur *Petra*, seu fundamentum, super quo Ecclesia ædificatur; id est autem fundamentum in ædificio, quod princeps in civitate. Secundo ipsa immutatio nominis aliquid singulare Petro tributum innuit, quemadmodum cum Deus Genes. XVII. 5. Abrahami nomen immutavit, eumque postea *Abrahamum* vocari jussit, voluit indicare, ipsum Patrem multarum gentium futurum. Tertio promittit Christus, se Petro daturum potestatem clavium, ligandi, atque solvendi, quod cum singulariter Petro dicatur, non ceteris, ut patet ex pronomine demonstrativo sæpius repetito, *Tu es Petrus*, *Tibi dabo &c.*, aliqua certe prærogativa significatur, quæ nullatenus fuerit ceteris Apostolis communis, aliter nihil peculiare Christus Petro promisisset: hæc autem specialis prærogativa nihil aliud esse potuit, quam primatus honoris simul, & jurisdictionis. Accedit communis Ecclesiæ traditio, qua, ut infra ostendemus, his verbis Primatum fuisse S. Petro promissum, post Christi ascensionem reipsa conferendum, aperte constat (b).

4. Similis est alter Evangelii locus Joan. XXI. 15. & seq., ubi cum Dominus semel, iterum, ac tertio Petrum interrogasset: *Simon Joannis, diligis me plus his?* respondisset autem Petrus: *Domine, tu scis, quia amo te*, Christus iterato adjecit: *pasce agnos meos*, tertia autem vice dixit: *pasce oves meas*. Ut quid autem repetita hæc de amore interrogatio, repetitumque pascendi Dominici gregis mandatum Petro datur, si nullum peculiare, & a ceteris distinctum munus illi collatum fuisset? Sane quemadmodum majorem præ ceteris a Petro amorem requirebat, ita majorem, quam ceteris, illi potestatem tribuere voluit. Nomine autem ovium bene multi sancti Patres intelligunt Episcopos ( vid. inf. n. 42. ), qui & ipsi a Petro, ejusque successoribus pasci debent. Et quamvis præceptum, & jus pascendi fideles in doctrina omnibus Episcopis datum sit, ut sancti Patres Basilius ( in *Constit. Monasticis* c. 23. ) Ambrosius ( *de dignitate Sacerd.* c. 2. ) August. ( *de agone Christi* c. 40. ) aliique explicant; id tamen cum hierarchica subordinatione intelligendum est, ne unitas Ecclesiæ fœdo schismate proscindatur. Unde S. Bernardus Eugenium R. P. alloquens dicit de Episcopis ( Lib. II. *de Consideratione ad Eugenium* cap. 8. ): *Habent illi assignatos sibi greges singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor* (c).

5. Denique Petrum fuisse ceteris Apostolis a Christo prælatum, aliis etiam argumentis in Scriptura non obscure insinuatur. Nam primo, ubi Apostoli recensentur, Petrus omnium *primus* nominatur ( Matth. X. 2., Marci III. 16., Lucæ VI. 13. ). Ulterius sæpe seorsim a reliquis ponitur, tamquam eorum caput; ut cum Marci I. 36. dicitur: *Simon, & qui cum illo erant*, Lucæ VIII. 45. Petrus, *& qui cum illo erant*, & Act. II. 14. *stans Petrus cum undecim*. Tertio quando actum est de uno aliquo in locum Judæ proditoris subrogando, Petrus tanquam aliorum princeps *exurgens in medio fratrum*, quid facti opus esset, proposuit; quomodo intelligendæ essent Scripturæ, declaravit, totam denique electionis formam ordinavit, perspicue distinguens, quænam sui ipsius tanquam capitis, quænam aliorum partes essent ( Act. I. 15. & seq. ). In celebri etiam Apostolorum synodo de observantia legalium ( Act. XV. 7. seq. ) Petri principatus apparet; cum enim *magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit &c.* primus omnium sententiam ferens, cui omnes alii unanimi suffragio postea adhæserunt. *Tacuit omnis multitudo*, inquit S. Hieronymus ( epist. 74. ad 89. ad S. Augustinum ), *& in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt*.

6. Neque vero satis est dicere, Petrum fuisse aliis Apostolis ordine solum præpositum; quia ceteros

*sertationum appendici Diss. de hæresiarchis subnexa*.

(a) Hieronymus ita commentatur hæc verba: *& ego dico tibi, non sermone casso, & nullum habente opus; sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est*.

(b) Sam. Basnagius in *Annal.* ad an. 82. n. 29. his verbis *Petro aliquid privilegii fuisse contributum* fatetur, vult tamen id esse *a dignitate monarchica valde discrepans*. Si Basnagius solum proprie dictam Monarchiam a S. Petro excludit, non paucos etiam inter Catholicos sibi consentientes inveniet; sed si solum *ordinis* principatum statuere velit, cum verbis Evangelicis aperte pugnat; potestas enim clavium, de qua ibi sermo est, est *jurisdictionis, non honoris* tantum privilegium.

(c) Simili sensu S. Bruno Astensis S. Bernardo coævus in Homilia dicta in Vigilia festi S. Petri de eodem inquiebat: *Prius agnos, deinde oves ei* ( Christus ) *commisit, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit*. Nec alii desunt antiquiores, qui eamdem explicationem illorum verborum, *pasce oves meas*, tradiderunt.

teris, sive ætate, sive vocatione ad Apostolatum antiquior erat. Nam quantum ad vocationem, Andream fuisse prius, quam Petrum vocatum, insinuatur in Evangelio Joan. cap. I. 40. & seq. Quis autem duorum fratrum esset ætate major, Scriptura tacente definire non est facile (*a*), quod etiam Sam. Basnagius, vir inter adversarios nostros magni nominis, aperte fatetur (*b*). Quod si aliqui Patres dicunt, Petrum vel propter majorem ætatem, vel propter vocationem priorem fuisse ceteris Apostolis præpositum, hi nobis minime adversantur; loquuntur enim de prælatione nedum *honoris*, sed etiam *jurisdictionis*, quamcumque demum ejus fuisse causam existimaverint. Alia enim fuit Christo Domino causa instituendi in Ecclesia primatum auctoritatis, alia eumdem primatum conferendi S. Petro. Unde facile illi Patres intelliguntur, qui varias afferunt causas, cur Petro potius, quam alteri Ecclesiæ principatus collatus fuerit (*c*).

7. Nostræ etiam propositioni tota suffragatur Ss. Patrum traditio, ex quibus nonnulla modo testimonia afferemus, alia autem solutionibus argumentorum opportunis aptabimus. Eos prætermitto, qui Evangelistarum morem imitati, S. Petrum primo loco nominarunt, & me confero ad Origenem, qui (Hom. V. in Exod. n. 4. Tom. II. Edit. Paris.) Petrum vocat *magnum Ecclesiæ fundamentum, & petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam*. Hom. autem *de diversis* eumdem S. Petrum *summum Apostolorum verticem* appellat. S. Cyprianus epist. LXXI. *Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam* (*d*). Eusebius Cæsariensis (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 14.) S. Petrum appellat *fortissimum, & maximum inter Apostolos, & virtutis merito reliquorum omnium principem, ac patronum* (*e*). S. Cyrillus Alex. (Lib. XII. in Joan.) Petrum dicit *ceterorum caput, ac principem*. S. Joan. Chrysostomus (Hom. LV. in Matth.) *Ecclesiæ Pastorem, & caput* (*f*): & rursus (Hom. III. *in Acta Apost.*) *Chori Apostolici principem:* ac denique (Hom. LXXXVII. in Joan.) *Os, principem, & verticem Apostolorum*. S. Augustinus (in Ps. CVIII. n. 1.) S. Petrum Ecclesiæ personam gestasse dicit, *propter primatum, quem in discipulos habuit*; idemque repetit Tract. CXXIV. in Joan. dicens: *Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui principatum gerebat figurata generalitate personam ... natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus, idemque primus Apostolus*. Agmen claudat S. Leo, qui (Serm. III. *in anniv. die suæ assumpt.* cap. 2.) *De toto mundo*, inquit, *unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocatione*

(*a*) Baronius ad an. 31. n. 24. putat, Andream fuisse etiam ætate Petro majorem: id quod ex Sanct. Epiphanio acceptum est *Hær.* 51. Hieronymus contra Lib. I. *cont. Jovinianum* Petrum seniorem fuisse credit, eique propter ætatem delatum fuisse primatum. Quod idem sentiunt etiam Chrysostomus Hom. LIV. in Matth., & Cassianus Lib. III. *De Incarn.*

(*b*) In *Annal. Eccl. politicis* ad an. Christi 30. n. 33.

(*c*) Joan. Harduinus in Præf. ad N. V. solita sua audacia novam, & Patribus omnibus inauditam causam commentus est, quare Petrus fuerit ceteris Apostolis a Christo prælatus; quod nempe *latine sciret, & esset propterea idoneus, ut Ecclesiæ caput, & Principem Apostolorum decebat, ad prædicandum latine verbum Dei, & cum Romanis ferenda colloquia*. Didicerat autem S. Petrus linguam latinam, non Spiritu S. docente, sed in Jerosolymitano illo gymnasio, quod Harduinus ad juventutem in linguis græca, & latina instruendam fundatum esse somniavit. Sed quod postea magis lepidum est, si Harduinum audiamus, S. Petrus numquam Romæ fuit; de qua re videbimus postea. Sed missis his nugis, Sancti Patres alias afferunt graviores causas, cur Petro potius, quam alteri Apostolorum fuerit hæc eximia dignitas collata. Præcipua autem fuit major ipsius fides, & charitas. Male autem ex his caussis M. Antonius de Dominis Lib. I. *de repub. Ecc.* c. 4. n. 7. infert, nonnisi primas honoris partes fuisse Petro concessas. Neque enim primatus solius ordinis sine ulla potestate ad Ecclesiæ regimen sufficiebat, quæ causa fuit instituendi primatum.

(*d*) Censui supersedendum ab iis verbis S. Cypriani Lib. *de unit. Ecclesiæ* n. 7.: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur*; ne scilicet cum Latinio, Rigaltio, Fello, aliisque Criticis, an sint genuina, litem non necessariam instituamus, cum alia suppetant ejusdem Sancti Mart. luculenta in rem nostram testimonia. Vid. Not. in hunc locum, & Præf. edit. Baluzianæ factæ a D. Prud. Maran. Paris. 1726. Invenimus tamen hujusmodi verba citata a Pelagio II. qui obiit an. 590. in Ep. 2. ad Eliam, & Episcopos Istriæ. Manutius in sua editione operum S. Cypriani facta Romæ anno 1573. ex vetustissimis codicibus, & potissimum ex Veronensi, cujus antiquitas ad novem sæcula computabatur, ea verba, ut legitima, retinuit. Eademque ut genuina defenderunt Remondus Rusus contra Molinæum, & Alanus Copus in *Dialogo primo contra Centuriatores Magdeburgenses* (seu potius Nic. Harpsfeldus Anglus, qui sub regno Elisabethæ multa pro religione catholica fortiter passus, fuit horum dialogorum editor). Videri etiam hac de re potest Nat. Alexander Diss. XII. in Sæc. XIII. & XIV. n. 12.

(*e*) Frustra Casaubonus illam vocem ἀρχήγορον, quam Valesius post Ruffinum, & Christophorsonum vertit *Principem*, vult esse latine reddendam *primum locutorem*. Hæc enim Casauboni interpretatio nedum verbo græco non respondet, sed nec Eusebii scopo, qui ibi dicit, a Dei clementia fuisse Petrum Romam perductum, ut Simonem Magum confunderet, ut scilicet *hæreticæ pravitatis principi*, quomodo cap. præc. idem Eusebius Simonem vocat, *Apostolorum princeps* opponeretur.

(*f*) Cavillatur Justinus Febronius Tomo III. n. 29. seq. contendens, a Sanctis Patribus Christum solum fuisse appellatum *Caput Ecclesiæ*, *Petrum vero nunquam*. Sed allata S. Joan. Chrysostomi verba eum falsitatis convincunt. Et si etiam hoc verum esset, sufficerent aliæ loquendi formulæ ad nostram propositionem confirmandam.

*vationi*, *& omnibus Apostolis*, *cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur*, *ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint*, *multique Pastores*, *omnes tamen proprie regat Petrus*, *quos principaliter regit & Christus*.

8. Obj. contra primam prob. Verba illa, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non referuntur ad Petrum, sed ad Christum. Nam Apostolus 1. Cor. X. 4. dicit: *Petra autem erat Christus*. Ulterius S. Augustinus ( Ser. XIII. *de verbis Domini* Tom. V. ) ita verba illa interpretatur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *super me ædificabo te*, *non me super te*; & Tract. CXXIV. in Joann. *Intelligitur*, inquit, *Christus petra*, *Petrus Ecclesia*. Idem docent Origenes ( Tom. XII. in *Matth.* n. 10. ), Eusebius, & alii.

9. Resp. Et Christum, & Petrum esse illam *petram*, supra quam ædificata est Ecclesia, diverso tamen sensu. Christus enim est petra principalis, primumque totius ædificii fundamentum, unde etiam Apostolus 1. Cor. II. 11. inquit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, *præter id*, *quod positum est*, *quod est Christus Jesus*. Petrus autem erat petra, & fundamentum secundarium, & ministeriale, quatenus vicaria Christi potestate fungens, ceteris Apostolis, & fidelibus præerat. Constat autem ex obvio contextus sensu, ibi *petram* non de Christo dici, sed de Petro; alias periocha esset valde implexa, si Christus ita dixisset: *Simon*, *tu es Cephas*, *seu petra*, *& super hanc petram*, *nempe super me*, *ædificabo Ecclesiam meam*. Hinc S. Hieronymus ( in c. XVI. Hieremiæ ) *non solum*, inquit, *Christus petra*, *sed & Apostolo Petro donavit*, *ut vocaretur petra*; & sæpius sancti Patres obvium contextus sensum secuti verba illa ad Petrum referunt, quamvis aliquando etiam referant ad Christum.

10. S. autem Augustinus ad Christum, & ad Petrum ea verba referri posse docuit. Nam in Lib. I. *Retr.* c. 21. de suo Opere loquens, quod contra ep. *Donati* elucubraverat, *in hoc Libro*, inquit, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro*, *quod in eo*, *tanquam in petra*, *fundata sit Ecclesia*; post autem affert aliam interpretationem sæpius a se adhibitam, qua scilicet per *petram* intelligebat Christum; ac tandem concludit: *harum duarum*, *quæ sit probabilior*, *eliget lector*.

11. Inst. 1. Nonnulli sancti Patres nomine petræ ministerialis, seu fundamenti secundarii intelligunt non Petrum solum, sed omnes Apostolos. Insignis est Eusebii Cæsariensis locus ( comment. in Ps. XVI. ): *Si fundamentum*, inquit, *Ecclesiæ cogites*, *primo quidem infractam illam*, *& solidam petram*, *in qua fundata est*, *secundum illud: supra petram ædificabo Ecclesiam meam*... *Petra autem erat Christus*; *aut*, *ut Apostolus indicat his verbis*: *fundamentum aliud nemo potest ponere &c. at post ipsum Salvatorem fundamenta Ecclesiæ existimes esse propheticos*, *& apostolicos sermones secundum Apostoli dictum* ( Eph. II. 20. ); *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, *nequaquam a scopo aberraveris*. *Hæc igitur orbis fundamenta revelata sunt*. Idem tradit S. Athanasius in Ps. XLVII.

12. Respond. Etiam Apostolos ceteros posse *petram*, & *fundamenta Ecclesiæ* appellari, sed post Petrum, quemadmodum Petrus his nominibus appellatur post Christum: ut enim in ædificio materiali est quædam veluti series fundamentorum, ita in Ecclesia, ut primum, maximum, & proprie dictum, seu, uti alii loquuntur, *essentiale* fundamentum sit Christus; post ipsum Petrus fundamentum est *secundarium*, & *ministeriale*, cum ipsum Christus in cœlum ascendens in Ecclesia sua ceterorum caput visibile esse voluerit: deinde vero Apostoli, qui in universum mundum ad fundandas Ecclesias dispersi sunt, fundamenta etiam ministerialia appellari possunt, sed Petro aliqua ratione inferiora. Id non ignoravit, nec inficiatus est Eusebius, qui ( Hom. V. in Ex. n. 5. Tom. II. ) Petrum vocat *magnum illud Ecclesiæ fundamentum*, *& petram solidissimam*, *supra quam Christus fundavit Ecclesiam*: quibus verbis aliquid Petro singulariter attributum cæcus est qui non videat. Unde etiam S. Hieronymus Lib. II. *contr. Jovinianum*, *Licet*, inquit, *super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur*, *tamen propterea inter duodecim unus eligitur*, *ut capite constituto*, *schismatis tolleretur occasio*.

13. Inst. 2. Alii Patres Ecclesiam fundatam dicunt supra Petri confessionem, seu supra fidem, quæ in Ecclesia deficere non potest, & propterea recte dicitur Ecclesiæ fundamentum. Ita S. Hilarius, inquiens ( Lib. 6. *de Trin.* ) *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est*... *Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum*. *Per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum*. Unde etiam S. Thomas 2. 2. quæst. 174. art. & ita explicat illa verba *super hanc petram*, *scilicet confessionis tuæ &c.* (a).

14. Resp. Sanctos Patres Ecclesiam fundatam dicere supra Petri confessionem non excludendo ipsius Petri personam, sed potius utrumque conjungendo, itaut Ecclesia Christi dicatur fundata supra Petrum simul, & supra ejus confessionem, supra Petrum quidem *formaliter*, secundum Scholæ vocabula: supra illius vero confessionem *causaliter*, & *meritorie*; quia Petrus confitendo Christi divinitatem, ut sibi Primatus conferretur, quadam ratione promeruit (b). Hinc iidem sancti Patres

tres

(a) Ingentem similium copiam affert P. Mamachius p. 161. seq. T. V. *Orig. & Antiquit. Christ.*

(b) Promeruit, inquam, non merito Pelagiano ex ejus viribus orto, quemadmodum a nobis asseri, vel per

tres Ecclesiam modo supra Petri confessionem, modo supra ipsum Petrum fundatam dicunt, quia unum cum altero non pugnat, sed ambo in diverso sensu amice conjunguntur. Audiatur pro omnibus S. Hilarius ( *in Matth.* c. XVI. ) *Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est... Beatus hic est, qui ultra humanos oculos intendit se, & vidisse laudatus est... O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra &c.*: & S. Basilius ( Lib. II. *adv. Eunom.* post init. ) *ædificatam super Petrum Ecclesiam*, dicit, *quia fide præstabat* (a).

15. Inst. 3. Si Christus voluisset iis verbis Petrum indigitare, non dixisset: *Tu es Petrus*, sed *Tu es Petra*, ut recte S. Augustinus observat in Libro I. *Retract.* c. 21.

16. Resp. Si S. Joannis relationem audiamus, omnia evanescit difficultas, ita enim habet cap. I. 42.: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Neque vero nos conturbet illud verbum *vocaberis* a S. Joanne adhibitum, quasi Petrus fuerit tantum appellatus, non autem reipsa constitutus Ecclesiæ *petra;* non inquam: sexcentis enim exemplis demonstrari potest, in sacris Litteris *vocari* idem prorsus sonare, ac *esse*, ut cum Isaias de Messia vaticinans inquit cap. IX. 6.: *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis:* videlicet *erit admirabilis* &c.: his enim nominibus fuisse Messiam appellatum, nemo est, qui ignoret. Ita non absimiliter intelligenda sunt verba Christi: *Tu vocaberis Cephas*, videlicet, *tu eris petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam.*

17. Sed si etiam Sancti Matthæi narrationem attendere velimus, cum ille Syro-hebraica lingua suum Evangelium scripserit, ut omnes fere eruditi censent, nil mirum est dixisse: *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. quia Syriaca lingua idem est *Petrus*, & *Petra* (b). Quod si tandem contendatur, Matthæum græce scripsisse Evangelium ( ut aliqui, quamquam parum verosimiliter, volunt ), dico, πέτρος, & πέτρα, idem prorsus significare (c). Fortasse vero Evangelista cum Petri personam designare voluit, usus est masculino nomine dicens, *tu es Petrus;* cum autem ejus officium, feminino dicens: *Et super hanc petram* &c. Quod si Augustinus aliter sensit; *ratio grammaticæ eum fefellit*, inquit Petrus de Marca (d), *cum Petram aliud esse a Petro ex linguæ Syriacæ ignoratione putaverit.* Ceterum in eodem loco etiam *petram* referri posse ad Petrum S. Augustinus concedit, & unicuique liberum relinquit, ut quam probabiliorem interpretationem putat, sequatur. Imo hanc interpretationem & ipse Augustinus sequitur super Psal. LXIX. num. 4. dicens *Petrum fuisse appellatum Petram, super quam fabricaretur Ecclesia.* Vide sup. num. 10.

18. Instab. 4. Christus eodem loco v. 23. appellavit Petrum *Satanam:* ergo non est verisimile, eum designare voluisse per illam *petram*, super quam ædificaturus erat Ecclesiam, nisi dicere velimus, Ecclesiam esse super *Satanam* ædificatam.

19. Resp. Petrum fuisse appellatum Satanam, hoc est *adversarium* ( id enim *Satan* significat ) quando Christum a toleranda passione dehortabatur; quod certe non impedit, ipsum fuisse petram, & fundamentum Ecclesiæ designatum. Christus enim nondum gratia sua illum ita consolidaverat, ut jam esset Ecclesiæ fundamentum; sed in se postea facturum promiserat Lucæ XXII. 32. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

20. Obj. 2. contra alia verba: *Et tibi dabo claves* &c. S. Augustinus ( Tract. L. in Joann. ) vult Petro non alia ratione esse traditas claves, nisi quatenus Ecclesiam præfigurabat. *Si hoc*, inquit, *Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesiæ. Si autem & in Ecclesia fit.... Petrus quando claves accepit, præfigurabat Ecclesiam.* Vid. etiam in Serm. 295. n. 1. Tom. IV.

21. Resp. Petrum utique præfigurasse Ecclesiam, non tamen quocumque modo, sed tamquam supremum in ea caput, & principem; quod S. Augustinus luculenter in eodem opere declarat, inquiens: *Ecclesiæ Petrus Apostolus* &c. Vide supra n. 7.

22. Inst. Etiam aliis Apostolis datæ sunt claves a Christo, cum ipsis dictum est Matth. 18. 28. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Similiter etiam pascendi dominicum gregem curam universis Christus demandavit, cum dixit Matth. cap. postremo 19. *Euntes docete omnes gentes;* quæ verba expendens S. Isidorus Hispalensis ( *De offic. Eccl.* Lib. II. cap. 5. ) dicebat: *siquidem & ceteri Apostolorum Petro par consortium honoris*

calumniam, vel per inscitiam Casaubonus fingit *Exerc. in Baronium* n. 11.; sed merito ex gratiæ ope proveniente; ut Petrus non minus, quam Paulus dicere debuerit: *Gratia Dei sum id, quod sum* I. Cor. XV. 10.

(a) Haud inepte observavit Cardinal. Petronius in *Resp. ad Britanniæ Regem cap.* 56., veteres Patres, qui ante Arianam hæresin floruerunt, Tertullianum, Origenem, & Cyprianum, retulisse allata Christi verba ad personam S. Petri: alios vero posteriores ad ejusdem confessionem, quia hæc confessio Sancti Petri iis peropportuna erat ad veram Jesu Christi divinitatem contra blasphemias Arianorum vindicandam; non tamen ipsam Petri personam exclusisse.

(b) Vid. Maldonatus in hunc locum.

(c) Vid. Jo. Scapula in *Lexico*.

(d) In Diss. *de discrimine Clericorum & Laicorum* c. 3. n. 33.

*ris*, *& potestatis acceperunt*. Ergo nihil ex iis pro Petri Primatu extundi potest.

23. Resp. cum S. Thoma ( in IV. *Sentent.* Dist. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. ): *Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, atque solvendi; tamen, ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios debet ista potestas descendere*. Id autem præterquamquod ex constanti Patrum traditione aperte colligitur, etiam ipsa verba a nobis superius allata luculenter insinuant. Antequam enim clavium potestas ipsi tradatur, præmittitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* & antequam pascendi agnos, & oves præceptum illi imponatur; dicit: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Vel itaque frustra hæc a Servatore nostro, & sine ulla significatione præmissa sunt; vel, si hoc impium est cogitare, concludendum est, non eodem modo fuisse Petro ac ceteris Apostolis clavium potestatem, pascendique dominici gregis curam demandatam; sed Petro ut capiti, ceteris autem ut ministris capiti subordinatis. *Quamvis*, inquit S. Cyprianus ( in Lib. *de unit. Eccles.* ), *Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cui retinueritis, tenebuntur; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Eadem fere habet etiam S. Hieronymus Lib. I. *adv. Jovinian.* imo & ipse Isidorus Hispal. in epist. ad Fulgentium Tolet. Episcopum, ubi Petri Primatum ex multis Sacræ Scripturæ locis ostendit (a).

24. Instab. 2. Traditio clavium non designat summam potestatem. Legimus enim Isaiæ XXII. 22. fuisse dictum de Eliacim: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*. At vero Eliacim servus erat Regis Ezechiæ, ac præpositus ipsius domus. ( 4. Reg. XVIII. 18. & XIX. 2. )

25. Resp. Hoc loco nostram potius confirmari, quam labefactari, sententiam; certum est enim, per clavem domus David ibi significari summam sacerdotii potestatem, quam Dominus a Sobna ablatam Eliacim tradere constituit, unde Eliacim inter summos veteris Synagogæ Pontifices numerari solet (b). Quod vero Eliacim servus fuisse dicatur Ezechiæ, parum refert; id enim intelligendum videtur de eo tempore, quo nondum ad summum Sacerdotii gradum evectus fuerat.

26. Imo hinc etiam eorum sententia exploditur qui clavium potestatem, quam Christus Petro, & Apostolis tradidit, nihil aliud fuisse volunt, quam facultatem docendi, explicandi, & interpretandi sacras litteras. Sane hæc potestas clavium in summis Sacerdotibus vet. Test. veram jurisdictionem in spiritualibus negotiis significabat: cur ergo idipsum non significabit etiam in novo?

27. Obj. 3. Si Petro fuisset principatus a Christo iis verbis: *Tu es Petrus* &c. & *Pasce oves meas* collatus, id minime ignorassent ceteri Apostoli, quibus audientibus ea Petro dicta sunt; atqui tamen ceteros Apostolos id ignorasse ex eo maxime liquet, quod, ut dicitur Lucæ XXII. 24., *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major:* quæ certe contentio non fuisset excitata, si omnibus notum, perspectumque jam erat, Petrum esse aliorum caput. Hanc autem contentionem omnino de Primatu fuisse, ex circumstantiis colligi potest; facta est enim in ultima cœna, postquam Christus se brevi tradendum esse prædixit, unde occasionem cœperunt Apostoli quærendi, quis Christi abeuntis vices gesturus esset. Sed illud notatu dignum, quod Christus ad hanc contentionem tollendam, non respondit, Petrum esse ceteris majorem, sed potius omnem inter eos præcellentiam eliminatam voluit, subdens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*.

28. Respond. Non deesse interpretes, qui putent, hanc Apostolorum contentionem ab Evangelista Luca fuisse relatam loco non suo, utpote quæ multo ante ultimam cœnam contigerit, & legendum esse: *Fuerat autem & contentio eorum* &c. Certe Matthæus XX. 2. illa Christi verba: *Principes gentium dominantur eorum* &c. ea occasione refert, qua mater filiorum Zebedæi rogavit, ut unus eorum ad dexteram, alter ad sinistram in regno ejus sederet (c). Quod si admittatur, fortasse contentio inter Discipulos exorta est, antequam Christus Petrum ceterorum Principem designasset.

29. Verum si quis omnino velit, hanc contentionem fuisse in postrema cœna enatam, dico, nihil ex ea contra sacrum Petri principatum erui posse, quia ibidem Christum solummodo Primatum ambitione quæsitum, & superbo supercilio administratum excludit, cujusmodi erat Regum gentilium dominatio; non autem Primatum ad ædificationem Ecclesiæ Petro collatum, quique cum eximia humilitatis virtute conjunctus esset; quamobrem non respondit Christus: *Nullus sit inter vos*

(a) Ita enim habet: *Quod vero de parilitate agitur Apostolorum, Petrus præeminet ceteris, qui a Domino audire meruit: Tu es Petrus &c. Pasce agnos meos. Honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit, cujus dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa; specialius tamen Roman. Antistiti singulari privilegio, velut capiti, ceteris membris celsiori, permanet in æternum &c.*

(b) Vid. S. Hieronymus in Chron. c. 42.

(c) Vid. Maldonatus, & Grotius in Commentariis.

*vos major*, *& omnes estote æquales*; quod utique eum respondere oportebat, si omnem a collegio Apostolorum dignitatis præcellentiam remotam voluisset; sed dixit, *qui major est in vobis* &c. pro certo habens, aliquos inter eos esse inæqualitatis gradus.

30. Demum etiamsi concederetur, Apostolis non omnino compertum fuisse eorum verborum sensum, quibus Christus Petrum, ut eorum Principem, designaverat, nihil sequeretur absurdi. Namque neque futuram Christi resurrectionem plene cognoverunt, quamvis ab eo sæpius prædictam (confer Joann. XX. 9.). Ceterum post Christi ascensionem in cœlum, nullus amplius Petrum omnibus prælatum esse dubitavit.

31. Nemo tamen molestius sciscitetur, quare Christus hac occasione, qua nulla opportunior videbatur, perspicue, & explicate Petrum futurum ceterorum Principem non declaraverit? Non, inquam: similibus enim quæstionibus haud facile est satis facere, sive quia omnes rei gestæ circumstantiæ non innotescunt; sive etiam quia nonnulla ab inscrutabili judiciorum Dei abysso pendent. Et si hoc argumentum semel valeat, in pluribus aliis fidei capitibus, quæ nobiscum Protestantes confitentur, valere poterit.

32. Instab. 1. Neque post Christi ascensionem Apostoli aliquam dignitatis præcipuæ prærogativam agnoverunt in Petro. Nam primo, ut legitur in Act. Apost. VIII. 14. Apostoli eum miserunt simul cum Joanne in Samariam; ut vero nemo fidelium, quibus persuasum est, Rom. Pontificem esse in tota Ecclesia Primatem, eum aliquo mittere præsumeret. Secundo. Petrus accusatus, quare Gentilibus evangelizaret, coactus est se purgare Act. XI. 3. seq. quod in supremam dignitatem cadere non posse videtur. Tertio. Multo minus cum Petri principatu conciliari potest acris illa reprehensio, qua Paulus in faciem ei restitit, eo quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii ad Gal. II. 11. seq. Quarto. Quotiescumque aliqua in Ecclesia vel electio, vel controversiæ decisio facienda fuit, eccur Petro delata non est, si ipse prima, supremaque auctoritate potiebatur? Demum. Aliquando in sacris Litteris Petrum nominatum invenimus, non primo loco, ut certe Apostolorum Principem decebat, sed vel intermedio, vel etiam postremo (Joann. I. 44. 1. Cor. I. 12. item III. 22. & IX. 6. ac denique ad Gal. II. 9.).

33. Resp. Apostolos satis perspicuis argumentis in Petro singulare aliquod dignitatis privilegium manifestasse, ut supra declaravimus n. 5. Ad 1. autem dico, Petrum fuisse ab aliis Apostolis missum non auctoritate dominii, sed communi consilio, propter rei, de qua agebatur, gravitatem, ut scilicet fides a Philippo in Samariam jam plantata, profundiores radices figeret, & latius etiam propagaretur. Sic fideles, qui erant Antiochiæ, exorta legalium controversia, Paulum, & Barnabam, procul dubio ipsis dignitate, auctoritateque præcellentes, miserunt Jerosolymam ad consulendos Apostolos.

34. Ad 2. resp. disceptationem illam non esse factam auctoritate imperii, quasi Petrus iis Judæis, ad fidem conversis, qui contra eum disceptabant, tanquam non solum par, sed plane subjectus rationem reddere debuisset; sed potius inquirendo; neque enim, ut Estius observat, primi illi Christiani ex circumcisione videntur fuisse in mysteriis omnibus plene instructi; Petrus autem Pastoris mansuetudine, non subjectionis necessitate, optimum factu putavit, eorum, quæ a se gesta fuerant, rationem exponere, ut hac occasione mysterium vocationis Gentilium eos edoceret. Ita Christus non semel & doctrinæ, & pastorum suorum rationem reddere non est dedignatus (*a*).

35. Ad 3. resp. S. Thomas (2. 2. qu. 33. art. 4. ad 2.): *Ubi immineret periculum fidei, etiam publice essent Prælati a subditis arguendi: unde Sanctus Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit. Et sicut Augustinus dicit* (ep. 82. al. 19. n. 22.) *Petrus rarius, & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi* (*b*). Itaque facile hoc argumentum solvitur, quin necesse habeamus ad eorum sententiam confugere, qui Cepham a Paulo reprehensum esse a Petro diversum commenti sunt, quam sententiam Harduinus restaurare conatus est.

36. Ad 4. resp. nedum Petrum, sed etiam quemlibet Apostolorum ex peculiari Spiritus S. afflatu, qui iis semper præsto erat, potuisse & quæstiones circa fidem exortas tuto definire, & quæcumque ad Ecclesiæ politiam pertinebant, constituere; id tamen facere noluisse, ut exemplum posteris relinquerent, quomodo graviora Ecclesiæ negotia tractanda forent. Ceterum in omnibus hujusmodi rebus vel definiendis, vel constituendis, Petrum ratione suæ auctoritatis primas partes exercuisse jam demonstravimus (vid. supr. n. 5.)

37. Ad ultim. respond. Certe ab Evangelistis, u-

(*a*) Hanc S. Petri humilitatem jure miratur Sanctus Gregorius M. in ep. XLV. olim 39. ad Teoctistam Patriciam Lib. XI. Indict. IV. inquiens: *Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, ut quacumque in terris ligaret, vel solveret, essent in cælo ligata, vel soluta: super mare ambulavit, ægrotantes umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat... Et tamen idem Apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querelæ fidelium non potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exponit &c.*

(*b*) Vid. etiam in Lect. III. super cap. II. ep. ad Galatas.

ubi omnes Apostoli ex ordine recensentur, primas semper Petro dari, ut supra ostensum est n. 5. Nec vero Evangelistis contrarius est S. Paulus. Nam in 1. ad Corinth. c. I. cum ait: *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi*, manifeste loquitur ordine inverso, & postremum locum sibi ex modestia tribuit, superiorem Apollo, adhuc majorem Petro, supremum Christo. Idipsum facit in aliis duobus capitibus III., & IX. ejusdem epistolæ, semper Petrum extremo loco nominans dignitatis causa. In epistola vero ad Gal. putant multi factam esse Exscriptorum incuria transpositionem, & legendum esse *Cephas, & Jacobus, & Joannes*, quomodo apud Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, aliosque Patres, necnon in vetustissimis codicibus, adhuc legitur.

38. Inst. 2. Quando Apostolus Ecclesiasticam hierarchiam ex instituto describit, ut Eph. IV. 14., & 1. Cor. XII. 28. nullam prorsus facit capitis alicujus mentionem, & utrobique primo loco Apostolos nominat. Sane, inquit *Basnagius* (*ad an.* 31. *n.* 78.) Pontificis Mosaici auctoritatem, quæ Sacerdotibus præstabat, in Vet. Testamento videmus ita fuisse depictam, ut titulis, vestibus, functionibus ab aliis templi ministris secerneretur. Cur ego idipsum in novo Testam. factum non est cum Petro, si ceteris Apostolis reipsa dignitate præstabat?

39. Resp. A S. Paulo *implicite* in locis laudatis Primatum intelligi, dum Apostolos nominat, in quibus erat Petrus Primatus prærogativa distinctus: alibi vero Scriptura ejusdem mentionem *explicitam* facit, & argumentum negativum nullius est roboris, quando positivo opponitur. Neque vero multum refert, si novo Testamento Primatus prærogativa externis iis honorum signis distincta non est, quibus in veteri Synagoga summi Sacerdotes uti solebant, præsertim si loquamur de ea ætate, qua Ecclesia Christi ob furentes Gentilium persecutiones externam cæremoniarum solemnitatem adhibere non poterat. Sufficit, summam Petri dignitatem non obscuris Scripturarum oraculis, & perspicuis Traditionis testimoniis fuisse nobis certo certius manifestatam.

40. Obj. 4. S. Patres docent, omnes Apostolos fuisse pares. Nam primo S. Cyprianus: *Hoc erant utique*, ait, (*de unitate Ecclesiæ*.) *& ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis..... Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Secundo S. Ambrosius de S. Petro loquens Primatum illi tribuit, sed non jurisdictionis, & auctoritatis. *Statim* inquit (*de Inc.* c. 4. n. 32.) *loci non immemor sui primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris: primatum fidei, non ordinis*. Tertio S. Gregorius M. dicit (Lib. V. ep. 18.), Petrum fuisse Ecclesiæ *membrum*, non *caput*. Demum Clemens Alex. (a) non Petro, sed potius Jacobo Primatus dignitatem collatam dicit. Ait enim, *post Servatoris ascensum, Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipsos ceteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognominatum justum Jerosolymorum Episcopum elegisse*. Et antea alter Clemens, scilicet Roman. Pontifex, scribens ad eumdem Jacobum, eum appellat Episcopum Episcoporum, & regentem omnes Ecclesias, quæ ubique Dei providentia fundatæ sunt (b). Accedit Hesychius Jerosolymitan. Presbyter, qui (c) Jacobum vocat *summum ducem, Sacerdotum principem, Apostolorum caput, & in capitibus verticem*.

41. Resp. verba illa S. Cypriani esse explicanda de potestate Apostolatus *essentialis*, in qua utique omnes Apostoli pares erant, non autem de *accidentali* quadam potestate, quæ Petro collata fuit ad unitatis centrum constituendum. Ordinaria potestas ipsi Apostolatui intrinseca, & essentialis ea erat, qua unusquisque poterat ubique gentium ligare, solvere, Ecclesias fundare, Episcopos ordinare, ceteraque omnia præstare, quæ ad Evangelii propagationem pertinebant. Et in hac potestate hoc utique erant ceteri Apostoli, quod fuit Petrus; sed Petro aliquod singulare auctoritatis externæ, & *extraordinariæ* privilegium collatum est, quo ceteris præerat ad unitatis vinculum conservandum. Hoc non negavit Cyprianus; nam ut mittam ea verba immediate sequentia: *Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur* (ne scilicet contentionis funem longius cum iis protrahamus, qui, an genuina sint, dubitant), id tamen aliis æquipollentibus exprimit immediate antea dicens: *Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Quis, rogo, hic unus est, nisi Petrus? Cum vero subdit Sanct. Martyr: *Episcopatus unus est, cujus a singulis pars in solidum tenetur*; nihil aliud vult indicare, nisi Ecclesiæ unitatem, cujus conservandæ, propagandæque studio omnes in solidum tenentur, sed tamen cum debita illi obedientia, qui ejusdem est centrum; unde etiam idem S. Martyr (epist. 75. ad Jubajanum) loquens de Ecclesia, *Una est*, inquit, *& super unum, qui claves ejus accepit, voce Domini fundata*.

42. Ad 2. resp. S. Ambrosium loqui de tempore, quo Christus visibilis in terris degebat quo certe tempore Petrus, nonnisi primatum fidei, & confes-

(a) Lib. VI. *Institutionum ὑποτυπώσεων* apud Eusebium Lib. *Hist. Eccl.* cap. I.

(b) Apud Constant. T. I. *Ep. R. Pont.* in app. n. 1.
(c) Apud Photium in *Biblioth.* cod. 275.

fessionis habuit; at vero idem S. Pater manifeste agnovit post Christi ascensionem ad cœlum fuisse Petrum consecutum etiam Primatum honoris, & jurisdictionis, ita ut Vicaria Christi Domini potestate fungeretur; inquit enim ( in Lucam Lib. X. n. 175. & seq. ) a Domino fuisse interrogatum Petrum, *Simon diligis me plus his?* non quasi ille dubitaret, *sed ut doceret, quem elevandus in cœlum; amoris sui veluti vicarium relinquebat... Denique tertio Dominus, non jam diligis me, sed amas me, interrogavit, & jam non agnos, ut primo quodam lacte pascendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.*

43. Ad 3. Sanct. Gregorius P. negavit tantummodo, Petrum fuisse Ecclesiæ caput primarium, ac independens, cujusmodi est solus Christus; non autem caput secundarium, ministeriale, & visibile.

44. Clementem vero Alexandr. manifestum est, loqui, non de Primatu in universa Ecclesia, sed de Episcopatu Jerosolymitano, ac propterea illa verba *de primo honoris gradu* restringenda sunt ad Ecclesiam Jerosolymitanam, non ad Ecclesiam universam extendenda. Neque vero ferendi sunt, qui laudatum Clementis Alexandr. locum ex Sasileensi codice ita vitiose legunt: *Apostolorum Episcopum constituunt.*

45. Epistola S. Clementis ad Jacobum omnium eruditorum judicio supposititia est; & præterea in ea Sanct. Petrus vocatur *Ecclesiæ fundamentum, Primitiæ Christi Domini, & Apostolorum primus.*

46. Demum Hesychii verba hyperbolice sumi debent, ad extollendam Ecclesiæ Jerosolymitanæ dignitatem, quæ etiam aliarum Ecclesiarum *Mater* quandoque dicta est, quia ab ipso Christo plantata, & suo sanguine irrigata fuit, aliasque omnes, sin minus dignitate, saltem ætate præcessit. Sic etiam in sensu minus proprio sumere oportet, quæ ibidem Hesychius habet: *Petrus prædicat* ( in Jerosolymit. Concilio ), *Jacobus decernit, dicens: ego judico, non inquietari* &c.: non certe quasi Jacobus solus judicium tulerit, ceteri autem Apostoli paruerint; nam nomine omnium dictum est, Act. XV. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

## CAPUT II.

*Solvuntur argumenta, quibus aliqui probare nituntur, Sanctum Paulum fuisse Petro æqualem.*

47. Objic. 1. Sanct. Paulus ad Galat. II. 7. seq. sibi *creditum fuisse* dicit *Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis:* ergo videtur summa potestas inter utrumque ita divisa, ut alter in Gentibus, alter vero in Judæis principatum obtineret.

48. Respond. Non divisione summæ potestatis, quæ tota in Petro semper remansit, sed potius divisione ministerii factum esse, ut alter Gentilibus, alter vero Judæis prædicandi provinciam assumeret; quod quidem non ita intelligendum est, quasi uni non liceret in alterius messem intrare; scimus enim fuisse Petrum missum ad Cornelium, qui Gentilis erat; & Petrus ipse Act. XV. 7. in Concilio Jerosolymitano dixit; *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Et certum est, etiam Paulum Judæorum conversioni adlaborasse, maxime cum 2. Cor. XI. 28. *sollicitudinem* se habere dicat *omnium Ecclesiarum.* ( Leg. S. Hieronymus in caput II. epist. ad Galat. )

49. Obj. 2. Plures Ecclesiæ Patres, & antiqui Scriptores S. Paulum, non minus quam S. Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse dicunt, & ab utroque Ecclesiam Romanam fundatam. Unum vel alterum afferam. S. Epiphanius ( *Hær.* XXVII. ) *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus, & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.* Et ante ipsum S. Irenæus ( Lib. III. *adv. hær.* cap. 3. ) *Ecclesiam Romanam a Ss. Apostolis Petro, & Paulo institutam fuisse, ac fundatam* dicit. Imo vel ipsi Rom. Pontifices se appellare consueverunt *successores Petri, & Pauli*, & Paulus III. in convocatione Concilii Trid. sic loquitur: *Auctoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur &c.* eademque repetit Pius IV., imo ut id magis constet, in Pontificiorum diplomatum sigillis effigies simul Petri, & Pauli exprimi consuevit. Ulterius non desunt, qui utrumque in dignitate parem faciant, ut Sanctus Gregorius M., qui ( Lib. I. Dial. cap. 12. ) *Paulum Apostolum, Petro Apostolorum primo in principatu apostolico fratrem* esse, sine dubio affirmat: & S. Ambrosius ( Serm. I. ) *Petrum, & Paulum principes Sacerdotum* locat; & in comment. ad Cap. II. epist. ad Galat. *Primatus gratiam Paulo concessam* dicit, *sicut & Petro.* Sanct. autem Maximus Taurinensis ( Sermon. V. in Festo Apostolorum ) Petrum, & Paulum appellat *Principes Ecclesiarum, & fidei Christianæ.* Imo ex ipsis eamdem phrasim mutuasse videtur Ecclesia, dum in eorum officio eos vocat *gloriosi Principes terræ.* Denique Beatus Petrus Damiani ( Opusc. XXXV. cap. 4. ) Paulum solum Ecclesiæ caput constituere videtur: *Hæc igitur*, inquit, *est causa, cur Paulus nullam specialiter cathedram teneat, quia ( si audemus summis minora conferre ) ad instar Christi ( salvo ceterorum Apostolorum jure ) videtur omnibus præsidere.*

50. Resp. ad primum. Etiamsi concederetur, Paulum simul cum Petro Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse, consequens tamen non foret, utrique parem fuisse collatam dignitatem: sicut enim plures erant simul cum Petro Apostoli, & quidem in apostolica auctoritate pares, Primatus autem prærogativa illi inferiores, ita minime repugnaret, Paulum fuisse Ecclesiæ Romanæ Pastorem,

& Episcopum, Petro tamen tamquam universæ Ecclesiæ capiti subjectum (*a*).

51. Verumtamen verosimilius est, sanctos Patres nihil aliud voluisse innuere, quam Paulum simul cum Petro Romanam Ecclesiam, quæ reliquarum caput erat, ac princeps, conjunctis laboribus plantasse, & excoluisse. Hoc etiam sensu potuerunt Rom. Pontifices se appellare successores non minus Pauli, quam Petri, quia eam Ecclesiam regant, quæ utriusque sudoribus, imo & sanguine irrigata fuit. Cum vero auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli se pollere, & agere quandoque profitentur, atque effigiem simul Petri, & Pauli suis diplomatibus insculptam volunt, utriusque patrocinium implorare videntur; quandoquidem ambo ut peculiares Ecclesiæ Romanæ patroni merito coluntur, quam, ut jam dixi, & simul plantarunt, & simul documentis, & simul sanguine illustrarunt, ac tandem pretiosis suis lapsanis ornatam voluerunt.

52. Ad 2. dico, Paulum, & Petrum vocari *Principes Sacerdotum*, *Principes Ecclesiarum*, *Principes terræ &c.*, quia ambo præcipuo quodam virtutum merito in Ecclesia fulserunt; quamquam Petrus non solum virtutum laude, sed singulari etiam Primatus prærogativa ceteris omnibus prælatus est. Quod si quidem expressius etiam S. Paulum *Principem Apostolorum*, vel *ducem* appellarunt, id tamquam emphatice, & hyperbolice prolatum accipi debet, ne quod semper, quod ab omnibus, quod ubique soli Petro attributum fuit, ob raras quorumdam loquendi formulas evertatur. S. vero Gregorius dum appellat Paulum *fratrem Petri in principatu Apostolico*, eo spectat, ut Paulum in Apostolatus dignitate, ac virtute Petro conjungat, non ut in dignitate Primatus parem faciat.

53. Ad ult. B. Petrus Damiani loqui videtur de præsidentia minus propria, per prædicationem scilicet, atque doctrinam, non autem de Primatus auctoritate; ibidem enim inquit: *Dignum est, ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, ita in omnibus jus teneat præsidendi.*

54. Inst. Sanct. Ambrosius ( Lib. II. *de Spirit. Sanct.* cap. ult. ) *Nec Paulus*, inquit, *inferior Petro;* & Serm. XII. ( qui est tertius *de Natali Ss. Petri, & Pauli* ) *Beati*, inquit, *Petrus, & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter illos quis cui præponatur, incertum est.*

55. Resp. ad 1. Paulum dici Petro non inferiorem in auctoritate intrinseca, & essentiali Apostolatus: quamquam in alia extrinseca, & extraordinaria Primatus sine dubio inferior erat. Alio autem in loco loquitur S. Ambrosius de sanctitatis excellentia, qua Petrum, & Paulum ceteris eminere, inter se vero esse æquales existimavit; unde subdit: *puto enim, illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione* (*b*).

56. Obj. 3. S. Paulus in vetustissimis imaginibus æreis, vitreis, marmoreis, eburneis, vel etiam pictura, aut musivo opere perfectis, quandoque ad sinistram Petri depictus cernitur, sæpius tamen ad dexteram; in plumbeis autem Pontificum Bullis constanter ad dexteram, ut scilicet designetur, ipsum vel parem Petro, vel fortasse etiam superiorem fuisse.

57. Resp. Omissis pluribus Theologorum opinionibus; qui hujus rei varias, discrepantesque afferunt causas, quas refert, & refutat doctissimus P. Mamachius ( Tom. V. *Orig. & Antiquit. Christ.* Lib. IV. capit. 2. ), illud eruditis compertum est, exempla non pauca inveniri imaginum, in quibus qui sine dubio nobilior, multoque præstantior est, lævam partem occupans exhibetur. Nonnulla breviter commemorabo. In vase argenteo antiquissimo Christus Petro claves tradens lævum, Petrus easdem accipiens dexterum latus tenet; & iterum in eodem vase Christus cœco lumen restituens sinistra in parte est. Lambecius ( Tom. III. *Bibl. Vindobon.* tab. 38., & 44. ) codicem vetustissimum Bibliothecæ Vindobonensis affert, in quo Josephus fratrum suorum saccos scrutari imperans, ad eorum lævam pictus est; alium item, in quo Melchisedechus rex ad lævam Abraham conspicitur ( ibidem tab. 7. ) Multa etiam Imperatorum numismata afferri possent, in quibus, qui dignitate præcellebant, lævam partem tenuerunt. Unde fit, ex quo Paulus quandoque dexteram Petri occupet, colligi nullatenus posse, eum fuisse Petro dignitate vel superiorem, vel saltem æqualem, quæcumque tandem fuerit hujus rei causa, quod aliis inquirendum relinquimus (*c*).

CA-

(*a*) Petrus de Marca in Dissert. *de singul. Primatu Petri* num. 18. postquam hanc sententiam probavit, ita subdit: *Et ne quis offendatur, ac si duorum Episcoporum societate Ecclesiæ unitas, & vetus disciplina læderetur, quæ suum cuique Ecclesiæ Episcopum, eumque singularem præficit, observandum est, hanc Synodo Nicenæ deberi, quæ canone lato, ne plures uni Ecclesiæ præponerentur Episcopi, prudenter ad tollendas dissidiorum occasiones prohibuit. Alius mos Apostolorum temporibus vigebat, qui majoribus, & insignioribus civitatibus plures presbyteros, sive Episcopos præficiebant, ut mutuis auxiliis suffulti ad propagandam in suburbanas regiones fidem sufficerent.*

(*b*) De his testimoniis consul. Jul. Laur. Selvaggio *Antiquit.* Christ. Lib. I. cap. 3. excursu 2. præter sæpe laudatum eruditissimum P. Thomam Mariam Mamachium.

(*c*) Referente sæpius laudato eruditissimo Mamachio p. 524. seq., fuerunt aliqui, qui aut fraude, aut casu, aut errore pictorum, cælatorumve factum id fuisse arbitrarentur: contra alii, quod Petrus a Christo, cum inter nos ageret, Paulus autem ab eodem Christo in cœlum sublato vocatus fuerat, unde etiam in Petro mortalem hanc, in Paulo vero πνευματικην spiritualem vitam significari ponebant. Nonnulli lævam partem apud plerasque gentes honoratiorem fuisse putarunt,

## CAPUT III.

*Ostenditur, S. Petrum Apostolorum Principem Romæ fuisse, ac in ea Ecclesia Episcopatum usque ad mortem tenuisse.*

58. Postquam supremam S. Petri in universa Ecclesia dignitatem vindicavimus, ut via nobis sternatur ad ostendendum, Rom. Pontificem esse hujus summæ dignitatis hæredem, demonstrandum erit, S. Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse, atque in eo Episcopatu usque ad mortem perseverasse. Cum vero sint inter Protestantes non pauci, qui non solum id negent, sed etiam conentur evincere, S. Petrum nunquam Romæ fuisse, primo breviter Romanum S. Petri iter, deinde ejusdem Episcopatum confirmare debemus (a).

59. Prima autem hujus nostræ assertionis pars adeo evidenter ex traditione colligitur, ut nihil inveniri possit in historia majori monumentorum copia confirmatum. Id enim testatur S. Clemens, Petri in Pontificatu post Linum successor (ep. I. ad Corinth.) S. Ignatius Martyr (in ep. ad Rom.) & Papias Hierapolitanus (apud Eusebium Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 15.) qui tres fuere Apostolis coævi. Accedunt Irenæus; qui Polycarpi Apostolorum disciputi auditor fuit (Lib. III. cap. I.) & Dionysius Corinthiorum Episcopus vix centum annis post Petri obitum clarus (apud Eusebium Lib. II. *Hist. Eccl.* c. 25.) deinde Clemens Alexandrinus (ibidem cap. 15.) Cajus Ecclesiæ Rom. presbyter (ibid. cap. 25.) Tertullianus (*de præscript.* cap. 36.) & ceteri ferme omnes, ut pene incredibile videatur, potuisse homines alioquin non illiteratos, ita odio Romanæ Ecclesiæ in transversum agi, ut id inficiarentur, quod primi Patres oculati testes, quod eorum successores perpetua traditione nobis demandarunt: *neque enim ulla unquam fuit traditio, quæ majori testium numero cingatur, ut de Petri in urbem adventu dubitari non possit, quin omnia historiæ convellantur fundamenta:* verba sunt non alicujus Catholici, sed Sam. Basnagii, hostis Ecclesiæ Romanæ infensissimi (*in Annal. Eccl. polit.* ad ann. 64. n. 9.). Et alter illustris Scriptor, sed pariter Ecclesiæ Rom. minime amicus, Guillelmus Cave (*Hist. Litt.* Sec. Apost. *in Petro*) ita pariter concludit: *Certe si tam densa testium nubes, tam concors veterum sententia, pro cujusvis ingenii pruritu sit vellicanda, actum erit penitus de primorum sæculorum memoria;* nec

eamque proinde Principi Apostolorum tributam. Quidam Petrum ad lævam positum respectu inspicientium dexteram occupare, dixerunt. Alii alias, minus tamen tritas, in re obscurissima inierunt vias, quas Mamachius haud rectas ostendit. Ipse autem ut hujus rei causam verisimilem reddat, observat, veterem consuetudinem fuisse, *ut qui dextera aliquid agentes a cælatoribus, pictoribus, sculptoribus &c. exhiberentur, iidem etsi summa præstabant & auctoritate, & dignitate, ne quid forte, minusque apti, & commodi in illorum actione, collocationeque corporis partium appareret, ad lævam sæpissime constituerentur.* Quod multis exemplis confirmat. Hoc autem posito, sponte sua fluit, mirum non esse, si Petrus, quasi aut benedicat, aut doceat, aut loquatur, dexteram extendens, fuerit interdum a sculptoribus, pictoribusque ad lævam Pauli collocatus. Fatetur tamen, Petrum inveniri nonnunquam in veteribus monumentis ad lævam, etsi non extendat ad aliquid aut agendum, aut innuendum. Sed ad hanc difficultatem tollendam observat, duo esse ejusmodi monumentorum genera, alia ad prima Christianæ Religionis tempora, alia ad mediam, infimamque ætatem pertinentia. In primis id factum esse arbitratur, eo quod Petrus, & Paulus se mutuo aspicientes, & quasi colloquentes exhibentur; at vero fuisse consuetum, ut in ea positione vultuum læva interdum ei tribueretur, qui esset dignitate præstantior, quibusdam exemplis ostendit, potissimum vero gemmæ, in qua Macrinus Imperator Filium Diadumedianum aspiciens lævam occupat. In aliis autem monumentis inferiorum temporum id factum esse retur, postquam Petrus Damianus, qui Sæc. XI. floruit, aliique Paulum ad Petri dexteram ponendum esse docuerunt, non quod Petro superior esset, sed aliis mysticis de causis, præcipue autem, quod ex tribu Benjamin esset; Benjamin autem idem est, ac filius dexteræ. Hinc nullam esse Bullam observat Sæc. XI. vetustiorem, in qua Petrus ad Pauli lævam positus sit.

(a) Clariss. Petrus Franc. Fogginius in *Exercit. I. de Romano D. Petri itinere, & Episcopatu* observat, infelicem Marsilium Patavinum, qui Ludovico Bavaro contra Jo. XXII. venalem calamum præstitit, primum fuisse, qui antiquissimam, & universalem traditionem de Romano S. Petri itinere, & Episcopatu vellicare ausus fuerit Sæcul. XVI. Post autem ejusdem vestigia magno numero secuti sunt Protestantes, Primatus Ecclesiæ Romanæ osores; quorum omnia, sicut etiam eorum, qui veterem, ac verissimam Catholicorum sententiam strenue defenderunt, accurate pro incredibili sua librorum notitia recenset P. Thomas Mamachius Tom. V. *Originum, & antiquit. Christ.* pag. 542. & seq. Nec prætereundum est, nonnullos ex secta *Episcopalium* in Anglia a nobis minime dissentire. Videri possunt Pearsonius in Dissert. I. *De successione primor. Episcop. Romæ* cap. 6. Hammondus in Dissert. V. *De Episcop. & presbyteris* capit., & alii. Inter Catholicos autem primus, quod sciam, Romanum S. Petri Episcopatum inficiatus est nuperus auctor *Jurisprudentiæ Eccles.* Venet. 1787. Tom. I. p. 439. & seq. contendens, neminem Apostolorum fuisse alicujus civitatis Episcopum *proprium*; primum autem Rom. Ecclesiæ Antistitem fuisse Linum, eoque demortuo fuisse subrogatum S. Clementem, atque istius personam non *physicam*, sed *moralem* fuisse a S. Petro ad supremum totius Ecclesiæ principatum evectam; *Romanumque Episcopum ceteris antea parem omnium postea caput, ac principem, utpote sui successorem renuntiasse.* Hæc sententia non solum nova est, quocunque veteris traditionis fundamento destituta, verum etiam omnium Sanct. Patrum testimoniis opposita, qui, ut mox videbimus, Sedem Romanam *Sedem Petri* concordissime appellarunt, Romanumque Pontificem, ut S. Petri successorem tam in Episcopatu Romano, quam in Principatu Ecclesiæ perpetuo venerati sunt.

*nec cuiquam ultra suam ætatem sapere licebit* (a).

60. Prob. secunda pars. Primò quotquot extant Romanorum Pontificum Catalogi (sunt autem multi), omnes initium sumunt a Petro, quem primum Romanum Episcopum faciunt. Ita Bocherianus omnium antiquissimus, cujus prima pars ex monumentis in Romana Ecclesia servatis compilata creditur sub Pontiano circa an. 230. altera autem sub Liberio medio IV. sæculo. Ita perantiquus alter ab Henschenio, & Papebrochio ex Codice Bibliothecæ Christianæ Suecorum Reginæ editus (apud Bollandum Tom. I. Aprilis), qui finem facit in Felice IV., cujus annus emortualis fuit 530. Liber quoque Pontificalis, quæ Sæcul. VIII. non est recentior; ac illi demum, qui ab Emman. a Schelestrate in lucem emissi sunt, diu ante Sæcul. X. confecti.

61. Ulterius Sancti Patres, qui in Romanorum Pontificum serie texenda operam posuerunt, a Petro semper, tamquam a primo successionis capite, originem deduxerunt. Ita Cajus antiquissimus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, seu quisquis ille fuerit, qui Artemonis hæresim impugnavit (apud Eusebium L. V. *Hist. Eccl.* cap. 28.), Irenæus (Lib. III. cap. 3.), Tertullianus (*de Præscript.* cap. 32.), Eusebius pluribus in locis (Lib. III. *Histor. Eccles.* capit. 21. Lib. IV. cap. 1. & 5. &c.), Optatus Milevitanus (Lib. II. *contr. Parmen.*), Hieronymus (*de Viris illustr.* cap. 1.), Epiphanius (Hær. VII. nu. 6.), Augustinus (epist. 53. alias 165. ad Generosum), aliique omnes.

62. Hinc Romana Cathedra appellata semper fuit Cathedra, & Sedes Petri, atque hac de causa omnium gentium consensu ceteris omnibus prælata. Certe Sanctus Cyprianus de Felicissimo, & Fortunato schismaticis loquens, *Navigare audent*, inquit (epist. 55. ad Sanct. Cornelium R. P.), *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem; unde unitas sacerdotalis exorta est.* Hieronymus (epist. ad Damasum) *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior.* Optatus Milevitanus (loco citat. *contr. Parmen.*). *Negare non potes*, inquit, *scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput.* S. Augustinus (in Psal. *cont. partem Donati*) *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte.* Vid. etiam Lib. II. *contr. litt. Petil.* cap. 51. Ac denique, ne omnes persequar, S. Prosper ita canit (*in Carm. de ingratis*):

*Sed Roma Petri, quæ pastoralis honoris*
*Facta caput mundi, quidquid non possidet armis*
*Relligione tenet.*

63. Restat ultimo, ut breviter doceamus, Petrum usque ad mortem in Episcopatu Romano permansisse. Id autem conficitur indubiis veterum testimoniis. Tertullianus (in *Scorpiaco* cap. 15.) *Orientem fidem*, inquit, *Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* Lactantius, seu quisquis alius auctor Lib. *de mort. Persec.* de Nerone loquens: *Petrum*, inquit, *cruci affixit, & Paulum interfecit.* Eusebius (Lib. II. *Hist. Eccl. c.* 25.) *Paulum quidem*, ait de eodem Nerone, *capite in ipsa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat.* Hieronymus (*de viris illustr.* cap. 1.) de Petro inquit: *Secundo anno Claudii ad expugnandum Simeonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis.* Deinde subdit: *Sepultus Romæ in Vaticano, juxta viam triumphalem totius urbis veneratione celebratur.*

64. Obj. 1. Petrum Romam venisse, ibique Episcopalem sedem fixisse, nullibi in Sacris litteris legitur; non apud S. Lucam, qui tamen alia ejusdem itinera minoris certe momenti commemorat; non apud S. Paulum, qui Petrum se Jerosolymis, & Antiochiæ vidisse refert Galat. I. 18., & II. 11. nullatenus autem Romæ: at vero res hæc erat maxime notatu digna; ex hoc enim summa facta est Ecclesiæ Romanæ dignitatis accessio. Sane quia stante Judæorum republ. Jerusalem centrum erat, & sedes disciplinæ Mosaicæ, Scriptura V. T. illud sæpius, & aperte tradit; quanto potiori jure debuisset iter Petri Romam, multoque magis sedes Episcopalis alicubi indigitari, ut nemo inficiari posset, Romam mundi Christiani caput factam esse?

65. Resp. Hoc argumentum, cui potissimum Adversarii fidunt, esse inficiale, cujus nulla vis est, fatente toto Criticorum choro, quando contra militant argumenta affirmantia, cujusmodi sunt ea, quæ ad adstruendum iter, & Episcopatum Petri Romanum ex traditione attulimus. Neque vero mirabile videri debet, id fuisse a S. Luca prætermissum, tum quia multa alia, ut inquit S. Hieronymus (in c. 3. ep. ad Gal.) *historiographi licentia prætermisit*, tum etiam, quia ejus præcipuus scopus erat, Pauli, non autem Petri gesta enarrare, quamobrem post cap. XVI. Petri nullam amplius mentionem facit. Quin imo bene mul-

(a) Id etiam innuitur in epist. I. Petri V. 13. his verbis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.* Facile enim probatur, nomine Babylonis ibi significari Romam, adeo ut Grotius ita commentari non dubitaverit: *Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitat:* sed cum varia ad hoc argumentum eludendum Adversarii excogitaverint effugia, illud omittendum duximus, ne in re alioquin certissima longius excurreret oratio. Confer Mamachium Tom. V. *Origin. & Antiq.* p. 550. seq.

multa etiam Pauli gesta silentio pressit; nihil enim apud ipsum reperies de ejus profectione in Arabiam post conversionem, nihil de reditu Damascum, nihil de adventu in Jerusalem, nihil denique de pugna ad bestias, de tot flagellis, naufragiis, periculis, aliisque vicissitudinibus, quas Paulus ipse memorat 1. Cor. XV., & 2. XI. Quid plura? de ipso Pauli martyrio ne jota quidem habet, fortasse quia, ut opinatur S. Hieronymus (in *Catalogo*, ubi de S. Luca) Actus Apostolorum describendos susceperat, prout ipse suis oculis viderat; unde ea prætermisit, quorum ipse testis oculatus non fuerat.

66. Sed ulterius nullatenus necessarium videbatur adventus Petri in urbem, & Episcopalis ejus sedis scripto mentionem facere, cum aliunde res esset omnibus Christianis notissima, & quæ ex futura in perpetuum Romanorum Pontificum successione a nemine in dubium revocari posse videbantur; ut reipsa per quindecim sæcula a nemine id negatum scimus, usque ad Marsilium Patavinum, qui odio Romani Pontificis ad id inficiandum adductus fuit. Cur vero in sacris litteris V. T. expressa mentio centri Hebræorum reipubl. facta sit, Romanæ autem Apostolicæ Sedis non item, ex libera Dei voluntate pendet, cujus nemo consiliarius est. Et certe plura sunt, quæ Deus literis mandari noluit, & sola traditione propagari, quemadmodum alibi a nobis probatum est; cum tamen alia, quæ minoris momenti nobis videntur, scripto sint exarata.

67. Instab. 1. Paulus Romanis scribens, & multos salvere jubens, nullam Petri mentionem facit; id non prætermissurus certe, si Petrus Romæ fuisset, Episcopali munere fungens. Præt. in epistola, quam ad Philippenses dedit Romæ degens in vinculis cap. II. 20. seq. conqueritur, quod neminem habeat eorum salutis sollicitum, præter Timotheum: *omnes enim*, inquit, *quæ sua sunt*, *quærunt*, *non quæ Jesu Christi*. Et in 2. ad Timotheum, quam in iisdem vinculis exaravit IV. 15. *In prima defensione mea*, inquit, *nemo mihi affuit*, *sed omnes me dereliquerunt*. Itane vero, si Petrus Romæ adfuisset? Ad hæc, cum in istis Epistolis, quas manu catenata conscripsit, Fideles nomine sociorum salutet, nunquam tamen Petri meminit, qui certe primus omnium nominari debuisset. Demum Paulo Romam adventanti occurrerunt fratres usque ad Appii forum, & tres tabernas Act. XXVIII. 15. sed hic iterum altum de Petro silentium.

68. Resp. Has omnes meras conjecturas esse, quæ factum tanta testium copia confirmatum convellere, aut infirmare non valent. Et quidem ad primum dico, multis de causis, quas divinare non attinet, fieri potuisse, ut Paulus Romanis scribens; Petri mentionem omitteret, quomodo scribens Ephesiis nec Timotheum memorat eorum Episcopum, neque Jacobum in epistola ad Hebræos. Præterea fortasse Petrus Roma aberat, unam cum ceteris Judæis exulare coactus ex decreto Claudii, qui, ut Svetonius (in *Claudio* c. 28.) scribit, *Judæos impulsore Chresto* (a), *assidue tumultuantes Roma expulit*.

69. Nec vero quis objiciat, in eadem epistola ad Romanos Aquilæ, & Priscillæ, utique Judæis, salutem a Paulo dici; adeoque, &c; non inquam: Isti enim, & alii ignobiliores Judæi Romam tuto remeare potuerunt, non ita Petrus nimis celebris factus; præsertim si verum est, quod suspicantur nonnulli, ob suscitatos a Judæis adversus Petrum, ejusque asseclas frequentes tumultus, fuisse omnes Judæos ab urbe exilio pulsos. Postremo, si conjecturis contra conjecturas pugnare licet, quis scit, an Paulus per eumdem tabellarium Petro collegæ, & superiori suo familiares litteras non dederit, ut proinde expressam ejus mentionem facere opus non esset?

70. Quando autem Paulus Philippensibus scribens conqueritur, quod *omnes quærant*, *quæ sua sunt*, *non quæ Jesu Christi*, ad Petrum, etiamsi Romæ esset, digitum intendere non potuit; de iis enim loquitur, ut ex contextu apparet, quos mittere ad eos poterat; inquit enim v. 16.: *Spero autem in Domino Jesu*, *Timotheum me cito mittere ad vos*, *ut & ego bono animo sim*, *cognitis*, *quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam unanimem*, *qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit; omnes enim quæ sua sunt*, *&c.* Porro minime expediebat Petrum ad Philippesens mittere; unde fit, ut in eum, etiamsi Romæ esset, querimonia non caderet.

71. In secunda vero ad Timotheum epistola ab iis se fuisse desertum conqueritur, qui poterant ipsius causam apud Imperatorem juvare, cujusmodi certe non erat Petrus, Cæsari non minus, quam Paulus invisus. Præt. nemo nescit, in hujusmodi locutionibus generalibus synecdochen locum persæpe habere, ut omnes pro majori parte sumantur. Nullum tandem facessit negotium, quod in illis epistolis, quas Paulus Romanis vinculis detentus scripsit sociorum mentionem faciens de Petro sileat; fortasse enim Petrus in alia remotiore urbis regione degebat, curisque Pastoralibus distentus non ita frequenter cum Paulo conversari poterat, fortasse etiam sæpius Roma aberat, varias Provincias evangelizando percurrens.

72. Ad ult. Non est credendum, Paulo Romam adventanti totam Ecclesiam, Pastore præeunte, obviam ivisse: id enim certe eorum temporum calamitas non permittebat, sed aliquos duntaxat fideles; Petrus autem vel latitare cautius debebat, quia

(a) *Chresti* nomine passim intelligunt eruditi Christum. Usserius tamen refragatur, cui assentitur Pater Ansaldi in opere: *Multitudo maxima eorum*, *qui prioribus Ecclesiæ seculis Christianorum Religionem amplexi sunt* &c. p. 58.

quia in eum, utpote omnium Pastorem, perniciosius sævisset Gentilium rabies; vel fortasse ea etiam occasione aberat, ut Evangelium in alias gentes portaret.

73. Inst. 2. Si ita sæpe Roma aberat Petrus, quomodo credi potest, illum ejus Ecclesiæ Episcopatu functum esse? Episcopus enim suo gregi pascendo intentus potissimum esse debet, ne dum fundum alienum arat, familiarem incultum deserat. Ulterius malum successoribus suis non residendi reliquisset exemplum. Accedit, quod, ut primum Paulus Romam ingressus est, Judæi ibi commorantes, ipsum de nova Religione cupide interrogaverant. *Rogamus autem*, inquiebant Act. XXVIII. 22. *a te audire, quæ sentis; nam de secta hoc notum est nobis, quia ubique ei contradicitur;* at vero si Petrus fuisset ibidem Episcopali munere functus, ab ipso tanquam a Pastore fuissent de Religione sufficienter edocti. Demum si Petrus erat Romanorum Episcopus, poterat certe Paulus, imo debebat a scribenda illis epistola temperare, cum Petrus illis imbuendis abunde sufficeret; eo vel maxime, quod Paulus Rom. XV. 20. aperte testetur, se in prædicando Evangelio super alienum fundamentum superædificare noluisse. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.*

74. Resp. ad 1. Quamquam Petrus sæpius Roma abfuerit, non tamen sequitur, eum aut Episcopatui munia non integre implevisse, aut pravum suis successoribus non residendi exemplum reliquisse. Ipse enim nedum Romanæ Ecclesiæ Episcopus, sed insuper Apostolus erat missus ad docendas omnes gentes, & omnium Ecclesiarum Princeps constitutus, quo fit, ut debuerit sæpe sæpius varias, & dissitas provincias peragrare, prout eum Spiritus Sanctus movebat, Vicariis interea Romæ relictis, qui novi gregis curam haberent. S. Epiphanius (*Her.* XXVII.) Linum, & Cletum in Romana Ecclesia vices Petri absentis gessisse tradit. Id autem minime potest a ceteris Episcopis in exemplum trahi, tum quia ipsis nonnisi unius gregis pascendi cura est demandata, quem æquum non esset relinquere, ut alienos pascerent; tum etiam quia modo singulis Ecclesiis suis præfecti sunt Pastores, quod tempore Apostolorum statim fieri non potuit.

75. Ad 2. Mirum non est, Judæos Paulum de nova Religione interrogasse, non plane quasi nihil de ea audivissent a Petro; sed quia noverant, Paulum esse legis doctorem, & fuisse aliquando Christo infensum. Ceterum antequam Paulus Romam veniret, fuisse ibi Christum prædicatum, florentemque jam Ecclesiam, a Petro utique fundatam, ipse Paulus indicavit aperte in sua epistola ad Romanos, ubi innuit cap. I. 8. *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Hanc autem epistolam Paulus multo antea scripsit, quam Romam adventaret.

76. Ad postremum. Quanquam Petrus Romanorum Episcopus esset, id minime officiebat, quin Paulus epistolam fidei, morumque documentis plenam ad eos mitteret; nec id Petro ullo modo injurium videri debet; uterque enim in vinea Domini excolenda laborabat; nec semel, aut raro ambo simul in eadem urbe commorati sunt, Evangelium Judæis, & Gentilibus simul annunciantes. Quod autem dicit: *Sic autem prædicavi* &c. *expositivum* sensum habet, non *exclusivum*, idest Evangelium etiam in iis locis prædicavi, in quibus nondum prædicatum fuerat, & sic super aliorum fundamentum non superædificavi.

77. Obj. 2. Si Petrus fuisset Romanorum Episcopus, potius appellari debuisset Gentium Apostolus, quam Judæorum; Roma enim erat Gentilium Metropolis: Atqui nemo ignorat, Petrum fuisse Judæorum Apostolum destinatum, Gentium autem Paulum, juxta illud ejusdem Pauli dicentis ad Gal. II. 7. *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes:* ergo &c.

78. Resp. Non exiguum fuisse Romæ Judæorum numerum; Josephus enim narrat (Lib. XVII. *Antiq. Jud.* c. 11.), quinquaginta Legatis ab Jerosolyma ad Cæsarem missis Romæ sese adjunxisse supra octo Judæorum millia; & Philo in *legatione ad Cajum* dicebat, magnam urbis partem trans Tyberim a Judæis occupatam fuisse, Augusto permittente. Fuere quidem sub Tiberio Judæi ab urbe pulsi, & iterum sub Claudio Imperatore, sed post breve exilium illuc frequentissimi remearunt. Præterea non ita putandum est Petro Evangelium circumcisionis fuisse concreditum, ut ab ipso negligeretur Gentilium salus, quemadmodum & Paulus, quanquam Gentilium Apostolus, sæpius in Synagogis prædicasse legitur. Vid. supra n. 48.)

79. Obj. 3. Tota veterum de hac re traditio parvipendenda est, utpote quæ a Papia originem trahit, homine fabuloso, & inepto, cui tamen valde multi in aliis etiam rebus incaute fidem commodarunt. Certe ante Papiam nullus citari potest, qui Petrum Romæ fuisse commemoravit (a).

80. Resp. Primo nullam esse causam, cur hac in re nutare possit Papiæ fides; quanquam enim ut vir simplex, hebetisque ingenii communiter habeatur, in fraudis tamen suspicionem nunquam adductus est; at vero Petrum fuisse Romæ, ibique Episcopali munere functum, res est in omnium oculos incurrens, in qua nec simplices, nec rudes falli possunt. Ulterius multa alia præsto

(a) Ita Spanhemius in Diss. *de temere credita Petri in urbem Roman. profectione* cap. 1. & 2.

sto sunt testimonia ante Papiam, ut Clementis, & Ignatii; nec verisimile est, alios posteriores uni Papiæ innixos fuisse.

81. Dices. Nec Clemens, nec Ignatius Petrum Romæ fuisse tradunt; nam primus tantum *Petrum martyrem effectum ad debitum gloriæ locum abiisse*, dicit. Alterius vero epistola ad Romanos vel apocrypha est, vel saltem dubia.

82. Resp. Clementem sin minus expresse, implicite saltem, & satis perspicue innuere, Petrum Romæ fuisse martyrem effectum; ibi enim memorat eos, qui recenter in urbe pro Christo sanguinem fuderant, inter eos autem Paulum, & Petrum, Danaidem, ac Dircem; unde colligitur, & Petrum fuisse Romæ passum. Id fatetur etiam Basnagius (ad n. 64. n. 9.). Epistolam autem S. Ignatii, quæ simul cum aliis a Vossio, & Usserio edita fuit, genuinam esse, tenet bona, & melior Criticorum pars (*a*).

83. Obj. 4. Supervacaneum erat, imo dignitati Petri plane injuriosum, eum alicui Episcopatui alligari. Nam Petrus ratione Apostolatus poterat ubique terrarum omnia Episcopalia munia plenissime exercere: supervacanee igitur fuisse illi Romani Episcopatus dignitas superaddita. Ulterius dignitas Episcopalis cum Apostolica pugnat; illi enim peculiaris unius Ecclesiæ cura commendatur, isti sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbit; Apostolus a Domino, Episcopus ab hominibus constituitur; non itaque sine Apostolicæ dignitatis injuria Petrus Romanorum Episcopus appellari potest. Hinc S. Joannes Chrysostomus (Hom. 87. T. VIII. p. 527. edit. Maur.) dicit, Petrum non sedisse in Jerosolymitano Episcopatu, quia a Christo datus fuerat, non ut Ecclesiæ alicujus peculiaris Episcopus, sed totius orbis Apostolus.

84. Resp. Si hæc argumentatio valeret, qua Sam. Basnagius triumphat (in *Annal.* ad an. 40. n. 20.), jam nemo Apostolorum potuisset Episcopali munere fungi, quod quam falsum sit, facile quisque videt; ut enim de aliis sileam, certum omnibus semper fuit, Jacobum minorem fuisse Jerosolymitanæ Ecclesiæ ut Episcopum præfectum, sive immediate a Christo, ut multorum opinio est, sive ab Apostolis, ut alii arbitrantur (*b*). Neque vero id superfluum dici potest, vel Apostolicæ dignitati injuriosum. Non primum; nam quamvis Apostoli amplissima potestate pollerent, qua ubique poterant Ecclesias fundare, Presbyteros ordinare, aliaque omnia Episcopalia jura exercere, necessarium tamen duxerunt aliquas sedes & ipsi occupare, ut formam regiminis Ecclesiastici post ipsos duraturi constituerent; idque præsertim faciendum erat a Petro, cujus successores Primatus prærogativam habere debebant.

85. Testimonium vero S. Jo. Chrysostomi primo cum ipso Basnagio pugnat; cum enim ibi S. Pater quæstionem moveat, cur Jacobus, & non Petrus Jerosolymorum thronum acceperit, pro certo habet, Apostolicæ auctoritati Episcopalem alicujus Ecclesiæ thronum non repugnare. Cum autem respondet, id factum esse, quia *Petrus totius orbis Doctor a Christo constitutus fuerat*, nihil aliud indicare voluit, nisi potuisse Jacobum, aut quemcumque alium Apostolum Petro inferiorem Judææ finibus coarctari. Petrum autem, utpote omnium Principem, debuisse, qua late orbis patet, Evangelium annunciare, nec alibi suam sedem in perpetuum figere, quam in ea urbe, quæ totius orbis imperium tenebat.

86. Obj. 5. Mira est auctorum tam veterum, quam recentiorum varietas, & discrepantia in epocha adventus Petri Romam figenda. Nam Paulus Orosius (Lib. VII. *Hist.* cap. 7.) eum ad exordium regni Claudii refert. Eusebius (in *Chronico*, & S. Hieronymus (*de Script. Eccl.* c. 1.) Claudii anno secundo figunt. Liber, qui *fasciculus temporum* inscribitur, anno ejusdem Imperatoris quarto. *Passionale de vitis Sanctorum* an. 13.; ac tandem auctor libri *de mortibus persecutorum* eum differt usque ad Neronis imperium. Nec minus inter se digladiantur recentiores; plerique enim Eusebio adhærent, Pagius tamen cum nonnullis aliis (ad an. 43. n. 3.) circa primum Neronis annum Petrum Romam advenisse censet. Scaliger nonnisi post quartum ejusdem Imperatoris annum; alii vero inter Protestantes circa 10., vel 12. Neronis annum. Porro ubi tanta varietas, & contradictio, nullum profecto est veritatis indicium.

87. Resp. Nihil obesse historicæ veritati Auctorum dissonantiam circa tempus, vel alias circumstantias, quæ rei substantiam minime attingunt. Quamplura nobis certissima sunt, licet de tempore, quo contigerunt, lites vigeant immortales. Illud tamen addo, non tantam esse inter veteres pugnam, qualem sibi adversarii fingunt. Nam *Fasciculum temporum*, & *Passionale* nihil moramur, cum libri sint omnium judicio apocryphi, nulliusque auctoritatis. Paulus Orosius nonnisi verbis ab Eusebio, & Hieronymo discrepat; nam secundus annus Claudii non inepte ejus regni exordium appellari potest, habita ratione 14. annorum, quibus Claudius regnavit. Lactantius autem, sive auctor Libri *de mortibus persecut.* de ultimo S. Petri in urbem adventu exponi po-

(*a*) Confer P. Mamachium Tom. IV. *Orig. & antiq. Christ.* p. 363. seq. & Tom. V. p. 555.

(*b*) Non me latet eorum sententia, qui tres Jacobos distinguentes, eum, qui Jerosolymorum primus Antistes fuit, e numero XII. Apostolorum excludunt. Isti tamen non negant eumdem fuisse verum Apostolum quamquam extra ordinem XII., parique cum aliis Apostolis auctoritate præditum; quemadmodum alii duo fuerant Paulus & Barnabas. Vid. Alexius Symmachus Mazochius in suo eruditissimo Comment. ad Kalend. Napol. initio mensis maij, ubi hac de re copiose & eleganter disserit.

potest. Quæ tamen dicta sint eruditionis gratia: etiamsi enim aperta esset Chronologorum pugna, male inde quis historiæ falsitatem colligeret.

88. Dices (cum Spanhemio). Si actus Apostolorum consulantur, Petrus neque sub Claudio, neque sub Nerone potuit Romæ esse. Nam anno Claudii quarto, æræ vulgaris 44. Petrus in Palæstina erat in vincula ab Herode conjectus, ut proinde ante hunc annum non potuerit a Palæstina egredi. Rursus in Palæstina adhuc degebat, quando Synodus Jerosolymitana habita fuit, hoc est anno 53. æræ Christian. Claudii vero 13. Cum autem postea Antiochenam Cathedram fundaverit, non potuit certe ante annum 59. æræ vulg. Romam adventare, hoc est ante annum Neronis 4. At vero sub Nerone quidem Romæ fuisse Petrum, colligitur tum ex eo, quod mortuus perhibeatur vel sub Claudio, vel sub initiis Neroniani imperii; tum etiam quia in epistolis a S. Paulo scriptis Nerone imperante, nulla ejus mentio facta est.

89. Resp. Nihil infirmius esse hoc argumento; quamvis enim certa itinerum S. Petri ratio determinari nequeat, facile tamen est demonstrare, & Claudio, & Nerone imperantibus eum Romam venire potuisse, ibique Cathedram erigere. Potuit enim anno Claudii secundo Romæ esse; inde anno sequente descendere in Palæstinam, ubi ab Herode comprehensus fuit; vel etiam post liberationem a vinculis Herodianis Romam proficisci, indeque postea in Palæstinam remeare, Ecclesiam Antiochenam fundare, varias regiones evangelizando peragrare, & tandem sub Nerone iterum Romam pergere, ut ibi repositam martyrii coronam acciperet.

90. Dices 2. Veteres Scriptores, qui Petrum Romam venisse referunt, eam hujus itineris causam fuisse dicunt, ut ibi Simonem Magum expugnaret (Vid. Eusebius Lib. II. *Hist. Eccles.* cap. 14.); atqui S. Augustinus id inter fabulas recenset (epist. 36. al. 86. cap. 9.) ergo &c.

91. Resp. Quamvis causa adventus Petri Romam ab iis auctoribus allegata falsa esset, non tamen concludendum foret, etiam iter Petri Romanum esse fictitium; hoc enim secundum omnium oculis patuit; causæ autem rerum plerumque abditæ sunt; quo fit, ut in his facilius, quam in factis, homines decipi soleant. Sed ulterius falsum est, Augustinum fabulis accensuisse Petri cum Simone Mago certamen; duntaxat eorum opinionem suspectam habuit, qui Romanorum morem Sabbato jejunandi a jejunio S. Petri in illo Sabbato, quod certamen ipsius cum Simone Mago præcessit, dimanasse credebant. Ceterum Petri de Simone Mago victoriam, ut rem plane certam, idem S. Augustinus habet (*a*).

92. Obj. ultim. Sanctus Hieronymus (*in Matth.* cap. XXIII.) ad illa Christi verba: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas* &c. inquit: *Ex quibus lapidatus est Stephanus, obtruncatus Paulus, crucifixus Petrus*: ergo censet Petrum, non secus ac Stephanum Judæorum manibus in Palæstina, non Romæ obiisse. Acta etiam Lini referunt Paulum, & Petrum diverso loco, & tempore martyrium obiisse. Ad hæc, ut Harduinus ratiocinatur (adnot. ad vers. 34. Matth. XXII.), certum est, prædixisse Christum, aliquem ex Discipulis suis esse a Judæis crucifigendum (Matth. XXIII. 34. & Joann. XXI. 18. & 19.); atqui nullus alius legitur ab ipsis crucifixus: ergo &c. Cum autem Judæi nullam Romæ potestatem habuerint, non potuit ibi Petrus crucifigi.

93. Resp. Ad 1. Hieronymus solum vult, impletam fuisse Apostolorum persecutionem a Christo prænunciatam, non autem ibi de loco, aut tempore sollicitus est, quibus hæc persecutio impleta fuerit. Ceterum Petrum Romæ crucifixum fuisse pro certo habuit Hieronymus (vid. sup. num. 63.). Ad 2. Acta Lini nullius sunt fidei apud saniores Criticos. Postremum argumentum leve est, & mirari subit, voluisse Harduinum constantem, firmissimamque traditionem loci, in quo Sanct. Petrus martyrium subivit, tam levi conjectura infirmare. Quid enim? Prædixit Christus, aliquem esse a Judæis crucifigendum. Impletam fuisse prophetiam dubitare non possumus: at vero, subdit Harduinus, nullum alium cruce peremtum legimus, præter Petrum. Ita plane, at putatne Harduinus, omnia, quæ a Judæis contra nostros furentibus facta sunt, fuisse fideliter historiæ mandata? Sed frustra in hujusmodi insulsis cavillationibus tempus teritur (*b*).

## CAPUT IV.

*Asseritur Romano Pontifici Primatus honoris, & jurisdictionis.* (*S. Thomas Lib. IV.* Cont. Gent. *cap.* 76.)

94. Id fuit in Concilio Florentino utriusque Ecclesiæ Græcæ, Latinæque consensus his verbis statutum (in defin. Fidei): *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem, a Christo ple-*

(*a*) Vid. initium ejus libri *de hæresibus*, & in Psal. IX. Hujus autem historiæ veritatem non ita pridem vindicavit doctissimus Alexius Symm. Mazochius in *Kal. Neap.* ad diem 29. Junii, ejusque Dissert. epitome nobis postea dedit Jul. Laur. Selvaggio in *Antiq. Christ. Inst.* Lib. I. c. 3. excursu I.

(*b*) Vid. *Instit. pastor.* de Mgr. *l' Eveque de Soisson* Tom. I. P. I. cap. 5. Pat. Mamachius p. 555. seq.

*plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam (a) in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Id ipsum fuerat ante paucos annos in Concilio Constantiensi definitum, damnata hac Joann. Wiclefi sententia: *Quod Papa sit summus Pontifex, est ridiculum. Et Christus nec Petro, nec in alio talem approbavit dignitatem*, proscripto item art. 10. Joann. Hus: *Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam.* Hoc autem catholicæ nostræ Religionis dogma.

95. Prob. 1. traditione veterum Ecclesiæ Patrum, qui Rom. Pontificem, tanquam verum, & legitimum Petri successorem, ejusdem dignitatis hæredem perpetuo venerati sunt. S. Irenæus (Lib. III. *ad hær.* cap. 3.) de Romana Ecclesia loquens, *ad hanc Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem*, (vel, ut alii legunt) *potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam* (b). Tertullianus *de pudicitia* c. 1.) vocat Rom. Episcopum *Pontificem maximum, & Episcopum Episcoporum:* & quamquam ita eum vocare per ironiam videatur, significat tamen, talem eum habitum fuisse ab omnibus fidelibus, ut bene observat Fleurius (Lib. V. *Hist. Eccl.* n. 46.). Optatus Milevitanus (Lib. II. *contra Parmen.*) *Cathedra*, inquit, *unica est, quæ est prima de dotibus .... sedit prior Petrus, cui successit Linus &c.* S. Hieronymus (Lib. II. cont. Ruffinum): *Miror*, inquit, *quomodo Episcopi receperint, quod Sedes Apostolica condemnavit.* Et ep. 57. ad Damasum: *Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, communione consocior.* Ac demum in Dial. adv. Luciferianos: *Ecclesiæ salus*, inquit, *a Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exores quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* S. Augustinus in Ps. cont. partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et nullus esset dicendi finis, si omnia colligere vellemus (c).

96. Prob. 2. ex quibusdam historiæ monumentis,

& Fogginii *exercitat. de Romano D. Petri itinere.*

(a) Alii legunt, *quemadmodum & in gestis &c.* ut sensus sit: *juxta eum modum, quo & in gestis &c.* Ita habere genuinam textus græci versionem, contendunt plures auctores citati a Nat. Alex. Diss. 8. in sæc. XV. & XVI. n. 12.; & ita etiam legitur in editione anni 1526. Sed plures adhuc supersunt codices originales græco-latini, quibus ostenditur, retinendam esse communem lectionem. Vid. Pisti Alethini, seu P. Mamachii ep. 3. p. 259. in nota. Præterea, etiamsi legatur, ut quidam volunt, *juxta eum modum*, nihil demi summæ Rom. Pontificis potestati in gubernatione universalis Ecclesiæ, ostendit cl. Petrus Ballerinius in libro *de potestate ecclesiast. summor. Pontif.* cap. 4. §. 3. in not. ad n. 8.

(b) Locus iste mirifice torquet Protestantes, & variis cavillationibus eum declinare conantur, ut videri potest apud Bossuetum in Dissert. II. præmissa editioni Operum hujus S. Patr. a se curatæ, præcipue ubi Claudium Salmasium, & Ernestum Grabbium confutat. Novus postea apparuit Ecclesiæ Rom. osor acerrimus Jo. Laur. Moshemius, qui in *Comm. de rebus Christ. ante Constantinum M.* Helmstadii 1753. In Sæc. II. §. 21. alia via hoc firmissimum argumentum se eludere posse speravit; 1. quia sensus illius loci adeo obscurus est, ut frustra Irenæi mens erui possit, nisi primigenius textus græcus aliquando inveniatur; 2. quia illa verba convenire poterant Ecclesiæ Rom. sæc. II, quando veram apostolicam traditionem accurate servabat, non autem hodiernæ, quæ ab apostolica doctrina enormiter aberravit; 3. *testimonium illud esse privati hominis, exilis cujusdam, & ante paucos annos natæ in Galliæ Ecclesia Episcopi, hominis præterea, qui non pauca in libris suis edidit documenta rationis parum purgatæ, mentisque in disputando non satis sibi relictæ.* Antea autem veritus non fuit Moshemius Irenæum turpis *assentationis* accusare, quasi tum propter beneficia ab Eleutherio R. P. accepta, tum etiam propter ea, quæ sperabat ab Ecclesia *magna, opulenta, & in maxima urbe posita*, si honorifice de Rom. Ecclesia scripsisset.

Facile tamen est demonstrare, hæc omnia, non solum false, sed etiam inepte, & absurde e calamo Moshemii excidisse. Primo enim locus ille insignis S. Martyris, & Episcopi Irenæi semper apertus, & perspicuus omnibus iis visus est, qui odio contra Romanam Petri Cathedram oculos obcæcatos non habent. Omnes nempe vim argumenti S. Irenæi in eo positam esse viderunt, ut omnes varii generis hæreticos vel ex hoc solo convinceret, quod eorum dogmata essent contraria traditioni Apostolorum, quæ in Ecclesiis ab ipsis fundatis conservabatur, maxime autem in Romana, ad quam propter potentiorem principalitatem, seu propter Primatus prærogativam necesse est omnes convenire, qui undique, seu toto orbe sunt fideles. Frustra igitur Moshemius nos provocat ad textum græcum S. Martyris, qui diu desideratur, cum textus latinus satis perspicuus sit. Ad secundum. Si S. Martyr credidisset, Ecclesiam Romanam posse a veteri Apostolorum doctrina deficere, hæreticos incassum provocasset ad ejusdem Ecclesiæ auctoritatem; pronum enim iisdem fuisset reponere, se Ecclesiæ, quæ falli potest, & fallere, auctoritate minime commoveri. Ne itaque fingamus, S. Irenæum tam futili argumento fuisse usum, necesse est credere eum pro certo habuisse, veram, & apostolicam traditionem in Romana Ecclesia ita servari, ut ab ea deflectere nullatenus possit. Ad 3. & 4. Ferenda nullatenus est Moshemii impudentia, qua S. Irenæi doctrinam, ingenium, ac fidem labefactare audet. Celebratissimus ille fuit in tota Ecclesia Orientali, & Occidentali, non solum suis, sed etiam posterioribus temporibus. Encomia, quibus veteres Ecclesiæ Patres memoriam hujus sancti Martyris, & Episcopi exornarunt, collegit solertissimus Tillemontius in Tom. III. *Monument. Hist. Eccl.* Moshemii autem temeritatem pro meritis castigavit doctissimus P. Ant. Valsecchi in postremo suo opere *La verità della Chiesa Cattolica Romana* toto c. 6.

(c) Huc etiam spectare possunt honorifica illa nomina, quibus R. Pontifex, & Rom. etiam Ecclesia supra alios Pontifices, & ceteras Ecclesias extolli consueverunt, quæque diligenter collecta exhibet Julius Laur.

tis, quibus constat, vel ipsis primis temporibus Romanos Pontifices Primatus sui jura in tota Ecclesia exercuisse; primo celebris est controversia II. Ecclesiæ sæculo in Asia exorta de Paschatis celebratione, in qua Victor Rom. Pontifex non alia certe de causa, nisi quia ipsi universalis Ecclesiæ cura propter Primatus dignitatem incumbebat, in Polycratem, aliosque Episcopos Asiaticos contendentes Pascha die decimaquarta Lunæ Martii, & quidem, ut ipsi asserebant, *juxta Evangelium & regulam fidei* esse celebrandum, comminata, vel fortasse reipsa lata excommunicatione animadvertit. Porro in hac controversia se pacis sequestrem interposuit Irenæus, Victoremque rogavit, *ne integras Ecclesias .... a communione abscinderet* (ap. Euseb. Lib. V. *Hist. Eccl.* c. 25.), quibus verbis apparet, agnovisse Irenæum eam in Rom. Pontifice potestatem; rogasse autem, ne eamdem exerceret. Et quamvis Victor R. P. paci Ecclesiarum consulens, Asiaticis tandem permiserit, ut suæ consuetudini inhærerent, quod illis etiam Anicetus eadem œconomia ante indulserat, id saltem ab ipsis omnino exegit, ut morem quidem servarent suum, contrarium tamen alterum condemnare non auderent (*a*).

97. Idem fere accidit Sæc. III. in causa Rebaptizantium. Stephanus R. P. ratione Primatus ad se pertinere arbitratus est, serpentem in Africa, atque Asia errorem hæreticos rebaptizandi evellere, de quo proinde Vincentius Lirinensis (in *Commonitorio* I. cap. 5.) *Tunc*, inquit, *beatæ memoriæ Stephanus Apostolicæ Sedis Pontifex, cum ceteris Collegis suis, sed tamen præ ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat*.

98. Ex quo autem Cyprianus, aliique ipsi adhærentes, Stephano minime obtemperaverint, nihil contra summam Pontificis auctoritatem erui potest: certum enim est, eos ab omni peccati labe non fuisse immunes, quamvis ab hæresi excusentur, vel quod (ut quorumdam opinio est) quæstionem hanc ad solam disciplinam spectare putaverint, quæ varia in variis locis esse potest; vel potius quod, ut S. Augustinus loquitur (Lib. II. *de Rapt.* cap. 3. n. 6.), nondum *illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidata erat*.

99. Ceterum Cyprianus hanc competere Apostolicæ Sedi auctoritatem manifesto confessus est. Ecclesiam enim Romanam appellat (epist. 55.) *Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem:* & (ep. 55.) *Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Neque ideo Stephano obtemperare recusavit, quod eum nullam habere in aliis Ecclesiis potestatem arbitraretur; sed quia ex errore putavit, eum sua potestate haud recte tunc uti (*b*).

100. Idipsum evincit factum Dionysii Alexandrini Sæc. III. Cum enim insignis *hic Patriarcha fuisset a quibusdam* vel malevolis, vel imperitis apud cognominem suum Rom. Antistitem Dionysium accusatus, quod de Filio Dei impie sentiret, fidei suæ rationem eidem Rom. Pontifici reddere non detrectavit, seque ab impacta calumnia purgare. Quo ostenditur, & Romano Pontifici fuisse persuasum de sua in ipsos etiam primi ordinis Patriarchas auctoritate, & Dionysium in eadem fuisse sententia, cum tam præclarum suæ obedientiæ specimen summo Ecclesiæ capiti dare non recusaverit.

101. Sæculo itidem IV. cum Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, & Asclepas Gazensis Episcopi injuste fuissent ab Arianis exauctorati, jus sibi esse putarunt ad Julium R. P. confugiendi; ille vero, ut inquit Socrates (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 15.): *ex Rom. Ecclesia prærogativa liberioribus litteris communitos in Orientem remisit, singulis suas sedes restituens;* vel, ut loquitur Sozomenus (Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 8.): *Cum propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit*. Id postea sequentibus temporibus semper servatum est, & factis illustrioribus confirmatum, præsertim in causis Nestorii, Dioscori, Joannis Antiocheni, & Theodoreti; nam cetera recensere nimis longum esset, nec necessarium (*c*).

102. Accessit demum & illa ratio communiter a Sanctis Patribus allata, scilicet constitutum fuisse in Ecclesia Primatum, ut omnis schismatis tolleretur occasio. S. Cyprianus epistol. LV. Romanam Sedem appellat *Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. S. Optatus Lib. II. *contr. Parmen.* dicit in Cathedra Romana sedisse *omnium Apostolorum caput Petrum: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur .... ut jam schisma-*

Selvaggio in *Antiquit. Christ. Inst.* Lib. I. c. 16.

(*a*) Vid. Cardin. Orsi in *Hist. Eccl.* Lib. V. n. 12.: Concilium Nicænum postea definivit, ut omnes Romanorum consuetudinem sequerentur. Apud Theodoretum, Lib. I. *Histor. Eccl.* c. 2.

(*b*) Hæc etiam controversia ad Stephani mentem definita fuit; unde Facundus Herminiensis in libro contra Marianum *Stephani potius*, inquit, *quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia; non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis*.

(*c*) Ad hæc digitum intendebat S. Gelasius Papa (qui sæc. V. desinente Ecclesiam rexit) cum in ep. ad Episcopos Dardaniæ ita scribebat: *Sed nec illud prætermittimus, quod Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sine ulla Synodo præcedente & absolvendi, quos Synodus damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem*. In nova Concil. collectione Tom. VIII. p. 54. Confer Bossuetum V. *Com. sur l'Hist. des Conc. de M. Dupin.* Tom. II. *Oeuvr. posth.*, & Thomassinum Tomo I. *de veteri, & nova discipl.* P. I. Lib. I. cap. 8.

*smaticus*, *ac peccator esset*, *qui contra singularem Cathedram alteram collocaret; ergo Cathedra una est*, *quæ est prima de dotibus*. S. Hieronymus Lib. I. adv. Jovinian. num. 26. de Petro inquit: *inter duodecim unus eligitur*, *ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Et in Dial. contra Lucifer. *Ecclesiæ salus*, inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet &c.* Vide supra num. 95. Ac demum Gelasius Papa epist. XIV. Petrum fuisse ceteris prælatum dicit, *ut capite constituto schismatis tolleretur occasio*, *& una monstraretur compago corporis Christi*, *quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret*. Quæ ratio utique probat Primatum jurisdictionis, quo solo potest unitas conservari (*a*).

103. Obj. 1. Apostolus 1. Cor. XII. 28., & Eph. IV. 11. omnes ecclesiasticæ hierarchiæ gradus recensens, nullam primatus mentionem facit.

104. Resp. Neg. iis locis ab Apostolis agi de gradibus ecclesiasticæ hierarchiæ, alioquin debuisset etiam Episcopos, Presbyteros, & Diaconos commemorare, qui ad ecclesiasticam hierarchiam utique pertinent; Prophetas autem, virtutes, gratias curationum, genera linguarum, aliaque id genus omittere, quæ certe in gradibus hierarchiæ ecclesiasticæ non numerantur. Recenset igitur charismata Spiritus S. quibusdam Ecclesiæ membris ad ipsius ædificationem impertita. Quanquam cum ibidem Pastores nominantur, summus Pontifex implicite significatur, qui inter Pastores primum obtinet locum.

105. Inst. In laudatis locis Apostolus unitatem Ecclesiæ commendat, ex eo quod sit *unum corpus*, *unus spiritus*, *unus Dominus*, *una fides*, nullibi autem unius visibilis capitis meminit, quod nos ad conservandam unitatem necessarium putamus.

106. Resp. Unitatem capitis visibilis satis aperte ab Apostolo innui, cum dicit: *Unum corpus:* neque enim Ecclesia esset corpus, si careret capite; neque corpus visibile, si dumtaxat invisibile caput haberet, quod est Christus.

107. Inst. 2. Eodem cap. Eph. IV. 7. dicit Apostolus: *Unicuique nostrum data est gratia*, *secundum mensuram donationis Christi:* nemo itaque hanc plenitudinem potestatis habet, qualem Rom. Pontifex sibi arrogat.

108. Resp. Etiam Romano Pontifici datam esse gratiam secundum mensuram donationis Christi; majorem tamen, quam aliis Ecclesiæ Pastoribus; itaut hi in suis diœcesibus tantummodo potestatem habeant; ille vero supremam, quæ ad universum Christianum orbem extenditur.

109. Obj. 2. S. Cyprianus hanc supremam Romani Pontificis auctoritatem non agnovit; nam in epist. LXXI. ad Quintum de Stephano R. P. conquerens: *Nec Petrus*, inquit .... *vindicavit sibi aliquid insolenter*, *aut arroganter assumpsit*, *ut diceret*, *se primatum tenere*, *& obtemperari a novellis*, *& posteris sibi potius oportere*. Et in Concilio Carthaginensi 87. Episcoporum iterum Stephanum tacite perstringens: *Neque enim*, inquit, *quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit*, *aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit*, *quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis*, *& potestatis suæ arbitrium proprium*, *tamque judicari ab alio non possit*, *quam nec ipse potest alterum judicare*, *sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi*, *qui unus*, *& solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione*, *& de actu nostro judicandi*.

110. Resp. ad primum, satis verisimiliter epistolam ad Quintum fuisse a S. Cypriano exaratam ante exortam de rebaptismo controversiam, videl. an. 255. cum esset de hac re ab 18. Numidis Episcopis, post autem a Quinto Mauritaniæ Episcopo sententia rogatus; controversia enim cum Stephano tardius incepit, quando nempe Cyprianus ad Roman. Pontificem duas Synodos a se celebratas transmisit (*b*). Quod si verum est, ea Cypriani verba Stephanum R. P. non perstringunt, sed quosdam Episcopos vel in Africa, vel in Numidia, vel in Mauritania, qui Rebaptizantibus strenue resistebant; quosque Cyprianus argumento a majori ad minus urgebat, dicens: Si Petrus, *quem primum Dominus elegit*, *ut super quem ædificavit Ecclesiam suam* .... *rationi legitimæ*, *quam Paulus vindicabat*, *facile concessit*, nempe in dissidio Antiocheno ( ad Gal. II. ); quanto magis æquum est, ut alii Episcopi, qui nulla dignitatis prærogativa eminent, cæteris consentiant?

111. Quia tamen de epocha hujus controversiæ Historici non omnino conveniunt, ideo dico secundo, si verba illa ad Rom. Pontificem tacite carpendum directa fuerant, id factum a Cypriano fuisse, non quod negaverit, Stephanum suprema auctoritate in Ecclesia pollere, sed quod existimaverit, eum fuisse sua auctoritate intemperanter abu-

(*a*) Aliqui inter Protestantes hanc necessitatem agnoverunt, ut Grotius in *voto pro pace Eccl.* ad art. 7. Tom. IV. Opp. p. 658. edit. Basil. 1732., & in *Discuss. Rivetiani Apologetici* p. 695. Leibnitius etiam in ep. VIII. ad Jo. Fabricium Tom. I. ep. p. 15. edit. Lips. 1734. *Quum Deus*, inquit, *sit Deus ordinis*, *& corpus unius Ecclesiæ Catholicæ*, *& Apostolicæ uno regimine*, *hierarchiaque universali continendum juris divini sit*, *consequens est*, *ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis magistratus terminis se justis continens* ( *hæc verba nunc addo* ) *directoria potestate*, *omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructus*. Similes Protestantium confessiones videri possunt apud P. Ignatium Finme Ord. Præd. in T. II. *Scholæ veritatis orthodoxæ*.

(*b*) Vid. Vita S. Cypriani Parisinæ præmissa §. 30.

busum, eique propterea non esse in eo casu obtemperandum.

112. Sicuti ( epist. 68. ) etiam Stephano, qui Basilidem, & Martialem sententia Synodali Episcopatu exauctoratos restituerat, minime obsequendum duxit; non quod Romanum Pontificem Synodo Provinciali superiorem non existimaret, sed quia eum fraudibus circumventum, & deceptum fuisse cognoverat; unde concludit: *Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit*.

113. In secundo autem loco etiam manifestius apparet, S. Cyprianum loqui de Episcopis in Concilio tunc congregatis, quibus omnem concedi volebat libertatem ea proferendi, quæ sentiebant; præcipue cum res per se obscura esset, & nondum eliquatissima perfectione discussa; quod etiam fuit a S. Augustino observatum, dum hæc ipsissima verba expenderet ( Lib. III. *de Bapt.* cap. 3. Tom. IX. ). Certe non alia esse potuit S. Cypriani mens, nisi fingere velimus, eum ita independentes fecisse Episcopos, ut non solum Romano Pontifici obedientiam præstare non tenerentur, sed nec Metropolitis, nec Primatibus, nec ipsis plenariis Synodis; quod plane esset anarchiam in Ecclesiam invehere, totque constituere Ecclesias, quot Diœceses. Certe in his omnibus non ita volumus S. Cyprianum excusare, quin cum S. Augustino fateamur, ipsum *paulo commotiorem fuisse in Stephanum R. Pontificem*, hoc tamen ipsius peccatum fuisse postea *gloriosa martyrii falce purgatum*. Unde etiam Lib. V. *de bapt.* capit. 25. *Quæ in Stephanum irritatus Cyprianus effudit*, præterire melius judicavit (a).

114. Dices. Ex verbis secundo loco objectis constat, Stephanum fuisse a Cypriano vocatum *Collegam*; imo idem Sanct. Martyr ( epistol. LXVIII. ) etiam Cornelium Stephani prædecessorem eodem *Collegæ* nomine appellat; at vero quis nesciat, *Collegæ* titulum æqualitatem importare? ut etiam colligitur ex Ulpiano dicente ( *De verborum significatione* lege 173. ) *Collegarum appellatione hi continentur, qui sunt ejusdem potestatis*.

115. Respond. *Collegas*, teste Varrone ( *de lingua latina* ) eos proprie dici, qui una lecti sunt ad aliquod officium: quamobrem hoc nomen plerumque ad æqualitatem significandam usurpari solet; hoc tamen non impedit, quominus hoc nomen aliquando in latiore significatione etiam inter inæquales usurpetur, quod multis exemplis posset declarari. Scimus enim ex Cicerone ( Lib. IX. *epistol. ad Atticum* epistol. 16. ), & ex Plinio ( in *Panegyr. ad Trajanum* ) etiam Prætores fuisse a Consulibus Collegas appellatos, quanquam illis erant dignitate multo inferiores (b). Eadem ratione potuit Cyprianus Romanos Pontifices minus proprie appellare *Collegas*; quatenus eodem cum ipsis officio fungebatur, quanquam auctoritate longe dispari. Sic etiam accipiendum est nomen *fratris*, quod nonnunquam Romanis Pontificibus tributum legitur, quamvis multo frequentius Romanos Pontifices appellatos inveniamus *Beatissimos Patres*, *Patres Patrum*, *summos omnium Præsulum Pontifices Maximos* (c), ut nihil dicam de aliis præcipuis titulis Apostolicæ Petri Cathedræ antiqua Patrum traditione collatis. Vid. sup. num. 95.

116. Obj. 3. Episcopi passim a sanctis Patribus vocantur *Successores Apostolorum*, *&* *ipsius S. Petri*, imo & *Vicarii Christi*. Nam S. Hieronymus ( Epist. LIV. ) *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent*; & Epist. I. *Non est facile*, inquit, *stare loco Pauli*, *tenere gradum Petri*. Et S. Gaudentius Brixiensis ( Serm. I. *in die suæ ordinat.* ) vocat S. Ambrosium *Petri successorem*: æqualis est igitur omnium Episcoporum potestas, adeoque &c.

117. Resp. Episcopos recte dici *Successores Apostolorum* in potestate Episcopali, certis tamen limitibus coarctata, non æque extensa, ac Apostolis fuit. Hi enim a Christo missi sunt ad omnes gentes in mundum universum cum plenitudine potestatis. Episcopi autem positi sunt a Spiritu S., ut peculiaris alicujus gregis curam gerant: unde iis dictum a Petro est 1. epist. V. 2.: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Rursus quemadmodum Apostoli, quanquam plenitudinem potestatis a Christo immediate acceperint, Petro tamen, ut centro unitatis, subjecti erant; ita alii Episcopi, etiamsi immediate a Deo suam auctoritatem sortiantur, Romano tamen Pontifici tanquam capiti obtemperare debent. Porro si aliquando Episcopi dicti sunt *Successores Petri*, id accipiendum est de sola auctoritate Episcopali, in qua omnes Episcopi, ut ceteris Apostolis, ita & Petro succedunt; non autem de potestate Petri tanquam Apostolorum Principis, & Capitis, quæ ad solum Rom. Pontificem derivatur. Sic etiam quandoque alii Episcopi appellantur *Vicarii Christi*, sed non cum amplissimo jure, quod Petrus habuit, ejusque Successores ab eo accipiunt.

118. Inst. Episcopi dicuntur a Sanctis Patribus *universalis Ecclesiæ curam*, *&* *sollicitudinem habere*; & nullus est titulus Rom. Pontificis proprius,

(a) Legatur etiam ep. CVIII.

(b) Vid. Cujacius *de Jurisdictione ad Leg.* 14.

(c) Mirum est, auctorem damnati illius libelli *Quid est Papa?* scribere, seu potius somniari potuisse, *ante sæculum Ecclesiæ nonum*, *Episcopos cum Papæ scriberent*, *usos non fuisse*, *nisi fratris titulo*. Hanc obscuram opellam, sed Sanctæ odio Sedis Apostolicæ apud multos divulgatam egregie confutatam habemus a doctissimo, aliisque multis editis libris celebratissimo P. Thoma M. Mamachio sub assumpto nomine *Pisti Alethini* Epist. II.

prius, qui aliis etiam Episcopis tributus non fuerit: unde Hormisdas P. M. ita Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum alloquitur ( epist. LXXVII. ): *Similem fidei curam gerentes .... par studium sollicitudinis assumentes* &c. Et ante Hormisdam S. Basilius M. Athanasium compellans, *tantam*, inquit ( epistola LII. ), *geris curam omnium Ecclesiarum*, *quantam ejus*, *quæ tibi peculiariter a Domino credita est* (*a*).

119. Resp. Hæc sæpius dicta fuisse, non quod omnis Episcopus possit, aut debeat Ecclesias aliis commissas cum potestate administrare ( sacris enim canonibus semper cautum fuit, ne unus in alterius messem falcem immittat, solique Romani Pontifices in universa Ecclesia potestatem exercere consueverunt ); sed quia caritatis vinculo unus alteri opem ferre debet in ædificationem corporis Christi. Hinc celebre est in Hist. Eccles. S. Epiphanii factum, qui in Monasterio Bethlehemitico Monachum aliquem, quamvis reluctantem, Diaconum, & Presbyterum ordinavit; cum autem Joannes Episcopus Jerosolymitanus in Epiphanium, tanquam violatæ Ecclesiasticæ disciplinæ reum, vehementius excandesceret, respondit ei Epiphanius, se id non ex auctoritate, sed ex caritate fecisse: *Nam etsi*, inquit, *singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias*, *quibus curam videntur impendere*; *& nemo super alienam mensuram extenditur*; *tamen præponitur omnibus caritas Christi* (*b*).

120. Vel etiam dicuntur Episcopi universalis Ecclesiæ curam gerere, quatenus omnes simul non *divise*, sed *collective* accepti, universalem Ecclesiam gubernant; unde illud S. Cypriani ( *de unit. Eccles.* ): *Episcopatus unus est*, *cujus pars a singulis in solidum tenetur*; dum enim singuli suam partem colunt, omnes simul totam Ecclesiam curant.

121. Vel demum, quia omnibus pro sua parte universalis fidei puritas commendatur; in quo omnium par debet esse zelus, studium, & diligentia, licet par non sit auctoritas: quo postremo sensu verba Hormisdæ sunt. Hinc S. August. ( in Libro I. *cont. epist. Pelag.* c. 1. ) Bonifacio Romano Pontifici ita scribebat: *Communis est nobis omnibus*, *qui fungimur Episcopatus officio* ( *quamvis ipse in ea præmineas celsiore fastigio* ) *specula pastoralis*.

122. Obj. 4. S. Athanasius dicitur toti Ecclesiæ leges dedisse. Ita enim S. Gregorius Nazianzenus de eo scribit ( Orat. XXI. ) *leges orbe terrarum præscribit*, *atque omnium mentes ad se convertit*, *aliis epistolas mittens*, *alios accersens*, *nonnullos etiam ultro accedentes erudiens*. Hinc Synodum Antistitum, qui ejus ditioni minime subjecti erant, aliquando coegit, ut patet ex titulo Alexandrinæ Synodi: *Athanasius*, *ceterique Episcopi*, *qui Alexandriæ ex Italia*, *Arabia*, *Ægypto*, *& Lybia hic adsunt &c.* Si id licuit Athanasio, cur aliis idem non licebit? Ut proinde omnium sit Episcoporum par auctoritas.

123. Resp. ad primum, id esse intelligendum de legibus, quas S. Athanasius doctrina sua, & scriptis, non autem auctoritate toti orbi præscripsit, pro fidei, ac Religionis puritate strenue contra hæreticos dimicans.

124. Ad 2. Episcopi ad Synodum Alexandrinam ex variis mundi partibus convenerunt non S. Athanasii auctoritate coacti, sed sponte, ut ei pro causa Fidei laboranti opitularentur, majoremque Synodo auctoritatem, ac venerationem conciliarent.

125. Obj. 5. Romanus Pontifex appellari non potest *Episcopus universalis*; nam S. Gregorius M. postquam Joannis Jejunatoris Constantinopolit. Patriarchæ temeritatem compressit, qui hoc sibi nomen arroganter tribuebat, inquit, hoc esse *blasphemiæ nomen* ( Lib. V. ep. 20. alias Lib. IV. ep. 32. ), nec a Romanis Pontificibus illud usurpari consuevisse: & alibi ( epist. 18. Lib. V. ), *Numquid*, ait Joannem alloquens, *non sicut vestra Fraternitas novit*, *per venerandum Chalcedonense concilium hujus Apostolicæ Sedis Antistites*, *cui Deo disponente deservio*, *universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit*, *nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit*. Eadem repetit epist. 20. circa finem.

126. Resp. Hæc a Gregorio M. fuisse dicta, non ut supremæ Romani Pontificis auctoritati quidquam detraheret, sed ut Joannis præsumtionem coerceret. Quod ut recte intelligatur, sciendum est, duplici sensu aliquem dici posse *Episcopum œcumenicum*: primo ut ipse solus sit totius orbis Episcopus, & hic est illius vocis sensus obvius, quomodo olim Imperatores *œcumenici* appellari voluerunt, ut significarent, se toti orbi solos impe-

(*a*) Eademque fere repetit Orat. XXI. de eodem Athanasio inquiens: *Cum Alexandrino populo præfectus fuerit*, *idem est*, *ac si universo terrarum orbi præfectus fuerit*. S. etiam Gregorius Nazianzenus Orat. XVIII. in laudem Cypriani dicebat, *quod Episcopus universalis fuerit*; *quod non Carthaginensi tantum Ecclesiæ*, *nec Africæ*, *verum occiduis omnibus regionibus*, *ac prope etiam orientali omni*, *atque australi*, *& septentrionali oræ præfectus fuerit*. Imo nonnulli ipsorum vocati sunt *Episcopi Episcoporum*. Hoc titulo Sidonius exornavit Lupum Episcopum Tricassinum Lib. VI. epist. 1. ... Ennodius etiam Lib. I. Carm. 15. Sanctum Ambrosium *Episcopum Episcoporum* appellavit.

(*b*) Etiam S. Athanasius teste Socrate Lib. II. cap. 24. *per Pelusium iter faciens Alexandriam ... in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit*. *Quæ res alterius adversus illum criminationis ansam præbuit*, *propterea quod in aliorum Ecclesiis ordinare tentasset*. Et Eusebius Samosatensis, Theodoreto referente Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 4., Antiochiæ Vitalem ordinavit Episcopum; Acacium autem Berœæ constituit; Hierapoli Theodorum, Chalcidi Eusebium, & Cyro Isidorum, tum & Eulogium Edessæ, ac denique Marim Dolichiæ. Sed hujusmodi facta particularia, & insueta nullum præju-

perare: & etiam hoc sensu Concilia totius Ecclesiæ *œcumenica* nuncupare consueverunt. Secundo ut aliis omnibus Episcopis dignitate, & auctoritate in toto mundo præcellat, quo sensu in actis Concilii Chalcedonensis Episcopi *œcumenici* titulus fuit S. Leoni tributus. Jam vero Gregorius M. negavit, licuisse Joanni Constantinopolit. titulum Episcopi *œcumenici* aliquo ex his sensibus usurpare; non primo, quia, ut ibi inquit (Lib. V. epist. 18.), *si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur* (*a*); non secundo, quia in solum Romanum Pontificem hæc universalis in Ecclesia dignitas, & potestas ex Petri successione dimanavit; quapropter ille solus etiam hoc titulo decorari consuevit; quanquam Romani Pontifices eo uti noluerunt, non quia non possent, sed ut modestiæ aliis præberent exemplum (*b*), vel ne titulus, per se æquivocus in pejorem partem traheretur.

127. Inst. cum P. Maimbourg. *in Vita Sanct. Gregorii* Libro II. 2. Cum Joannes vir esset omnium virtutum laude cumulatus, quem propterea Græci, ut sanctum colunt (die 25. August.), non est verisimile, titulum *Episcopi œcumenici* priori sensu usurpasse, qui plane absurdus est. Insuper non primus fuit Joannes Jejunator, qui hunc sibi titulum usurparet, sed tres ante eum ita appellatos fuisse novimus, scilicet Joannem Cappadocem, Epiphanium, & Sanct. Mennam; imo reperitur etiam in quadam Justiniani lege (*c*): atqui Sanct. Gregorius eodem prorsus sensu negat Roman. Pontificem Episcopum universalem appellari, quo Joannes post suos prædecessores appellari ambiebat. Accedit, quod cum Eulogius Alexandrinus Episcopus Sanct. Gregorio scribens, eum *Episcopum universalem* appellasset, S. Gregorius eum acriter reprehendit; non est autem ullo modo verisimile, Eulogium voluisse hunc titulum S. Gregorio in pravo sensu tribuere.

128. Respond. Utique mihi persuasum est, Joannem nunquam adeo desipuisse, ut se *Episcopum œcumenicum* eo sensu appellari vellet, quo aliis omnibus esset dignitas Episcop. adempta; sed Sanct. Pontifex non tam internum, quam externum illius vocis sensum notabat, & propterea negabat, jus esse Constantinopolit. Episcopo eo titulo uti, quia ex obvio & externo illius vocis sono ceteris omnibus præjudicium inferebatur; unde subdit, nec Pontifices Romanos, quamvis vere Episcopi universales essent, idest omnium Ecclesiarum Antistitibus superiores, eo tamen titulo uti voluisse, *ne honore debito privarentur universi*; scilicet ne aliqui incaute talem esse illius vocis significatum putarent, ut exclusis omnibus, unus sit Roman. Pontifex in Ecclesia Episcopus. Quanquam hoc titulo *Episcopi universalis Ecclesiæ* Leonem Magnum usum esse, notant Baronius (ad ann. 595. n. 51., & seq.), & Correctores Romani, (ad dist. 99. cap. 5.) (*d*).

129. Quidquid demum sit de tota hac controversia, illud certum est, Sanct. Gregorium jura sui Primatus in universa Ecclesia agnovisse. Nam in epistola 12. Libro IX. aperte dicit, a nemine dubitari, Ecclesiam Constautinopolitanam Sedi Apostolicæ esse subjectam. Et in epistola 59., *si quâ culpa*, inquit, *in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ Episcopus subjectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt*. Ac demum epist. 45. Libri XIII. Sedem Apostolicam ap-

dicium afferunt Primatui Rom. Pontificis, cujus jura in universa Ecclesia sine ulla controversia exercentur.

(*a*) Idem repetit S. Gregorius in Epist. ad Eulogium, eum rogans, ne ultra hunc titulum *universalis Episcopi* sibi tribuat, *quia vobis subtrahitur*, inquit, *quod alteri, plusquam ratio exigit, tribuitur*. Hinc etiam Leo IX. circa medium Sæc. XI. ep. 1. ad Michaelem Episc. Constantinopol. scribebat de Gregorio M. *superbum refutavit vocabulum* (nempe universalis Episcopi), *quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem Præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur*. Ceterum, ut res ipsa perspicue intelligatur, opportunum erit ex Historia Ecclesiastica breviter adnotare, in Concilio generali Constantinopolit. anno 481., fuisse constitutum, ut *Constantinopolitanus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma*; cum antea simplex esset Episcopus, Heracleensi in Thracia Metropolitanæ subjectus. Imo postea Concilii Chalcedonensis Patres canone 28. *Sanctissimo novæ Romæ* (nempe Constantinopolis (*throno æqualia privilegia tribuerunt* iis, quibus Romani Pontifices fruebantur. Hinc cœperunt Patriarchæ Constantinopolitani etiam titulum *Episcopi universalis* ambire, qui fuerat in eodem Concilio Chalcedonensi S. Leoni tributus. Porro Romani Pontifices novæ huic dignitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ diu restiterunt; donec tandem sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. primus locus post Romanum Pontificem Constantinopolit. Patriarchæ concessus est. Vid. Natal. Alexand. Dissertatio XXVII. in Sectione IV., aliique passim Historici.

(*b*) Jo. Diaconus in vita Sancti Gregorii Magni Lib. II. cap. 1. dicit, hunc Pontificem cœpisse tunc se inscribere *Servum servorum Dei, cunctisque suis successoribus documentum suæ humilitatis hæreditarium reliquisse*. Confer Lud. Thomassinum in *veteri & nova Ecclesiæ Discipl.* Lib. 1. capitulo 9.

(*c*) Vid. Thomassini *vetus & nova Ecclesiæ discipl.* P. I. Lib. I. cap. 11.

(*d*) Ceterum, quod nonnulli dicunt, jam ante Joannem tres Patriarchas Constantinopolitanos eo titulo fuisse insignitos, ut falsum omnino a S. Gregorio respuitur, qui ibidem in pluribus epistolis Joannem redarguit, quod *novum* sibi nomen assumpserit. Imo Pelagius II. Sancti Gregorii prædecessor, hanc ipsam temerariam nominis novitatem Joanni objecit. Hinc Baronius, cui multi alii eruditi subscribunt, suspicatus est ad ann. 518. n. 14., hunc titulum *Episcopi œcumenici* post exortam cum S. Gregorio controversiam, fuisse in nonnulla Synodorum acta adulterina manu intrusum, quod idem etiam de Justiniani lege fortasse dici potest. Consule Card. Ursium Lib. XLIV. *Hist. Ecclesiæ* n. 57.

appellat *omnium Ecclesiarum caput;* a qua proinde omnium Episcoporum causæ audiri, ac dirimi possunt.

130. Inst. 2. Apud Gratianum ( Decr. P. I. dist. 99. capitulo 3. ) ita decernitur: *Primæ sedis Episcopus* non appelletur Princeps Sacerdotum, vel *Summus Sacerdos*, *aut aliquid hujusmodi*; *sed tantum primæ Sedis Episcopus;* & postea additur: *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*.

131. Respond. Hoc canone quorumdam Africanorum fastum fuisse compressum, qui se superbis hisce titulis inscribebant; non autem Romanum Pontificem indigitari, de quo in eo loco nulla esse poterat mentio; cum hujusmodi canon pro disciplina in Africa constituenda editus sit in Concilio Africano anno 397. Id patet etiam ex verbis adjectis, quæ non sunt canonis, sed Gratiani postea explicantis, quo sensu Rom. Pontifex *universalis* non sit appellandus, adductis Epistolis Pelagii II. (*a*), & S. Gregorii, quæ, ut mox vidimus, ad reprimendam Joannis Jejunatoris superbam novitatem exaratæ sunt.

132. Obj. 6. Can. sexto concilii Nicæni sola tribuitur Romano Pontifici potestas in Ecclesias suburbicarias, quæ scilicet non plus quam centum mille passuum ab urbe distabant; quemadmodum etiam Alexandrinus Patriarcha Ægypto præerat, ita enim habet canon ex versione Ruffini ( Lib. X. *Hist. Eccl.* cap. 5. ): *Ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*.

133. Resp. Ruffini interpretationi esse aliam Dionysii Exigui præponendam, quæ sic habet: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus harum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est:* ubi nulla est suburbicariarum Ecclesiarum mentio. Et quidem facile esset Ruffini in interpretando inscitiam, vel malitiam pluribus argumentis ostendere (*b*). Jam vero posita hac lectione, videtur, Concilii mentem in eo canone condendo hanc fuisse, ut solum consideraret eam potestatem, quam Romanus Pontifex in Provinciis sibi immediate subjectis, tanquam Metropolita, vel occidentis Patriarcha exercet, ex eaque argumentum traheret ad confirmandam similem potestatem, qua Episcopus Alexandrinus Ægypto, Lybiæ, & Pentapoli præerat, contra Meletium, qui Patriarchæ suo parere detrectabat.

134. Quod si etiam quis contendat, ex Ruffino hanc R. Pontificis potestatem ad solas Ecclesias suburbicarias fuisse restrictam, parum interest: semper enim verum est, ibi non esse sermonem de Primatus potestate, quæ extenditur per totam Ecclesiam, sed de Metropolitica, vel Patriarchali, quæ certis limitibus coarctatur (c).

135. Obj. 7. Si aliqua competit Romano Pontifici dignitatis prærogativa, ea non est juris divini, sed vel ab Ecclesia, vel ab Imperatoribus propter dignitatem urbis Romanæ, quæ caput erat mundi, ei attributa. Nam primo Patres Nicæni in laud. mox can. 6. (*d*) ita decreverunt: *Ecclesia Romana semper habeat primatum*. Secundo Patres synodi Chalcedonensis canone 28. postquam Constantinopol. Episcopo Patriarchica jura attribuerunt, hanc subjiciunt rationem: *Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt*. Tertio etiam Valentinianus III. propter urbis prærogativam Rom. Pontifici Primatum attributum voluit, ut constat ex *Novella* ipsius, ubi inquit: *cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmaverit auctoritas &c.*

136. Resp. ad 2. Quanquam illa verba: *Ecclesia Romana* &c. non inveniantur in canone sexto concilii Nicæni, prout modo legitur in collectionibus Conciliorum, Patres tamen Concilii Chalcedonensis Nicænum illum canonem allegantes ea etiam verba recitarunt; sed non, ut legit Quesnellus: *Ecclesia Romana semper habeat Primatum:* quasi tunc primum illi hæc suprema dignitas collata sit: sed: *Ecclesia Romana semper habuit primatum:* ut sensus sit, Primatum di-

(*a*) Quam tamen Pelagii II. epistolam inter spurias Isidori merces rejiciendam esse probat Papebrokius in *Propyleo Maii*.

(*b*) Vid. Nat. Alex. Diss. XX. in Sæc. IV. prop. 2. resp. 2. ad 1. object.

(*c*) Quamquam ex hoc ipso canone supremam Rom. Pontificis in universa Ecclesia dignitatem, & jurisdictionem a Patribus Concilii Nicæni agnitam, & confirmatam, plerique putant. Certe Paschasinus Apostolicæ Sedis in concilio Chalcedonensi Legatus hunc eumdem canonem ad probandum Rom. Pontificis Primatum allegavit, dicens Act. XVI. *Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum canon sextus, quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*. Porro Judices relecto prius canone Concilii Nicæni, & consultis Patribus, hunc Paschasini pronunciato totam Synodum assentiri declararunt, dicentes: *Ex his quæ gesta sunt, & ab uno quoque deposita, perpendimus, omnes quidem Primatum, & honorem præcipuum secundum canones Romæ antiquæ Dei amatissimo Archiepiscopo conservari*. Ulterius hunc ipsum canonem ad tuendam supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem contra Acacium, aliosque Orientales inobedientes allegavit Gelasius I. in *epist. ad Orient.*, & ante Gelasium idipsum fecerat Bonifacius I. in *epist. ad Episcopos Thessaliæ*, quam Holstenius edidit. Tunc autem huic canoni præmissa erant hæc verba: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*. Quæ tamen addititia fuisse, nonnulli putant. Sed de obscuro hoc canone confer Nat. Alex. Diss. XX. in Sæc. IV., & Auctores ab eo citatos; ac præt. Dagnet *Conferences Ecclesiastiques* Tom. II. Diss. 58. nec non Van-Espen in scholio ad hunc canonem.

(*d*) Prout legit Quesnellus ex MS. Oxoniensi in *Codicem canonum, & Constitutorum Ecclesiæ Romanæ*.

divino jure, non humana institutione fuisse Ecclesiæ Romanæ concessum. Ita habent codices antiquiores, & meliores, ut Colbertinus (olim Thuaneus) Atrebatensis, duo Vindobonenses, Hardyensis, Fossariensis, & plures alii laudati a Constantio (*a*).

137. Ad 2. Respond. Nullam esse illius canonis Chalcedonensis auctoritatem, quem S. Leo cum tota Ecclesia Occidentali reprobavit. Imo & Græci ipsi nullam ipsius postea rationem habuisse visi sunt; nam perantiquæ ipsorum collectiones eum omittunt (*b*). Porro S. Gelasius (in epist. 3. *ad Episcop. Dardianiæ*), ut ostendat, quantum a vero abhorreat, privilegia Romanæ Sedi propter urbis dignitatem a Patribus fuisse collata, hanc inter alias rationem affert; quia etiam Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri, & Nicomedia multis temporibus sedes Imperatorum fuerunt, nec tamen legimus, fuisse propterea eos thronos peculiari aliqua prærogativa distinctos. Et S. Leo (in epist. CIV. alias 78. ad Marcianum) *Habeat*, inquit, *sicut optamus*, *Constantinop. civitas gloriam suam. Alia tamen ratio est rerum sæcularium*, *alia divinarum*, &c. (*c*).

138. Ad 3. Resp. satis probabiliter iis verbis innui, Primatum fuisse Rom. Pontifici collatum principaliter propter Petri meritum, hoc est quia S. Petri Apostolorum Principis successor est, quamvis etiam propter Romanæ dignitatem civitatis idipsum accipere meruisset. Quod vero subditur: *Sacræ etiam Synodi firmaverit auctoritas*, nobis minime officit; significat enim Synodos confirmasse, quod jam Apostolica S. Petri auctoritate fuerat constitutum (*d*).

139. Alii tamen contendunt, Valentinianum locutum esse non de Primatus dignitate, sed de juribus patriarchalibus Rom. Pontificis, quæ sarta, tectaque servari jussit contra Hilarii Arelatensis præsumptionem. Is enim spretis S. Leonis mandatis extra provinciæ suæ limites Episcoporum ordinationes, & depositiones sibi arrogabat, neque Ecclesiastica solum potestate, sed ad id vi etiam, & armis abutebatur, quod certe in viro alioquin vitæ sanctitate commendato non exiguus nævus fuit. Porro Rom. Pontifex Valentinianum Imperat. excitavit, ut auctoritate sua sacros canones defendens, Hilarium ad officium revocaret; quod & factum est, & pax redintegrata.

140. Obj. 8. Si Rom. Pontifex Primatu jurisdictionis in Ecclesia polleret, posset unusquisque ad ipsum a quocumque Episcopali, vel Synodali judicio appellare; atqui id sæpius vel a Sanctis Patribus, vel etiam a Conciliis improbatum scimus (*e*): ergo &c.

141. Resp. usu rerum perpetuo in Ecclesia tam occidentali, quam orientali fuisse appellationes ad Apostolicam Petri sedem comprobatas. Id superius multis exemplis demonstravimus, & potuisset multo pluribus confirmari. Si qui vero sancti Patres, vel si quæ Synodi id improbare videntur, non de usu, sed de abusu, & nimia facultate intelligi debent. Nam hujusmodi appellationum abusu sacrorum canonum vigor infringebatur; ob locorum enim distantiam aliquibus fraudulentis, & veteratoribus facilius erat decipere Romanum Pontificem; itaque meritas criminum suorum pœnas evitare (*f*).

142. Obj. 9. Justinianus Imperator appellat *Ecclesiam Constantinopolitanam omnium aliarum caput* (Lib. I. Tit. I. §. 25.): S. autem Avitus (epist. 7.) duos Pontifices Romanum, & Constantinop. dicit esse veluti *geminos Apostolorum Principes*: & Patres Synodi Trullanæ æqualibus privilegiis utriusque urbis Episcopos frui dixerunt.

143. Resp. ad primum, id esse restringendum ad Ecclesias orientales, in quibus post Concilium Constantinop. I. illa Ecclesia primum locum obtinuit; sed Ecclesia Romana a Conc. Trident. sess. VII. can. 3. *de Bapt.* vocatur *omnium Ecclesiarum mater*, *& magistra*; quod iterum repetitur sess. XXII. cap. 8. (*g*).

144. Sanctus autem Avitus duntaxat Patriarchæ

(*a*) Tom. I. *epistol. Roman. Pont.* Vid. etiam Tom. III. S. Leonis editionis Ballerinianæ pag. 51. num. 32.

(*b*) Quamvis postea fuerit in Synodo Trullana renovatus can. 36. atque ex eo tempore a Græcis inter alios canones numeratus.

(*c*) Recte S. Thomas in opusculo XVI. alias XIX. *Contra impugnantes Dei cultum*, *& religionem* cap. 3. *Papa*, inquit, *immediatam jurisdictionem in omnes Christianos*, *quia Romana Ecclesia nullis Synodicis Constitutis ceteris Ecclesiis prælata est*, *sed Evangelica voce Domini*, *& Salvatoris nostri primatum obtinuit*, *ut habetur in decretis*. Dist. XXI. cap. *Quamvis*.

(*d*) In Concilio Constantiensi damnata est illa propositio Joan. Hus. n. 9. *Papalis dignitas a Cæsare inolevit*, *& Papæ perfectio a Cæsaris potentia emanavit*. Et Martinus V. in sua Constitutione, quam sacro approbante eodem Concilio edidit, omnino jussit, ut qui ab hæresi Hussitarum ad Ecclesiæ sinum revertebantur, inter alia confiterentur, *Papam canonice electum*, *qui pro tempore fuerit*, *esse successorem B. Petri*, *habentem supremam auctoritatem in Ecclesia Dei*.

(*e*) Inter alia Concilium Carthag. an. 419. ab Episcopis 217. una cum Apost. Sedis Legatis celeb. can. 28. hæc habet: *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum*, *a nullo intra Africam ad communionem recipiatur*. Quæ verba ita commentatur Guil. Beveregius: *Eximium argumentum est*, *Papam Rom. nec caput Ecclesiæ esse*, *nec summum Ecclesiasticarum causarum judicem*, *quem Episcopo*, *aut Clerico in sua Provincia condemnato appellare liceat*. Sed fallitur Beveregius. Quis enim simili argumento colligat, Principem non esse caput regni, supremumque causarum Judicem, ex quo a quorumdam judicum sententia ad ipsum appellare minime liceat? Unde in codice Lib. VII. tit. 75. dicitur: *Quorum appellationes non recipiantur*.

(*f*) De hac materia accurate pertractare nimis longum foret. Vid. Natalis Alexander Dissert. XXVIII. in Sæc. IV., & Ballerinii in Tom. II. Oper. Sancti Leonis pag. 919. & seq.

(*g*) Photius, ut aliquam luctuosi sui schismatis causam prætexeret, effutire non est veritus, *quando de*


Constantinopolitano primum locum concedit post Rom. Pontificem, cui Primatum in tota Ecclesia sæpius in suis operibus tribuit, sicuti etiam in *fragmentis* vocat S. Petrum *Apostolorum caput*, *idest Principum Principem*. Et sic pariter Patres Trullani nonnisi secundum locum Episcopo Constantinop. tribuerant, *ut qui secundus post illum*, inquiunt, scilicet post Romanum Pontificem.

145. Obj. ult. Si Rom. Pontifex Primatum in universa Ecclesia obtineret, illud consequeretur, Joannem, aliosque Apostolos, qui Petro superstites fuere, debuisse Lino, vel Clementi parere; hoc vero plane absurdum videtur.

146. Resp. Cum P. Mich. Le Quien ( *Panopl. contr. Græcos* in prolus. n. 17. ) nulla ratione id absonum esse. *Nam etsi Joannes, ut Apostolus Christi, nulli non genti destinatus, singularique adeo Spiritus Sancti munere, & instinctu perfusus, cuicumque orbis Episcopo præcellebat, alia tamen ratione Petri successori, tanquam unius visibilis Ecclesiæ visibili vertici suberat, ne sancita a Domino unitas, & status ordo interverteretur*.

147. Et hæc satis sint contra Heterodoxos pro tuendo Primatu jurisdictionis, & auctoritatis, quem omnes Catholici communi, concordique consensu Romano Pontifici tribuunt. Instituti autem præsentis nostri ratio non patitur, ut quæ inter Catholicos ipsos salvo pacis vinculo jamdiu agitantur, controversias pertractemus; an scilicet Rom. Pontifex fidei, morumque quæstiones *ex cathedra* definiens infallibilis sit; & an auctoritatem habeat œcumenicis Conciliis, imo Ecclesiæ universæ superiorem. Hoc enim loco solum volumus Catholicum dogma contra Hæreticos vindicare.

*Romana Urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tum & primatum Romanæ Sedis ad Constantinopolitanum Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus regiis Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse.* ( Apud Nicolaum I. in epist. ad Episcopos Galliæ n. 7. ). Quæ absurda schismatici hominis sententia vel sola omnis æræ consuetudine refellitur, qua constat, Rom. Pont. in toto etiam Oriente Primatus jura exercuisse, quibus Patriarchæ Constantinop. in Ecclesia Occident. nunquam usi sunt, aut uti potuerunt.




FINIS TOMI PRIMI.